


2 400 481  Made in Spain



del *Magis de la Comp.^a de Jesus de Granada* *S. J.*
D E


R.10363

O F F I C I O
S A C E R D O T I S
C H R I S T O S V M M O, E T
Æ T E R N O S A C E R D O T I,
E T E I V S I N T E R R I S
V I C A R I O.

T O M V S S E C V N D V S.

Auctore Cosmo Philiarco Pistoriensi, Canonico,
& Theologo Florentino.

C V M D V P L I C I I N D I C E.




V E N E T I I S, A P V D I V
M. D. X C V I I



CHRISTO SVMMO, ET
AETERNO SACERDOTI,

*Cosmus Philiarcus, peccator, &
indignus Sacerdos.*



IBI CHRISTE benignissime, gratias ago: quod mihi ex tam graui morbo conualescere dedisti; vt hunc secundum tomũ perficere possim: quem ad laudem tui nominis, & ad salutem illorum ad quos pertinet, faciendum suscepi. Omnia quę in his benè dixerim tibi accepta refero, à quo solo bona cuncta procedunt, & ad quem omnia reuertuntur; ut ad omnium rerum principium, & finem. Tibi me totum trado, teq; obsecro, vt in omnibus rebus, atq; actionibus meis, potentissima tua illa dextera regas me; qua Petrum in fluctibus ambulantem, ne mergeretur erexit. Fac, vt te solum in omnibus rebus meis, pro scopo mihi proponam: omniaq; mea dicta, ac facta, ad laudem,

* 2 & glo-

& gloriam tui sanctissimi nominis, & ad pro-
ximi vtilitatem dirigam: qui cum Patre, & Spi-
ritu Sancto, viuis, & regnas, per omnia secula
seculorum. Amen.

S. D. N. SIXTO V.

Pont. Opt. Max.



Incredibiles tibi gratias ago, Beatissime Pater, quod primum huius operis tomum, benigno vultu accipere dignatus sis, ac tua me sancta benedictione sis profecutus: qua munitus, resumptis viribus quas longo morbo implicitus amiseram: secundum hunc tomum de Officio Sacerdotis absolui: quem nunc Sanctitati tuae offero, ac dico: orans, ut illum pari benignitate suscipias, meque sancta tua benedictione iterum munias. Ego interim Deum rogabo, ut te ad Orbis decorem, ad propulsanda vitia, ad corrigendos mores, & ad totius Christianae Reip. vtilitatem natum, diu ac feliciter nobiscum manere sinat: cuius ego Sanctissimos Pedes absens, ut praesens, osculor. Florentiae die 20. Martij. M D X C.

Ad Sanctissimos Pedes T. B. substratus.

Humilis seruuulus.

Cosmus Philiaecus.

MO. MO.
ILLVSTR. ET REVER. DOMINO,

D. ALEXANDRO PERETTO
S. R. E. CARDINALI
MONTALTO.

Cosmus Philivarcus. S. P. D.



Vibus ego tibi verbis Illustris-
sime Domine, gratias agam,
non inuenio: qui tanta me-
benignitate profecutus sis: vt
non solum primū huius ope-
ris tomum, hilari, ac iucundo vultu acceperis:
sed etiam illum, & me simul, Sanctissimo Si-
xto V. diligentissimè commendare dignatus
sis. En secundum tomum iam absolutum,
ad te mitto: in quo agimus de Contractibus,
Vsura, Simonia, & Restitutione: quæ ad secun-
dam partem pertinent. In tertia verò parte,
de Veritate Christianæ fidei, contra Gentiles,
Iudæos, & Hæreticos; de Dogmatibus fidei, ac
Virtutibus, & de Interpretatione Sacræ Scri-
pturæ: quæ omnia sunt subiectum huius se-
cundi tomi; quem ego nunc ad te mitto, ro-
gans te, atq; obsecrans; ut eadem benignitate
me, & illum profequaris, ambos eidem San-
ctis-

simo Sixto æque diligenter commendan-
do: meq; in tuam tutelam suscipiendo, atq; in
famulorum tuorum numerum ascribendo.
Quod reliquum est, totum me tibi trado; atq;
Deum Opt. Max. oro, vt tibi bonorum om-
nium, ac literatorum Mecænatem longam, ac
felicissimam vitam tribuat. Florentiæ die 20.
Martij. M D X C.

ERRORES PRÆCIPVI SIC
CORRIGENDI.

Primus numerus paginam, secundus lineam ostendit.

6. 14. exprobatōe, exprobratiōe. 12. 27. æquum, equum. 14. in margine Sot. lib. de iust. q. 7. ar. 3. Sot. lib. 4. de iust. q. 6. ar. 2. 21. in marg. sot. lib. de iust. sot. lib. 6. de iust. 24. in marg. venditiōes, condiōes. ibid. per vsuram acquisitus, per vsuram acquisitus. 26. 16. cap. 3. cap. 5. 32. 9. exemplum de iniusta vexatiōe. exemplum de iniusta vexatiōe. 36. 38. augetur, augetur. 20. 17. affecurari, non. 47. 1. pignoris res, pignoris rei. 61. 40. forneratores, feneratores. 62. 34. potuit, posuit. 78. 15. rei, propriæ, rei, propriæ. 81. 38. respondet, respondent. 87. 32. ad audiendus, audiendus. 91. 14. has via, hac via. 94. 34. vigorem, vigore. 96. 2. campior, campfor. 106. 27. per perpetuus, perpetuus. 108. 9. tētigimū dubium, tētigimus dubium. 116. 7. habitum, habitam. 130. 2. Lugduni, soluenda Florentiæ, Lugduni soluenda, Florentiæ. 135. 28. seta, ferici. 147. 24. dicat, dicant. 153. in margine, vt libenter ad, vt liberentur ab. 165. in marg. sylu. v. vsura, sylu. v. simonia. 172. 14. a Papæ, a Papa. 174. 5. ad hac, ad hanc. 180. 24. & an semper, an semper. 184. 15. credere non ipsi, credere non ipsi. 197. 21. ministris, ministri. 202. corrige. 198. & ibid. linea 13. vsurarius liberatur. vsurarius nō liberatur. 205. 21. statuum, statuunt. 22. 1. 2. 2. & quod recipiendos. & quoad recipiendos. 22. 2. 1. in corpore, in corpore. 22. 4. 12. mortale, morale. 22. 6. 3. 1. impedito, impedito. 22. 9. 3. 4. tenentur, tenetur. 247. 24. furi, furti. 247. 3. hunc solum, sequeretur hunc solum. 251. 12. prius, propius. 254. 15. restituedum, vbi, restituedum est, vbi. 256. 16. & quousque, quousque. 256. 28. debeat, debeat. 258. 40. veri, viri. 268. 26. & Angelorū, vt Angelorū. 287. 6. adorentur, adorantur. 290. 11. noluerunt, voluerunt. 296. 28. honestari, dehonestari. 301. 28. an idola, ad idola. 309. 38. ad oppositum, ad oppositam. 314. 18. vt sensus, vt sit sensus. 317. 5. quod actus, quod per actus. 326. 2. dicimus, didicimus. 332. 8. orationes, nationes. 333. 16. defeciet, defecit. 345. 35. centuagesimo, centesimo. 350. 40. alapos, alapas. 360. 10. & 12. hæres, hærefes. 375. 33. sermone, sermonem. 376. 20. cellos, cellas. 394. 31. ædificijs, ædificij. 395. 12. edificio, edifico. 399. 39. cribaret, cribaret. 401. 17. nisi solus, nisi solis. 402. 2. Petrum, Petrus. 422. 41. sequi, sequitur. 432. 26. ne daretur canibus, ne daretur sanctum canibus. 437. 22. vnas, vna. 439. 39. conuenientium, conuenientiam. 443. 1. sabeli, sabelij. 449. 22. de diu. nat. de duabus nat. 451. 22. in quo, in qua. 452. 29. proprietatem proprietate. 502. 9. tristatur, tristantur. 528. 35. erant, erat. 536. 36. si posituus Deus, posituus si Deus. 544. 40. vt, vi. 452. 36. maceriam, maceriam. 561. 1. possit, possint. 571. 12. duobus, duabus. 586. 36. tunc, sunt. 551. 33. tractaui, tractaui. 602. 29. reuocetur, reuocentur. 612. 10. rationibus naturalis, rationibus naturalibus. 636. 10. est etiam est virtus est etiam virtus. 636. 14. purgatoris, purgatorias. 654. 5. distribuitua, distributua. 664. 10. haberes, habere. 666. in margine, De i sensum, inter sensum. 670. 34. dicitur dicit, 675. 17. impetrarent impetrarent. 679. 41. peccata vt non remaneant, peccata ita remitti, vt nō remaneant. 680. 38. remanet, remanent. 704. 9. iunguntur, iunguntur. & 18. iniquo, in quo.

SECUNDAE

PARTIS
DE OFFICIO SA-

CERDOTIS

LIBER QUINTVS.

TOMVS SECVNDVS.

*De Auaritia, & de Septimo, & Decimo
Præcepto Decalogi.*

*De Contra&ibus, Vsura, Emptione, & vendi-
tione, Censibus, & Cambijs.*

Auctore.

*Cosmo Philiarco Pistoriensi Canonico, & Theo-
logo Florentino.*

*Quid sit Auaritia, & quæ illius filia, & quæ
sint contra illam præcepta.
Cap. Primum.*



M virtus consistat in medio duorum vitiorum extremorum, quorum alterum ei opponitur per defectum, alterum per excessum, liberalitas quoque habebit duo extrema vitia, illi, & inter se opposita, auaritiam scilicet, quæ illi opponitur per defectum, appetitus dandi, & prodigalitem, quæ opponitur per excessum appetitus dandi, nam auaritia est vitium inclinans ad inordinatum appetitum pecuniæ, prodigalitas uero, est vitium inclinans ad appetitum inordinatum effusionis pecuniæ. Nunc agendum est de Auaritia, quæ est vitium capitale cuius sunt septem filia.

Auaritia
septem
filia.

A Prima

Prima est Duritia cordis, quæ est uitium a compassione pauperum auertens, & ad nimis seruandam pecuniam tendit. Secunda. Inquietudo mentis, quæ est uitium ab ordinata quiete auertens, & frequenter nascitur ex nimio acquirendi studio. Tertia, Violentia, quæ est uitium ad nim inferendam inclinans. Quarta, fallacia, quæ est ad decipiendum uerbis. Quinta, periurium, ad confirmandam deceptionem, quæ fit uerbis. Sexta, fraus, ad decipiendum factis, quo ad res. Septima, proditio, ad decipiendum factis quoad personas, quæ omnes tendunt ad nimium studium acquirendi diuitias.

Auaritia, & prodigalitas nõ sunt semper mortalia. Tria præcepta contra auaritiam.

Auaritia, & prodigalitas non sunt semper peccata mortalia, nõ appetitus retinendi, & dandi pecuniam, est indifferens, & rectè ordinatus est bonus, & prauè ordinatus est malus: & si pecunia inordinatè retinetur, & datur, sine alterius damno, communiter est ueniale, & si cum alterius damno, communiter est mortale, quia fit etiam contra iustitiam. Contra auaritiam sunt duo præcepta decalogi, quæ uirtualiter sunt tria, nam generaliter loquendo tribus modis per auaritiam mortaliter peccatur. Primo, appetendo animo deliberato aliquid notabile alterius, modo illicito, quod prohibetur decimo præcepto, Non concupisces, &c. Secundo, acquirendo modo illicito, quod prohibetur septimo præcepto. Non furtum facies, quo uirtualiter præcipitur etiam, ut non retineatur alienum inuito domino, qui est tertius modus peccandi ex auaritia.

Contra septimum præceptum, quo prohibetur furtum, multipliciter peccatur, quod etiam ex alijs circumstantijs, in infinitum aggrauatur, ut si res sacra, etiam de loco non sacro, & si res non sacra, de loco sacro, furtiuè accipiatur, quod est Sacrilegiũ. Sed quia ex his, quæ dicemus de contractibus, & de restitutione, satis erunt nota peccata, quæ contra illud committuntur, superfluum erit hic singula enumerare peccata.

Contractuum genera.

Hic locus exigit, ut de contractibus agamus, qui sunt in duplici differentia, in quibusdam enim non traditur dominium rei, sed solum illius usus, ut est contractus depositi, pignoris, commodati, & locationis, in alijs uerò traditur dominium, ut in mutuo, emptione, & uenditione, sed quia in istis est diutius immorandum, ratione quorum est etiã tractandũ de usura, & de Simonia, prius agemus de illis contractibus in quibus nõ transfertur dominium, sumpto principio à ludo, in quo magis apparet inordinata pecuniæ cupiditas, licet experiẽtia doceat nullũ eo unquã ditescere, sed quam plurimos diuites, ad mendicitatẽ reduci.

De

De ludo, & de peccatis, quæ in eo committuntur, de ludentibus super futuro fortuito euentu, & de dantibus pecunias quando eis nascuntur filie, ut aucta reddantur pro illarum dote, si uixerint. Cap. II.

Ludus, & iocus sunt actus principaliter facti ad animum, uoluptate honestè recreandum, ludus fit factis, & iocus uerbis, & ex se sũt boni, si nulla mala circumstantia uestiantur, ex quorum frequentatione generatur habitus, & consuetudo honestè ludendi & iocandi, qui est uirtus, quam Arist. vocat Eutrapeliam. Et cum omnis uirtus moralis sit inter duo extrema, excessum. s. & defectum, ab hac uirtute facilius, & frequentius declinatur per excessum, quam per defectum, quia iuxta Cic. uita, ludo, & ioco æquè parcè, condienda est, ac cibi sale, & propterea loquemur de excessu, & de malis circumstantijs, quibus sæpè ludus uestitur, & ob quas etiam lege prohibetur, & præcipuè loquemur de ludo, qui fit propter lucrum, & quando hic est finis principalis, est potius negociatio, quam ludus, quæ negociatio ferè semper est mala.

Ludus ex se bonus.

Ludus efficitur malus, uel ex circumstantijs, uel ex prohibitione legis. Et ut à prohibitione incipiamus in cap. Episcopus, dist. 35. & cap. Clerici. 2. de uita & honest. Cler. Clericis prohibetur ludus alearum, & taxillorum, & huiusmodi ludis interesse, quæ ludi prohibitio in d. c. Episcopus extenditur etiam ad laicos. prohibetur etiam hic ludus l. i. ff. de aleæ lusu, & aleat. & C. de relig. & sumpt. fun. Alearum usus. Vbi notandum est esse duo ludorum genera, primum quod magis nititur industria, & arte, quam fortuna, ut est ludus scacchorum; alterum, quod licet nitatur industria, & arte, magis tamen nititur casu, & fortuna, ut taxillorum, chartarum, & hoc ludorum genus est prohibitum lege Canonica, & Ciuili, Causa autem prohibitionis non fuit, quia magis nititur fortuna, quam industria; nam si finem ludi spectemus quatenus est uirtus, qui est recreare animum, isti sunt magis liciti, tanquam aptiores ad animi relaxationem, cum animi intentionem magis remittant, quam alij augent: sed causa prohibitionis fuit, refrenare auaritiam, quia quando luditur principaliter animo lucrandi, communiter assumuntur ludi fortunæ, qui omnes sub nomine ludi aleæ, & taxillorum intelliguntur à lege. Ex quo sequitur, quod ui eiufdem legis prohibetur ludus indu-

Ex circumstantijs, & prohibitione malus, Prohibitũ Duo ludorum genera.

Causa prohibitionis

stræ, & artis, quando æquè, uel principaliter luditur causa lucrandi, quam relaxandi animum, tum quia militat eadem ratio, tum etiam, quia in d. C. de relig. permittuntur quatuor genera ludorum industria, & artis, & prohibetur ne præmium maius, quam unius solidi proponatur uincenti. Et merito prohibetur ludus exercitus principaliter animo lucrandi, quia ex eo multa oriuntur mala, quæ ut per se nota relinquo, & lucrum, quod eo fit, dicitur turpe.

Clerici
quando
peccant
mortaliter.

Ista lex Canonica Monachis, & Clericis ludum fortunæ prohibens, obligat ad mortale, & ita mortaliter peccant ludendo notabilem quantitatem, uel principaliter, aut æquè principaliter animo lucrandi, quod tunc contingit, quando tanti, aut plaris fit lucrum, ac animi recreatio; peccat etiam mortaliter si ludum mortaliter malum, multo tempore spectant, secus si paruo tempore, sicut etiam si ludis fortunæ parum quid luderent, nam paruitas rei, quando animus non est ad magnam, excusat a mortali, quod autem lex Canonica illos obliget ad mortale, patet, quia Canones iubent Clericum ob aleæ ludum deponi ab officio, uel beneficio, quod mortalem culpam præsupponit, & Conc. Trid. præcipit seruari iura ante illud per Papas, & Concilia super ludo, & luxu Clericorum statuta.

Cōc. Trid.
sess. 25. c.
1. de refor

De laicis.
Nauar. in
Man. c. 19
nu. 10.

Quoad laicos autem mihi placet sententia Nau. quod prædictæ leges non obligent ad mortale, etiã si principaliter ludant ob lucrũ etiam magnum, uel quia non fuit talis legislatorum intentio, uel quia quoad hunc effectum, non uidentur receptæ, uel sunt abrogatæ, cum in omnibus mundi partibus uideamus laicos cuiuscumq; ordinis magnam pecuniarum summam, & maximam eorum partem principaliter ob lucrum ludere, & à confessarijs sine proposito ita nunquam ludendi, absolui, quod facere nequirent si in eo mortaliter peccarent. Et confirmatur, quia illæ leges non sunt de re, quæ ex se fit peccatum mortale, sed ex circumstantia adiuncta, nam intentio etiam principalis lucrandi, de se non est mortalis, ut patet in negotiatione, exponere etiam se periculo, & actualiter magnam pecuniæ quantitatem perdere, est species prodigalitatũ, & iuxta S. Tho. prodigalitas de se non est mortalis, grauius tamen peccant uenialiter; Sed credo, quod illi mortaliter peccant, qui propter ludum familias suas, uxores, filios, & filias in necessitatibus relinquunt, & non eis prouident necessaria, & isti non sunt absoluenti, nisi proponant abstinere.

De circumstantiis.

Explicata legis prohibitionem, uidendum nunc est, quæ circumstantiæ efficiant ludum mortalem, & ut à negatiuis incipiamus, dici-

dicimus cū Nau. quod non fit mortalis ex sola circumstantia animi principaliter lucrandi aliquid, etiam notabile ab eo, qui donare potest. Neq; ex nimio, & ardenti ludendi appetitu, nisi cum extenditur ad alicuius legis transgressionem, quæ obliget ad mortale. Neq; ex circumstantia loci Sacri, nisi cum specialiter talis in eo ludus prohibetur, qualis est comædia rerum prophanarum, c. Cum decorè. de uir. & hon. aut nisi fiat cū notabili scâdalo, uel irreuerentia Dei, uel Ecclesiæ, imo sine ullo peccato, & cum merito, potest quis in eo ob honestam causam ludere, ut ad recreandũ infirmũ, qui illic est, ad pellendũ otium, ut milites, qui tẽpore belli illũ custodiunt, solatiũ capiant, ludere autẽ in eo sine iusta causa, est saltem ueniale. Neq; ex circumstantia personæ, nã sine ulla culpa etiam ueniali, clericus, & monachus potest interdũ taxillis, & chartis ludere ob honestam causam, puta ad recreandũ sociũ ægroto, ut ea re indigente, modò nõ frangat legẽ superius dictã, eum ad mortale obligantem. Neq; ex circumstantia tẽporis, quia quãuis peccatũ sit totum diem festum in ludis, præsertim operosis consumere qualis est ludus pilæ, non est tamen mortale, nisi omittatur Missa, uel aliud diuinum officium præceptum, uel uoto promissum. Neq; ex eo, quod potius fortuna, & sorte, quam industria nitatur, quia (ut diximus) ille est aptior ad recreandum, & magis habet rationem uirtutis Eutrapeliæ.

Prædictæ igitur circumstantiæ ex se non faciunt ludum mortalem, nisi eis sit annexa transgressio alicuius præcepti obligantis ad mortale, & ita mortaliter peccat. Primo clericus, & monachus ludens principaliter, uel æquè principaliter animo lucrandi notabilem quantitatem, & ludũ mortaliter malũ spectans. 2. peccat mortaliter, qui ob ludũ, Missã, uel diuinum officium omittit, ad quod sub mortali tenetur. 3. qui ludit re notabilem ludo, uoto, uel lege ad mortale obligante sibi prohibito, nã licet leges superius adductæ, nõ obligent laicos ad mortale, & quo ad illos abrogatæ censeantur, ut diximus, possunt tamẽ renouari, & in aliquibus locis esse leges particulares, sub mortali, aliquod genus ludi, ad multa mala euitanda, prohibentes. 4. qui ludo se periculo exponit, ut non possit satisfacere muneri suo de prouidendis necessarijs familiæ suæ. 5. qui ludit cū notabili irreuerentia Dei, & Sanctorũ, uel dictis, & factis in se mortalibus, uel mortali circumstantia uestitis. 6. qui rem notabilem ludit etiam ludo licito, sed cum eo, qui donare nõ potest, huiusmodi sunt, stultus, puer, mancipium, filius qui adhuc est in potestate patris, prodigus, coniunx, monialis, monachus, & similes, De filio tamen, qui a pa-

Nau. ibid.
nu. 3.

Qui, &
quando
mortaliter
peccant.

Sot. l. 4. de iust. & iur. q. 5. ar. 2. Nauar. in Man. c. 19. nu. 13.

tre in scholis, aut in curia sustentatur, inquit Sotus, quod licitè potest de suo comeatu, quatuor, aut quinque de centum, quæ ei dantur ludo impendere, quod Nau. extendit etiam ad religiosũ, qui studet, aut negociatur impensis sui Abbatis, modo id faciat honestæ recreationis causa; Id autem, quod addit Sotus filium non posse plura lucrari ab eo cum quo ludit, quã ille ab ipso uincere possit, meritò rejicit. Nau. quia communis sententia est in cõtrarium, & nullus est textus, neq; ratio, quæ cõcludat pauperem non posse amplius lucrari à diuite, quam diues ab ipso. 7. qui alium quem etiam potentem donare, ad ludendum etiam ludo licito, metu cogit, aut dolo, & fraude decipit, & per coactionem non intelligitur leuis, & consueta inuitatio, & inducõio, sed ea quæ fit iusto metu, uel tam grandi reuerentiali, uel cum eiusmodi exprobratione, ut inuitatus, & rogatus, si non luderet, uel à ludo discederet, uilis, & abiectus reputaretur, nam metus, dolus, & fraus, omnem contractum quantumlibet aliàs licitum, ita inficiunt, ut irritum, uel irritandum reddant. 8. qui fingit se nescire ludere, ut alium longe imperitiorem ad ludendum attrahat, aut falsis taxillis, uel cartis utitur, & leges ludi, cum notabili alterius damno transgreditur; quia utitur dolo, & fraude. 9. qui scienter ait se habere plura pũcta, quam habeat, cum notabili alterius damno, quia illum decipit. Et qui aduertit socium ludi errore calculi dicere se habere pauciora pũcta, quam habeat, ex quo perdit, & non illum admonet, quia accipit, quod alter lucratus est; & qui accipit priorè locum, quem manum appellant, cum nõ habeat, ut sic cum perdidit lucretur. 10. qui mortaliter ludentibus subministrat domum, mensam, candelas, & alia ad ludum necessaria, quia eis cooperatur. Nec obstat si dicatur nõ peccare famulum ministrantem mensæ concubinariorum, nec uendentes uestes, & huiusmodi meretricibus, quia magis immediatè, & directè ministrat, cooperatur, & consentit ipsi ludo mortali, unde leges prohibentes aleæ ludum, graues etiam penas statuunt contra recipientes lufores. 11. qui iurauit soluere, quod in ludo perdet, si postea non soluit; nam tenetur soluere, sed potest postea repetere, sicut de iurantibus soluere usuras dicitur, c. debitorum de iureiur. at si ante solutionem, obtinuit absolutionem à iuramento, aut si non iurauit, non peccat non soluendo, non solum in illis locis ubi est specialis lex prohibens ludere pecunia credita, sed etiam in alijs, nigore iuris communis, ut docent Adria. Sot. Couar. & Nau. nam licet acquirens aliquid ludo habeat illius dominium, & ius in eo post eius traditionè, ratione

tacitæ,

tacitæ: uel expræsse conuentionis, consensu perdentis factæ, & in conscientia securè illud retineat, donec per sententiam iudicis ad illius restitutionem condēnetur, quia hanc restitutionem inducit lex in pœnam ludi prohibiti, & propterea ante iudicis condemnationem non inducitur à lege obligatio restituendi, tamen ex quo lex denegat uicenti actionem petendi id, quod in ludo uicit, & dat perdenti actionem repetendi id, quod in ludo perdidit, consequenter etiam expræsse approbat perdentis retentionem, nam per regulam iuris, cui datur actio, competit exceptio, & retentio. Nec obstat si dicatur, quod pollicitus est soluere, & iure ciuili non ei prohibetur dare, & consequenter iure naturæ tenetur seruare fidem, nam si simpliciter promisit, non censentur renunciaffe iuri suo, quod habet repetendi beneficio legis ciuilis, & propterea sicut potest post solutionem repetere, ita etiam, licet promiserit, potest beneficio legis in conscientia à solutione se defendere, quia lex hanc retentionem auctoritate sua approbat, per hoc, quod illi denegat actionem petendi, & ei concedit actionem repetendi. Vbi notandum est, quod hoc beneficium legis in fauorem perdentis, est in pœnam ludi prohibiti, & propterea potest contraria consuetudine tolli, nam licet non possit abrogari lex prohibens ludum alearum, quia ille ludus, ut à lege prohibetur, est malus, ut fons, & origo multorum malorum, pœna tamen restituendi, quod ludo acquiritur, potest consuetudine tolli, non enim prouenit hæc restitutio à iure naturæ, imo iure naturali unusquisq; potest sua bona in alterius dominium, per ludum transferre; cum enim hæc translatio fiat libera dõmini uoluntate, iure naturæ tenet; cum ergo sit à lege humana, potest contraria consuetudine tolli, ex quo sequitur, quod ubi hæc pœna esset abrogata, non posset repeti, quod ludo amissum fuit, & perditum sub fide, esset soluendum. 12. peccat mortaliter ille, qui lucratus est aliquid notabile etiam ludo licito, ab eo, qui donare non potest, uel à coacto, & grauiter inducto, aut dolo, uel fraudolenter, & non uult illud restituere, at si sine ui, & dolo lucratus est, etiam ludo illicito, ab eo, qui donare potest, ante iudicis condemnationem, non tenetur restituere, licet aliqui contrarium dixerint, & ratio differentia est, quia in priori casu uerè non transfertur dominium, sed est potius, quædam species furri, at in posteriori casu, transfertur dominium, & restitutio inducitur à lege in pœnam per iudicis sententiam infligendam.

Sed tria occurrunt hoc loco dubia. Primum est, an ille, qui

A 4 char.

Couar. in c. peccatũ de reg. iur. lib. 6. §. 4. nu. 8. Nauar. & Sot. ubi supra.

Quando restituendum.

Dubium de inuitante.

chartis ludit, & certus est se non posse perdere, quia habet supremum punctum, qui effici potest, & primum locum tenet, licite possit sponsonem augere, & inuitare pro tota pecunia ludo exposita, uidetur enim, quod non liceat, & quod sic lucrans teneatur restituere, quia non est æquale utriusq; periculum, nam cum sit certus de lucro, uidetur furtum. Responderur, secundum communem, licere, quia sic poscit natura, & lex ludi, & ludentes huic periculo liberè se exponunt, quod æque potest uni, ac alteri contingere, nam qui modo securè omnia uincit, potest postea securè altero similiter certo existente, omnia perdere; & iuxta eandem ludi naturam, qui certò scit se perdidisse, potest sponsonem augere, ut alter eam recuset, & ipse uincat, quod etiam alter illi facere potest.

Secundum dubium est, de illo, qui ludentes aspicit, si uidet illum, qui uicit errare computando, uel non capiendo priorem locum, & ita perdere, & non eum admonet, an peccet, & teneatur restituere. Responderur si à principio ludi statutum est, ut aspicientes nihil dicant, nisi interrogati, non peccat tacendo, quia posset esse disensionis occasio, at si hoc statutum non fuit peccat, sed non tenetur restituere, quia facit contra charitatem, sed non contra iustitiam, nam sola lex iustitiæ obligat ad restitutionem.

Tertium dubium est, an ille, qui in ludo perdidit possit pro rebus perditis facere compensationem, uel latenter suffurando, uel recompensando cum debitis, quæ ei debet ille, qui uicit. Adrianus asserit id licere, quia cum ille, qui perdidit possit publico iudicio petere, poterit id alia uia recuperare, si timet in iudicio repetere. Sed Sotus, & Io. Medina contrarium tenent; Et ut plenius respondeamus, distinguendo dicimus, quod si luditur pecunia præsentis, statim soluenda, nulla potest fieri compensatio cum alijs debitis, quia sic conuenerunt, & alijs creditor, saltem uirtualiter, dilationem, sic conueniendo, debitori concedit. Si luditur pecunia credita, qui perdidit, sicut potest etiam in conscientia non soluere, ut diximus, ita potest in compensationem opponere, quod est alijs illius creditor. Per occultam autem subtractionem, qui iustè perdidit, ante iudicis sententiam non potest sibi compensationem facere, & ratio est clara, nam licet concedatur, quod quis potest occultè recuperare, quod suum est, quando non potest aperte, tamen quando creditum non est clarum, & liquidum, non potest fieri compensatio cum debito liquido, liquidi enim ad non liquidum, non fit com-

pen-

pensatio, at ille, qui uicit ei, qui potest donare, sine ui, & dolo, non tenetur restituere ex natura rei, sed in pœnam, per iudicis sententiam, est illi imponenda restitutio, & ei qui perdidit datur solum iudicialis actio. Ille uero, qui tenetur restituere lucrefacta in ludo cum uno, non potest compensare cum perditis, cum alio, sed benè potest compensare cum perditis, cum eodè, etiam in alio ludo, siue ludi fuerint liciti, siue fuerint illiciti, siue uterque sit habilis ad donandum, siue inhabilis, siue alter habilis, & alter inhabilis; in hoc tamen ultimo casu aliqui discordant, quia filius, qui non potest donare, non potest perdere, sed potest uincere, & quicquid acquirit, acquirit patri, & propterea si potens donare, ei uicit, non potest compensare cum eo, quod ille aliàs ab ipso uicit, quia fuit acquisitum patri, hoc ut dicunt Syluester, & Nau. est uerum de subtilitate iuris, de æquitate tamen, conscientia potest fieri compensatio. At si quis tenetur restituere ex eo, quod dolo, & fraude uicit, puta falsis chartis, aut taxillis, non potest compensare cum his, quæ iustè perdidit cum eodem, quia non est eadem eorum ratio, nam fraude acquisita sunt ex se restitutioni obnoxia, at iuste acquisita, non nisi in pœnam ex iudicis sententia.

Ex his, quæ diximus patet etiam, quid dicendum sit de con-

De ludo
super in-
certo e-
uentu.

certantibus, & ludentibus super incerto euentu, præterito, uel futuro, quæ italis dicitur *scommessa*, ut de partu certæ mulieris, futurus ne sit masculus, an fœmina; de Papa, an tali tempore sit facturus Cardinales, de numero Cardinalium quos faciet, de persona, an faciet istum, uel illum, & Sede uacante, an iste uel ille Cardinalis sit futurus Papa. & huiusmodi, & hoc ludo aliquando luduntur centum aurei contra alios centum, aliquando quinquaginta, uiginti, decem, etiam duo, contra centum, secundum, quod ille futurus euentus est magis, uel minus probabilis ludentibus, uel ludentes ex nimia cupiditate lucrandi, uolunt se exponere periculis, & secundum, quod ludentes cupiunt perdere, dum asserunt fratrem, aut patrum non futurum Cardinalem, aut Papam, quare hic non æstimatur periculum ex natura rei, sicut fit in affecurationibus, sed ex ludentium æstimatione, & arbitrio, & propterea potest quis spondere centum etiam contra unum, quia quod alicui est probabile, alteri est fere impossibile: Et iste ludus ex se non est illicitus, nisi quatenus procedit ex auaritia, & potest fieri etiam sine peccato ueniali, ut si quis honesto fine exponat se periculo parua pecuniæ quantitate, lucrandi magnam summam pro dote filia. Si fit ex auaritia est uenialis,

Est

UNIVERSITY

Quando
fit mortalis.

Est autem mortalis. Primo, si quis certo scit à se assertum, esse, uel futurum verum, sed simulat se nescire, ut alium ad sponsonem inducat, ut qui scit Papam nolle, aut uelle in proximis futuris quatuor temporibus facere promotionem Cardinalium, aut uelle promouere hunc, & non illum, aut tot, & non plures, nec pauciores. Et tenetur restituere, quia est furtum; nec est simile de ludo chartarum in quo diximus eum, qui habet primum locum, & supremum punctum posse augere sponsonem, ut totam summam lucro exposita lucretur, quia illius ludi natura hoc periculum sic certo lucrandi, & perdendi facit omnibus ludetibus commune, & omnes voluntarie illi se exponunt. 2. efficitur mortalis ratione circumstantiarum, ut si quis exponeret se periculo deficiendi, & perdendi omnia, quæ haberet, sicut sæpe uidemus multis contingere; Si quis deliberatè optaret mortem Papæ ne faciat Cardinales, & etiã si quis in contemptum alicuius Cardinalis, rei minimæ sponsonem faceret, quod non erit Papa, & quando facta maxima ludentium pecuniæ summa super promotione unius Cardinalis ad Papatum, constituto etiam aliquo lucro pro singulis Cardinalibus extrahendis, pro ut fors dederit, in uno loculo ponuntur nomina Cardinalium, & in alio dicta ludentium, cum aliquo signo, ut postea sciatur quorum fuerint illa dicta, & quid quisque uicerit, quod Itali uocant, *lotto*, si ponantur dicta inhonesta, & uergentia in uilipendium, & denigrationem famæ Cardinalium, sunt enim Cardines, & columnæ Ecclesiæ, quibus honor, & reuerentia debetur.

Dans 100
pro 300. si
filia uixerit.

Ad hoc genus ludi reducitur ille modus efficiendi dotem filia, quo pater, nata filia, dat alicui mercatori centum aureos, cum pacto, quod si filia uixerit anno decimo tertio, reddat trecentos aureos pro eius dote, & si ante prædictum annum mortua fuerit, totum lucretur, qui modus est licitus, non ut aliqui dicunt, quia habetur ratio fructuum, ut tantum detur anno decimotertio, quantum illa pecunia toto illo tempore cum fructibus similiter negotiationi semper expositis, mercator lucratus fuerit, ut intelligatur quædam societas, nam hac ratione potius est illicitus, quia in hac societate usque ad annum decimum tertium pater nimis grauatur, nam si filia moreretur anno duodecimo, perderet capitale cum fructibus, quæ omnia lucraretur socius, cuius conditio est longè melior, & si dicatur hoc esse ratione assicurationis capitalis, & fructuum, casu quod filia sit uiua, respondetur, quod ista assicuratio non est tanti æstimanda: dicimus igitur, quod iste contractus iustificatur, etiam si non habeatur ista ratio, & pactum sit, quod anno

decimo

decimo tertio si uixerit detur longe amplius, quam quis prædicta pecunia lucrari posset, quia potest admitti, & sustineri tantum ludus de futuro euentu, in quo, ut uidemus sæpe, quis deponit paruam summam contra magnam breui etiam perdendam, aut lucrandam; & miror quosdam dixisse esse usuram, nam si filia illum annum non attigerit, nihil soluendum est, nec fors principalis restituenda, & cum iste contractus non iustificetur, ut societas, sed ut ludus, uel ut contractus innominatus, do ut des, non est usura, etiam si pecunia detur mercaturam non exercendi, sed mercaturam exercens, cum recepta lucretur, potest se maiori periculo exponere.

De Deposito, Pignore, Commodato, &
Locatione. Cap. III.

IN hoc Capitulo agemus de contractibus per quos non transfertur dominium, & sunt Depositi, Pignoris, Commodati, Locati, & Conducti, ut facile Confessor intelligat, quæ peccata in eis committi solent, Pro quibus præmittendum est, quod culpa est uoluntaria inordinatio actus, seu deuiatio à bono, & quia inordinatio, siue deuiatio uoluntaria, aliquando fit studiosè siue de industria, & aliquando inconsideratè, ideo culpa diuiditur in dolum, & culpam simplicem, dolum autem est caliditas, fallacia, seu machinatio ad circunueniendum, fallendum, & decipiendum adhibita; & duplex est, nam uel fit uerbis, & uocatur fallacia, uel fit rebus tantum, & uocatur fraus. diuiditur etiam dolum in uerum, & præsumptum; quando signa sunt manifesta, dicimus dolum uerum, alias dicimus præsumptum, & hoc quo ad forum exterius, nam potest quis de dolo signis conuinci, qui tamen coram Deo in nullo fuit dolo, ut relinquens noctu librum sibi commodatum in platea furibus frequentata; Omnis dolum est culpa, sed non è contra, omnis culpa est dolum; nam dolum scienter, & studiosè fit, culpa uerò etiam ignoranter, & negligenter, Et triplex est culpa, lata, leuis, & lenissima, aliqui alias addunt, sed illæ ad has reducuntur, Lata est deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quam communiter habent omnes homines eiusdem professionis, (dicitur incircumspecta, quia si esset seriosa, esset dolum) ut qui librum sibi commodatum relinquit extra domum, super banco, & sublatum est, Lenis est deuiatio in circumspecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines diligentes, illius professionis, unde omittitur, quod diligens

Culpa
quid, &
quotu-
plex.

Dolum quod
& quotu-
plex.

Culpa tri-
plex.
Culpa la-
ta.

Culpa le-
uis.

gens non omisisset, & facere, quod diligens non fecisset, est leuis culpa, ut si quis vestes sibi pignoras non excusit tempore quo diligens excusisset, uel istas locauit quidem in camera, sed ex inaduertentia ostium reliquit apertum. Leuissima est deuiatio incircumspecta a diligentia, quam communiter habent homines diligentissimi, qualis est eius, qui librum commodatum in cubiculo reliquit, quod clauē obserauit, non tamen manu an bene obseratum esset, tentauit. Sed quia ad sciendum an aliquis teneatur de damno, non solum consideranda est eius culpa, sed etiam an casus sit fortuitus, notandum est, quod casus fortuitus est euentus rei inopinatus, qui prauideri non potest, etiam per diligentissimum, & potest esse, quod aliquis casus sit fortuitus respectu unius, & non respectu alterius, ut incendium domus est casus fortuitus respectu illius, qui per illud passus est damnum suorum, & alienorum bonorum, quia nullo modo fuit eius conscius, sed non respectu illius, qui dolo, aut culpa incendit.

Cuius periculo res pereat.

Quibus suppositis dico primo, quod si res ita data fuit, ut translatum sit eius dominium, ut in mutuo, & in emptione, & uenditione, quomodocumque pereat, eius domino perit, & ita soluendum est pretium rei emptæ, & restituendum est, quod mutuo acceptum fuit, etiam si furto sine ulla eorum culpa fuerint eis sublata, quia fuerunt effecti eorum domini. Dico secundo, quod si non est translatum eorum dominium, ut in deposito, commodato, & pignore, nemo tenetur de damno, quod casu fortuito contingit, nisi in tribus casibus quos ponit Nauar. Primus, quando culpa præcedit, ut qui æquum sibi usque ad Bononiam accomodatam, duxit Mediolanum, & post Bononiæ transitum, incidit in latrones, qui ei illum rapiunt. Secundus, cum mora præcedit, & fit deterior, aut perit aliter, quam perisset, apud commodantem. Tertius, cum fit pactum, quod quamuis casu fortuito amitteretur, pereat ei, qui recipit. Dico tertio, quando contractus fit in fauorem, & utilitatem solius alterius contrahentium, ut commodatio gratuita libri, uestis, ille regulariter tenetur de dolo, & culpa, lata, leui, & leuissima, aliàs non tenetur nisi de dolo, & lata culpa, & si fit in fauorem, & utilitatem utriusque; uterque tenetur de dolo, & lata, & leui culpa, ut ex Decio, inquit Nau.

Peccata ratione depositi.

Quibus præmissis ratione depositi. Primo, peccat, qui deponit rem in numero, pondere, uel mensura consistentem, cum facultate, ut ea utatur, cum pacto, aut intentione principali, ut aliquid

quid inde lucri habeat, quia depositum sic conuertitur in mutuum, ex quo uult lucri, quod est usura. 2. peccat depositarius, qui non uult reddere depositum deponenti quando illud petit, nisi cum deponens in suum, uel alterius danum repeteret; ut si quis deposuisset arma, & furens illa, ad se, uel alium lædendum repeteret, uel nisi bona deponentis essent publicata, siue confiscata, uel etiam apud eum sequestrata, & nisi essent sua, ut quia latro apud eum a quo furatus erat, deposuit. 3. peccat depositarius si non uult satisfacere pro deposito, dolo, uel eius lata culpa amisso, at si esset amissum leui ipsius culpa, non teneretur, quia regulariter depositum fit gratia solius deponentis, uerum si ob custodiã aliquam mercedem accepit, tenebitur etiam si sua leui culpa amittatur, non autem si leuissima, uel casu fortuito, nisi præcesserit mora in restituendo, uel pacto, quod ad id eum obliget; tenebitur etiam de leui, quando depositum factum est gratia depositarij. 4. peccat si utitur deposito contra uoluntatem deponentis, sicut dicemus de pignore.

Ratione pignoris peccat. Primo creditor, qui utitur pignore, cum notabili danno debitoris, absque eius uoluntate expressa, uel tacita, & est furtum, quod si cum eius uoluntate expressa, aut tacita utatur, est usura, nisi sit usus, qui gratis inter amicos cõcedi solet, qualis est libri. 2. peccatur si fiant pacta, quæ uergant in danum creditoris, uel debitoris, quia est contra iustitiã, ut si fiat pactum, quod debitor obligetur ad nunquam redimendum pignus, uel usque ad certum tempus sibi prefixum, uel quod creditor obligetur ad non uendendum pignus post legitimam interpellationem debitoris, uel quod illud uedere possit absque notificatione. 3. peccatur si datur, uel accipiuntur in pignus ea, quæ pignorari non possunt, ut libri, uestimenta, & ornamenta ecclesiastica, nisi id fiat ex magna necessitate, puta redemptionis captiuorum, subuentionis pauperum, uel aliorum operum ecclesiæ multum necessariorum. 4. si creditor non uult satisfacere pro pignore, dolo, uel eius lata, aut leui culpa amisso, aut notabiliter damnificato.

Ratione comodati. Primo, peccat comodatus, qui ante tempus constitutum, a comodatario, id quod ei comodauit, contra eius uoluntatem, & cum eius notabili danno repetit, & tenetur satisfacere pro danno, quod Ang. & Sylu. limitant eum in conscientia non teneri, quando tantummodo danni pateretur, nisi repeteret, etiam si comodatarius aliàs sine re comodata, sibi prouidere non potuisset, quia potius ex mea re mihi debeo consulere; nec comodatarius potest dici deceptus, ex quo aliàs sibi prouidere nequiuisset. Nau. hanc limitationem non admittit, tum quia, c. 1. de comod. & l. in rebus. ff. com. ex quibus probatur non posse ante tempus repeti, indistincte loquuntur:

tum

Peccata ratione pignoris.

Peccata ratione comodati. Angel. & Sylu. V. comodatum.

Nauar. in Man. c. 17 nu. 183.

tum etiam, quia licet cæteris paribus quis sibi magis, quam alteri obligetur, hic cætera non sunt paria, quia commodans sua voluntate propriæ rei vsum alteri concessit, & suam fidem seruare tenetur; Vtraq; sententia est probabilis; at si res non fuisset commodata ad certum usum, & ad certum tempus, (quod uocatur præcarium) potest repeti quodcumque, sed peccat repetens absq; causa, & cum damno alterius, quia id dolo facere uidetur.

2. peccat commodans alicui scienter rem uitiosam, & non dicens ei uitium, & tenetur de damno propter id sequuto commodatario, secus si uitium dixit, vel ignoranter fecit.

3. peccat commodatarius si utitur re commodata ad alium usum, quam acceperit, contra uoluntatem domini.

4. peccat etiam si non vult satisfacere pro damno, quod dominus patitur, ex eo, quod res commodata fuit amissa, vel deterior effecta, quando ad id tenetur. Pro quo notandum est, quod si rem commodatam recipit gratia sui tantum, ut communiter accidit, & perit, uel deterioratur, tenetur de dolo, & culpa lata, leui, & leuissima, sed non de casu fortuito, si non fuit in mora, cap. unico de Commod. si autem recepit gratia dantis tantum, ut uestes præciosas, ut ad eum ornatio accederet, ad illum honorandum, tenetur tantum de dolo, & culpa lata, at si recepit gratia utriusq; ut uasa argentea, & similia, ad splendide aliquem dominum, uel amicum communè excipiendum, tenetur de dolo, & de culpa lata, & leui, sed non de leuissima, quod non est speciale in commodato, sed generale etiam alijs contractibus, ut dicit Abbas, & est communis sententia, a qua recedit Sotus, asserens commodatarium non teneri de damno, eius leui culpa dato, quæ in foro conscientiæ ad mortalem non peruenit; cui benè respondet Nau. pro communi, quod hæc obligatio non tam descendit ex peccato, quam ex natura contractus, Non tenetur autem de damno, si res commodata sine eius culpa perijt, aut deterior est effecta solo usu ad quem commodata fuit, secus si alio usu, at si in conscientia (ut cum Ang. inquit Nau.) res eodem modo apud dominum fuisset peritura, non tenetur nisi ad interesse, quod dominus passus est propter moram.

Cuius periculo periret.

Abb. in c. unico de comod. Sot. lib. de iust. & iur. q. 7. ar. 3. Nau. c. 27 nu. 84.

Ang. V. comodatum. §. 14

Demissis per nuncium.

Alia est ratio mutui.

Si commodatum, pignus, depositum, & locatum, mittatur per nuncium communiter habitum pro fideli, & eius dolo, aut culpa perijt, non tenetur de damno; secus si mittatur res mutuo accepta: & ratio differentiæ est, quia ea, quæ pereunt, regularitè suo domino pereunt, at dominium eorum, quæ commodantur, pignorantur, deponuntur, locantur, ut domus, bestia, & similia, non

non transijt in accipientem, sed manet, & sunt eorum qui commodant, pignorant, deponunt, aut locant, & ideo quomodocunq; pereant eidem pereunt, nisi dolo, culpa, pactum aut mora præcedat, quorum nihil interuenit in missione illarum rerum per nuncium communiter ad illas ferendas pro fideli habitum. In mutuo autem transfertur dominium eorum, quæ mutuuntur, quia est de his, quæ usu consumuntur, ut dicemus, & propterea licet mittantur per nuncium fidelem, & diligentem, si actu non perueniunt ad eum quibus mittuntur, & nuncius non fuit missus aut electus ab eo, qui mutuauit; si pereunt, illi qui mutuo accepit pereunt, quia donec peruenerint ad eum, qui mutuauit, eorum dominium est penes ipsum.

Ratione locationis, & conductionis. Primo, peccat, qui rem aliquam locauit pensione accepta, & non vult illam, uel partem reddere quando conductor non potuit ea uti, sine sua culpa. Si conductor non potuit uti re locata, propter locatoris uoluntatem, locator tenetur conductori ad interesse; si per casum fortuitum locatoris, uel rei locatæ, ut quia ex culpa locatoris fundus fuit publicatus, uel quia domus corruit, pensio remitteretur pro rata. At si stat per conductorem quominus ea utatur, uel ob eius culpam, tenetur soluere integram pensionem; & etiam tenetur si hoc accidit ob casum fortuitum conductoris, quando locator alteri locando, mercedem habuisset, aliàs non.

2. peccat locator, si non vult minuere pensionem propter rei sterilitatem sine culpa conductoris superuenientem, quam non compensat fertilitas anni præcedentis, uel sequentis, & è contra, sicut remissio fit propter fortuitam sterilitatem, ita etiam potest augeri pensio si augeatur fertilitas casu fortuito, ut quia alia molendina sunt destructa meum plus fructificat, at si augeatur per industriam coloni, uel quia fructus plus ualent, non potest augeri pensio, sicut nec remitteretur propter coloni negligentiam, uel si fructus parum ualerent.

3. peccat, qui domum suam in certum tempus locauit, & ante præfinitum tempus illam vult, expulso colono, uel inquilino, nisi adsit una ex quatuor causis. Prima, quando locatio facta fuit in longum tempus, ad minus in quinque annos, & in duobus primis annis non soluit pensionem, aut quando facta est in minus tempus, & non soluit die prestituto, nec celeriter satisfacit.

2. cum ad suam habitationem propter aliquam necessitatem superuenientem, ea opus habet, quæ ut contra Syllu. inquit Nau. potest superuenire etiam locanti, qui aliam domum non habet quando locat, ut si cum alio degebat, & postea

De peccatis ratione locationis.

Nau. cod. cap. 27. nu. 193.

stea

stea uxorem duxit, & cum ea separatim ipsi uiuendum sit, at si cōmodè aliter sibi prouidere potest, non dicitur necessitatem habere. Tertia, quando domus indiget refectioe, qua tempore locationis non indigebat. Quarta, quando conductor abutitur ea, etiam absque illius damno, recipiendo meretrices, lenones, & huiusmodi homines, quo casu nihil ei de pensione remittere tenetur, at si ea malè utitur, & cum damno, ut fues in cubicula introducendo, arbores cædendo, agrum idoneo tempore non colendo, debet pro rata dimittere de pensione, sed potest in iudicio petere damna. Quarto peccat, locans rem æstimatam periculo conducentis, quo ad perditionem, & deteriorationem, quia hoc est in fraudem usurarum, & non est uera locatio, nam locator rem suo periculo tradit, quia non transfertur dominium. Quinto, qui locat ea, quæ locari non possunt, aut ultra tempus ei concessum, ut si locetur officium ecclesiasticum, uel bona Ecclesiæ ultra triennium. Sexto peccat, locans rem uitiosam pro bona scienter, & tenetur conductori de damno, & tenetur etiam si ignoranter locauit pro bona, non enim debebat dare pro bono, quod nesciebat esse bonum, at si dedit simpliciter dicendo credo esse bonam, tu uide, non tenetur, hoc tamen non excusaret, si sciret esse uitiosam, & uitium esset occultum. Septimo, peccat, qui suam domum, aut aliam rem locauit ei, quem putabat ea ad mortale peccatum abuturum, ut qui locat arma ei, quem putat uelle interficere, uel alium iniuste percutere, aut locat domum suam ad usuras in ea exercendas. Sed dubium est an possint locari domus meretricibus in ea parte Ciuitatis illis destinata, de quo multi dubitarunt. Sed dicimus licere, nam meretrices licite à publica potestate permittuntur ad euitanda maiora mala, & cum permittantur, sanctè etiam statuitur, ut non habitent ubicumq; uoluerint, sed in certo aliquo ciuitatis loco, ut eorum pestis minus serpat, & tollatur honestis personis peccandi occasio, & consequenter, qui habent domus in illa parte ciuitatis, nō poterunt eas locare personis honestis, sed coguntur, & licitè possunt eas locare meretricibus, cum & ipsæ licite cogantur ibi manere, nec est iustum, quod priuentur earum redditibus; accedit, quod hoc ubiq; fit etiam Romæ, Papa sciente, & tolerante, & quod confessarij absoluunt, & semper absoluerunt earum locatores, sine proposito abstinenti à tali locatione. Octauo, peccat conductor damnum rei conductæ inferens, pro quo etiam satisfacere tenetur si dolo, lata culpa, uel leui, sua, uel suorum illatum fuit.

De locantibus domus meretricibus.

Quid

De Vsura.

Quid, & quotplex sit Vsura, & quod sit essentialiter mala. Cap. IIII.

Cum Vsura committatur in mutuo, & reperiatur etiam palliata in emptione, & uenditione, prius de ipsa agendum est, ut eius postea palliatio in contractibus genere suo, licitis detegi possit. Dicitur autem usura ab usu, & significat fructum, qui ex usu rei habetur, & in bonam, & malam partem accipitur, sed ex accommodatione usus, & ut de illa modo loquimur, accipitur in malam partem, & sic definitur potest. Vsura est lucrum pecunia æstimabile, quod principaliter ut mutui, ueri, uel palliati quæritur; usura enim, ut est nomen uitij, non est lucrum ex usu cuiuscumq; rei traditæ, sed illud, quod habetur ex usu rei mutuo traditæ; & ubi non est mutuum, uerum, uel palliatum, non est usura.

Vsura unde dicitur, & quid sit.

Est autem mutuum actus, uel contractus, quo quis rem cuius usus est eius consumptio, secundum quod ordinatur ad talem usum, concedit alteri, transferendo in illum non tantum eius usum, sed etiam dominium, illo tamen obligato ad reddendum post lapsum temporis idem in genere, & æquiualens, uel tantundem in numero, pondere, & mensura; mutuum enim consistit in rebus usu consumptibilibus, quæ sunt triplices, quædam enim traduntur sub certo numero, ut pecunia; quædam sub certo pondere, ut aromata, metalla; quædam sub certa mensura, ut granum, uinum, oleum, & similia; de quibus possunt etiam fieri alij contractus, nam possunt donari, uendi, permutari, & possunt concedi non ad proprium usum, sed ad alium, ut ad ostentationem; sed modo loquimur de earum mutuo, aliæ autem res quarum usus distinguitur à dominio, propriè non mutuuntur, sed locantur, uel (si gratis conceduntur) accommodantur, non enim dicor uestimentum meum tibi mutuare, si illud tibi gratis ad tempus concedo, sed accommodare, quia illius usus nō est consumptio, licet ad consumptionem disponat, & dum eo uteris dominium est penes me, & idem prorsus numero mihi restituitur, quia concedendo illius usum, non transtuli dominium. Licet autem in alijs rebus quarum usus à proprietate distinguitur, non sit propriè ratio mutui, sed de illis fiant alij contractus, ut emptionis,

Mutuum quid.

B per-

Mutu-
palliatum.

permutationis, commodati, locati, pignoris, potest tamen in eis esse mutuum palliatum nomine aliorum contractuum in fraudē usurarum, mutuum enim palliatum est, quod secundum suam formam apertam, & contrahentium uerba, est alius contractus, quam mutui, secundum uero latentem formam, & contrahentium mentem, ueram, uel præsumptam, est mutuum; quale est omnis contractus alius à mutuo, quo quis minoris iusto pretio infimo emit aliquid propter anticipatam solutionem, & è contra, quo quis aliquid uendit maioris pretio iusto supremo, propter dilatam solutionem, quia in effectu ille qui emit, uidetur mutuare pretium, quod dat, & illud minus iusto pretio, quod dare deberet, accipere pro usura; & qui uendit uidetur mutuare pretium rei, quam uendit, accipiendo illud plus iusto pretio quo res uendita ualet, pro usura; Et ita duplex est usura, uera quæ in uero mutuo, & palliata, quæ in palliato uersatur. Diuiditur etiam usura in realem, & mentalem, quia cum contractus in se sit licitus, mens potest esse deprauata, potest etiam diuidi in ueram, præsumptam, & quia prohibita, & ita contractus tripliciter potest dici usurarius. Primo, uerè, & proprie secundum suam formam. 2. quia præsumitur usurarius, licet habeat formam contracti liciti, ut contractus assurationis, uenditionis cum pacto de retrouendendo, & interesse, sed fiunt etiam sæpe sine ulla fraude. 3. quia est prohibitus tanquam usurarius, nam licet aliquis contractus habeat iuris præsumptionem contra se, tamè quia potest etiam sine fraude fieri, hoc quæsito colore, ut plurimum fraudulenter, & in fraudem usurarum fit, ob quam causam Papa illum aliquando, ut usurarium prohibet, & rescindit, quo casu nullo modo fieri potest; & etiam si esset sincere factus, est rescindendus, ut usurarius, qualis est modo contractus societatis in quo asscuratur a socio capitale, uel certa quantitas fructuum. Sicut etiam dicimus de Simonia, quod duplex est, uel uera, uel quia prohibita.

Usura est
essentiali-
ter mala.

Ex quibus facile probatur usuram esse essentialiter malam, & natura sua peccatum mortale; pro quo notandum est, quod licet res, & eius usus, natura sua differant, tanquam ad diuersa predicamenta pertinentia, nihilominus res in ordine ad earum usum, sunt in duplici differentia (ut diximus) quædam sunt quarum usus, sic ab eis distinguitur, ut retento dominio, possit concedi solum earum usus, quia earum usus, licet ad corruptionem disponat, non tamen in earum corruptione consistit, huiusmodi sunt fundus, domus, equus, uestis, & similia; & ideo talium rerum potest

test locari usus, retento dominio, & è contra potest transferri dominium, retento usu; quædam aliæ res sunt, quarum usus in earum consumptione consistit, ut est uinum, frumentum, oleum, &c. huiusmodi etiam est pecunia, quæ secundum Philosophum principaliter inuenta est ad commutationes faciendas, & eius proprius, & principalis usus est, eius consumptio, seu distractio, qua tenus in commutationibus expenditur; & istæ res mutuo datur, nec potest concedi earum usus, retento dominio, sed necessario cum eo transferendum etiam est illarum dominium, aliàs enim, nihil conceditur, si enim aliquis concederet alicui uinum, ita tamen, quod non bibatur, uel panem, ita ut non comedatur, uel pecuniam, cum hoc, quod non expendatur, non concederet eorum usum, sed seruanda traderet, nam eorum usus consistit in hoc, quod bibitur, comeditur, expenditur; ac proinde in mutuo simul cum usu necessario transferendum est dominium, & consequenter non est aliud pretium istarum rerum, & aliud earum usus, qui igitur ex mutuo uult aliquid ultra sortem, uel eandem rem bis uendit, uel nouo pretio uendit usum, qui præter rem, nullius est pretij, quod est contra naturam, nam usus rei non ualet nisi quantum ipsa res, quæ usu consumitur, & usus, & rei, non sunt duo pretia, sed unum, & idem. Ex quo fundamento aliæ etiam deducuntur rationes, quibus probatur usuram esse contra naturam, nam cum ui mutui transferatur dominium, cum sola obligatione restituendi æquiuales, iniustum est uelle, quod qui mutuo accipit, aliquid etiam soluat pro usu rei, quæ non est amplius sua. Præterea res, quæ mutuo datur non est nata fructificare, quia usu consumitur, ergo uelle aliquem fructum ex eius usu, prout fit in usura, est contra naturam rei.

Et si obijciatur, quod pecunia hominis industria nata est fructificare, sicut & cæteræ res, quæ non nisi hominis industria fructificant, & propterea eadem ratione qua accipitur aliquid pro usu cæterarum rerum, poterit etiam accipi aliquid pro usu pecuniæ mutuo datæ. Respondetur esse diuersam rationem, nam licet aliæ res fructificent mediante hominis industria, nihilominus natura sua ipsis manentibus fructificant, & ut fructiferae possunt earum usus sine proprietate locari, at res mutuabilis non fructificat ipsa manente, sed per sui corruptionem, nam semina nisi corrumpantur non fructificant, & pecunia ex se nullum fructum affert, & si hominis industria affert, non nisi per sui distractionem, & dominij translationem, quare fructus rei mutua-

Responso.

ta, accedente hominis industria, non est ex usu rei, ipsa manente, sed est ex rei corruptione, unde non potest concedi usus, sine rei dominio, nec rei dominium, sine usu, nec consequenter præter pretium rei, potest etiam accipi pretium vsus illius. Et si dicatur, quod res mutuanti erat eius industria fructifera, qui illo fructu priuatur, per hoc, quod rem mutat, ergo saltem hac ratione poterit ab eo, cui mutuo dat, aliquid pro illius etiam vsu accipere. Respondetur, quod hoc casu, id quod ultra sortem accipitur, non est ratione mutui, aut usus rei mutuata, sed ratione lucri cessantis, quod licet, concurrentibus debitis circumstantijs, nam vsura est lucrum ex mutuo.

Obiectio. Sed posset obijci, quia lex diuina uidetur in aliquo casu, concedere usuram, nam Deut. 23. dicitur, Non senerabis fratri tuo ad usuram, sed alieno, leges etiam ciuiles illam concedunt, ut patet totis titulis de usura ff & C. Respondetur, quod accipere usuram ab extraneis non fuit iudæis concessum, tanquam licitum, sed fuit permixtum, ut. s. propter hoc non punirentur pœna temporali, & hoc ad euitandum maius malum, ne. s. a Iudæis Deum colentibus, usuras acciperent, propter auaritiam cui dediti erant, quomodo permittuntur etiam meretrices, & multa peccata hic impunita remanent, sed non propterea sequitur, q̄ bene fiant, unde Prophetæ simpliciter prohibuerunt usuram.

Solutio. Ex quo patet grauiter illos errasse, qui dixerunt iudæis ex dispensatione diuina licuisse dare extraneis ad usuram, Deus enim nõ dispensat contra ius naturale. Eodem modo responderur ad leges ciuiles, quæ illam permittunt, non tanquam licitam, sed ad euitandum maius malum, quæ etiam per alias leges ciuiles superuenientes reuocata fuerunt, & ita usura est contra omnem legem, naturalem, diuinam, utriusq; testamenti, canonicam, & ciuilem.

Est contra omnem legem. Cum autem usura sit lucrum ex mutuo, infert Caietanus, q̄ si pecunia non mutuetur, sed accomodetur, locetur, aut uendatur, & inde aliquod moderatum pretium accipiatur, non erit usura, quia illud lucrum nõ est ex mutuo, ut si quis accomodet alicui pecuniam ad ostentationem faciendam, uel aureas pecunias, ad ponendum in balneo, uel iure, uel illas uendat pro argenteis, & inde uelit aliquod moderatum lucrum, nam pecunia in istis contractibus non mutuat, sed quasi res quædam accomodatur, locatur, uenditur, quemadmodum, & aurum non monetatum, gemmæ, iocalia, & huiusmodi, possunt honesto lucro accomodari, locari, & uendi.

Ex

Ex definitione etiam usuræ sequitur, quod non quodcumq; lucrum ex mutuo quæsitum facit mutationem usurariam, sed illud, quod suapte natura est pecunia æstimabile, si ergo id, quod queritur non sit pecunia æstimabile, non est usura, ut si quis mutuet alicui, ut illi fiat amicus, amicitia enim non est suapte natura pecunia æstimabilis, nec eadem ratione est usura si quis mutuet, ut aliquid spirituale consequatur, quo casu non usura, sed simonia committitur, quæ etiam potest dici usura simoniaca, nã uerè utramq; iniquitatem continet; ut enim inferius dicemus, cap. 6. conc. 3. causa quare mutuare principaliter propter amicitiam acquirendam non sit usura, non est, quia non est pecunia æstimabilis, sed quia ex ui mutui suapte natura sequitur. Si etiã id quod ui mutui queritur, non sit uerum lucrum, sed res propria, quæ alia uia recuperari, uel conseruari non possit, non est usura, ut si quis ad suam iniustam uexationem redimendam mutuet alicui comminanti sibi, ut sic liberet se à multis sumptibus, quos ad sui defensionem facere oportebit, uel mutuet, ut suum, quod petens mutuum detinet, recuperet. At cum ui mutui lucrum aliquod, uel minimum pecunia æstimabile queritur, est usura, ut c. 6. fusius explicabimus.

De quatuor causis ob quas licet aliquid a mutuuario ultra sortem accipere, ratione scilicet donationis, pœnæ, damni emergentis, & lucri cessantis.

Cap. V.

Quatuor tamen de causis licet aliquid ultra sortem à mutuuario accipere, quia non accipitur ui mutui, sed alia ratione. Prima est, si ex mera liberalitate datur, & illo etiam animo recipitur; at si datur uel recipitur, propter mutuum, est usura mentalis. Sotus dicit, quod etiam intentio minus principalis, & secundaria aliquid lucrandi ex mutuo, sufficit ad constituendam usuram. Sed cum Glos. Innoc. Nau. & communi, hoc falsum esse dicimus, nam sicut intentio minus principalis non sufficit ad incurrendam simoniam, ita etiam non sufficit ad usuram; unde qui mutuat principaliter ad comparandam amicitiam, & gratiã mutuariatij, expectando etiam aliquod lucrum pecunia æstimabile ex eius amicitia, & gratitudine, tanquam quid gratuitum, ex libera eius, qui recepit uoluntate prouentum, non committit usuram, nam licet mutuare ex amicitia, & etiam ad acquirendam

Lucrum usurariũ, quod.

De prima causa, quæ est donatio.

Sotus. lib. de iust. & iure. q. 1. ar. 2.

Glos. & Innoc. uoc. in ca. de vsur.

Nauar. in Coment. de vsuris. not. 10.

nu. 19. Intentio secundaria nõ sufficit ad usuram.

sufficit ad usuram.

B 3 ami-

amicitiam, propter rationem, cap 6. dicendam, & expectare lucrum ex mutuo mediante amicitia, & gratitudine, est illud principaliter ex amicitia, & libera uoluntate grati animi expectare, & secundo ex mutuo. Nec obstat si quis ita mutuet cum tali spe lucri, quod sine illa non mutuaret, dummodo (ut diximus) illa spes lucri non sit finis principalis mutuandi, sed amicitia, uel amor Dei, uel uirtus; nam ut aliquis finis sit principalis alicuius actus non sufficit, quod sit causa, sine qua non fieret ille actus, sed oportet, quod ille finis plures, uel tanti aestimetur, ac alius finis propter quem sit ille actus, sicut patet in illis (ut etiam dicit S. Tho.) qui celebrant, aut ad diuina officia accedunt principaliter propter Deum, & minus principaliter propter distributiones, quas nisi lucrarentur, non celebrarent, nec ad diuina officia accederent, & non propterea sunt simoniaci. Ad usuram, igitur mentale constituendam, requiritur, quod intentio lucri ex mutuo, sit principalis; quod si quis principaliter propter lucrum mutuauit, & postea peccatum suum agnoscens, illam intentionem mutauit in intentionem minus principalem accipiendi, & gratis datum accepit, peccauit quidem mutuo, sed non peccat accipiendo, nec tenetur restituere acceptum, quia non recipit principaliter propter mutuum, ut dicit Ric. Ang. & Nau. Si autem ille, qui mutuat non principaliter ob lucrum, aliquid a mutuario accipit bona fide, existimans illud sibi amantem, & gratis ab eo dari, quod tamen dat non tam ob gratitudinem, quam ob timorem, ne nisi det, pecunia repetatur, uel sibi alia uice mutuum denegetur, non peccat accipiendo, quia bona intentione sibi datum credit, at cum illi constat de eius intentione, tenetur restituere, & si a principio credebatur sibi dari non libera, sed coacta uoluntate, peccauit accipiendo, etiam si ex sola charitate mutuaasset, quia est usura mentalis ex parte mutuatarij. Ad cognoscendum autem an mutuatarius libera, uel coacta uoluntate moueatur ad dandum illud plus, coniecturis moueri debemus, & attendenda est qualitas personæ, an sit notabiliter pauper, qualitas rei data in lucrum, damnum, quod pateretur; mutuatarius ex restitutione pecuniæ, quantum illa pecunia negociando lucretur, an indigeat frequenter ab eo mutuo accipere, attendenda etiam est liberalitas mutuatarij ex uirtute, uel naturali conditione, an soleat esse gratus erga illos a quibus recipit beneficia. An mutuans soleat egre ferre quando mutuatarij nihil ei donat, & citius repetere mutuatum, & an tempore mutationis uerbis, uel gestibus significauerit se aliquid desiderare

re

Solutio
obiectio-
nis.

S. Thom.
quodl. 8.
ar. 12.

Potest
mutari in
tentio.
Rich. 4. f.
d. 15. ar. 5.
Ang. V.
Usura 1.
S. 1.
Nauar. in
cod. com.
nu. 21.

Coniectu-
re ad iudi-
candū de
principali
intentione.

re ultra sortem. Et licet confessor in foro conscientie debeat credere cuilibet pro se, & contra se, nihilominus debet has coniecturas inquirere, tum quia ex illis potest cognoscere an penitens sicte accesserit, tum etiam, quia potest contingere, quod penitens bona fide aliquid tanquam donatum acceperit, & quod eius credulitas sit indiscreta cum potius debuerit credere contrarium. Verum sicut intentio minus principalis excusat mutantem, ita etiam excusat mutuatarium, si igitur asserit se libere donare, & non propter mutuū, qui mutuauit potest accipere, quod ei ex liberalitate donatur, & illa signa possunt esse signa causæ sine qua non, & non principalis intentionis, sed quia possunt etiam esse huius, debet reculare donatum, & eius restitutionem offerre, & si asserit se libere donare, uel donasse, potest illi credere, acceptare, & retinere, nisi aliunde ei constet de illius principali intentione, ut si alteri illam manifestasset.

Secunda causa ob quam licet aliquid ultra sortem recipere, est ratio pænæ in mutuo appositæ, nisi infra tale tempus, quod mutuo acceptum est, restituatur: dummodo pænâ sit appositâ non spe lucri, sed ut timore eam incurrendi, qui mutuo accepit, statuto tempore soluat; & pænâ non imponatur ei, qui iam a principio creditur; quod eodem tempore soluere non poterit, nec ab eo exigatur, qui sine sua culpa per impotentiam soluere non potest, ubi enim non est culpa, non debet etiam esse pænâ, & soluta parte debiti, non exigatur tota pænâ, quando est diuisibilis.

Tertia causa est ratio damni emergentis. Quarta causa est ratio lucri cessantis, exemplum damni emergentis sit, habeo pecunias quibus reficiam domum ne corruat, aut quibus aestate emam triticum in totius anni alimenta, aut debita mea soluum, quas tibi mutuo, sed quia illas ad præstitutum diem non soluisti, domus concidit, triticum duplo carius emi, interesse debitoribus meis soluo, aut res meas uilius uendo, ut illis satisfaciam, hoc damnum, quod patior ex hoc, quod statuto die non soluisti mihi meas pecunias, dicitur interesse damni emergentis. Exemplum lucri cessantis, sum mercator habeo pecunias quibus uolo emere merces ad negociandum, & eas tibi mutuo, sed quia die præfixo non restituisti, non possum emere merces, hoc lucrum, quod ob id facere cesso, dicitur interesse lucri cessantis; & mutuans, tam ratione damni emergentis, quam ratione lucri cessantis, potest aliquid ultra sortem accipere, ut suo damno satisfiat, decet enim mutantem se in demnem seruare.

Verum aliqua conditiones requiruntur, ut percipi possit in-

B 4 tereffe

Secunda
causa est
pænâ, &
quâdo ha-
beat locū.

De dam-
no emer-
gente.

De lucro
cessante.

Contra.
tract. 2. de
cont. q. 30
Sylu. v. usu
ra. l. q. 19.
Venditio-
nes pro in-
teresse nō
necessa-
riæ.

teresse damni emergentis, uel lucri cessantis, sed non tot quot ponunt Conradus, Sylu. & alij; pro faciliori explicatione adducemus prius non necessarias, ut illis reiectis necessariae melius intelligantur. Prima est, ut mutuans non sit dandis usuris assuetus, quæ non procedit in foro conscientia, in quo ueritas præualet præsumptioni, & fieri potest, ut quis in alijs sit usurarius, & non in hoc. Secunda, ut mutuarius non egeat extreme, quæ etiam non uidetur necessaria, quia nō tenetur ex præcepto subuenire illi gratis, & donare, sed si est spes, quod ille sit peruenturus ad pinguiorem fortunam, satisfacit mutuando, ut cum potuerit soluat acceptum, cum interesse, quod ipse patitur, & mutuare sine interesse, esset donare. Tertia, ut mutuans ob hoc non incurrat infamiam usurarij apud simplices, existimantes illud interesse ob similitudinem, usuram esse, cum omnis species mali sit fugienda, quæ conditio quamuis sit necessaria ad euitandum peccatum scandali, non tamen ad euitandam usuram, & obligationem restituendi, quæ nascitur ex sola iustitia. Quarta, ut non recipiat interesse prius quam labatur tempus intra quod illud uerisimiliter lucrifacere fuisset, quia subrogatum debet subire naturam, seu conditionem eius cui subrogatur, & id quod accipitur pro interesse subrogatur ipsi interesse, quod nō percipitur ab initio mercium, uel prædiorum emptorum, sed postea tempore messis, uel uindemia, & quando uenduntur merces. Sed, ut bene considerant Io. Med. & Nau. interesse lucri uerisimilis à principio conueniunt, potest accipi, etiam si in fine dum recipitur, constet nullum lucrum factum fuisse, arg. cap. in Ciuitate de usuris. His igitur conditionibus relictis dicimus quatuor solum esse necessarias. Prima est, quod hic modus lucrandi non tantum placeat mutuanti quantum negociatio, sed malit negociando lucrari, tamen ut satisfaciat amico, & in subsidium necessitatis, uitæ, salutis, honoris, aut bonorum proximi sic mutuet, hanc conditionem Nau. inquit non esse necessariam, nulla enim lege, uel ratione probatur, quod unus modus lucrandi de se iustus, fiat in iustus ex sola uoluntate æque libenter utendi eo, ac alio, etiam meliore; nam iustum, & iniustum nō consistit in bonitate, aut prauitate animorum, sed in rerum, & operum externorum æqualitate, & in æqualitate: Verum ista ratio Nauarri secum solutionem assert, & contra ipsum militat, nam mutuare non est modus lucrandi iustus, sed iniustus, & qui mutuando licite lucratur nō est ratione mutui, sed quia propter mutuum cessat à licita negociatione, cui ergo placet ille modus lucrandi, & cessat à negocia-

Med. Cod
de rebus
per usura
acquistus
q. 3.
Nau. in d.
Com. de
Usuris nu.
53. & in
Man. c. 17
nu. 212.
Quatuor
conditio-
nes neces-
sarie.
Obiectio
Nau.
Solutio.

tionem, ut mutuando lucretur, quærit lucrum ex mutuo, & est usu rarius, ad euitandam igitur usuram necesse est, ut ratio cessandi à negociatione, si idem lucrum quæritur, sit non mutuum, sed pietas ad mutuandū inducens; & ille mercator, qui ita habet pecuniam paratam ad negociandum, ut etiam paratus sit illam dare cum eodem lucro ratione interesse cuiq; mutuo petenti, est usurarius, quia illam habet indifferenter paratam ad lucrandum mutuo, & negociatione, quare Nauarrus hanc conditionem reijcens, nimis fauet usuris, de quo etiam inferius, cap. 7. Secunda conditio est, quod interesse sit uerum, uel saltem probabile, si à principio de illo conuenitur. Tertia, quod mutuatio, uel non solutio sit causa amissionis lucri, uel damni. Quarta, ut non accipiat, nec paciscatur totum interesse, quod uerisimiliter expectatur, sed solum tantum quantum ualet illa uerisimilis expectatio, attentis expensis, & periculis, de quo plura inferius, ca. 7.

De Usura circa mutua octo conclusiones ad decidendos
casus particulares. Cap. VI.

VT ad casus particulares descendamus, & ut methodicè, & scientificè ad similes etiam decidendos procedamus, quasdam generales conclusiones adducemus, quarum Prima sit. Ad committendam usuram, satis est, quod qui mutuat, ui mutui consequatur, uel principaliter speret, aliquod temporale lucrum, etiam si ille, qui mutuum accipit, nullum incommodum patiatur, & etiam si mutuantis commodum ab alijs personis proueniat, & non ab illa, quæ mutuum accepit, & etiam si non suum, sed pauperis commodum quærat, deducendo in pactum, quod ei detur elemosyna. probatur Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* quod partim est consilium, partim præceptum; consilium est mutuum dare, at quod ex mutuo nihil speretur, est præceptum; probatur etiam conclusio ex definitione usurae. Ex qua conclusione soluntur sequentes casus, ab omnibus communiter positi, Petrus rogat Paulum, ut sibi mutuet, Paulus consentit, sed cum sit artifex, deducit in pactum, uel etiam sine pacto, cum principali intentione, ut a se emat merces quas emere uult, iusto pretio, imo uiliori eo, quo ab alio emeret, uel ut apud eum frumeta molat; est usura realis cum pacto, & mentalis cum sola principali intentione, quia licet ille, qui mutuum accipit, nullum inde detrimentum patiatur, imo sit cum eius commodo, & utilitate, quia merces eiusdem boni-

Prima cō-
clusio.

Exempla

bonitatis uiliori ab eo pretio habet, quam ab alio; nihilominus ille, qui mutuatur, ex mutuo uult temporale commodum pecunia æstimabile, s. uenditionem suarum mercium, & quod eius officina à pluribus frequentetur, unde uidemus, quod mercator uiliori pretio dat suas merces in magna quantitate, quam in parua, imo quod etiam remissiori pretio, quam ualeant, donando emptoribus partem precij, ut emant, quam donationem non faceret nisi propter temporalem utilitatem, hæc autem est, ut habeat emptores suarum mercium. Idem dicendum est de Doctore, qui mutuatur scholari principali intentione, ut eius lectiones audiat, & sic augeatur auditorum numerus, & consequenter eius fama, & stipendium; at si hæc intentio esset secundaria, & principalis esset solum ad acquirendam beneuolentiam, & amicitiam, non esset usura, licet contrarium aliqui affirmant, quia intentio secundaria non sufficit ad usuram, & simoniam, ut diximus, cap. 3. Ille etiam est usurarius, ut ex Host. inquit Nau. qui mutuatur pecuniam argentæam cum pacto, ut ei soluatur aurea, quamuis enim possit pecuniam argentæam aurea, & auream argentæam, cum aliquo lucro emere, & uendere, non tamen potest lucrari ex mutuo, etiam si ille, qui mutuo accepit sine suo incommodo possit restituere auream. Ille quoque, qui sic mutuatur, ut nullum uelit proprium lucrum, sed eleemosynam dari pauperi, est usurarius, quia ultra sortem sibi reddendam, uult aliquid dari tertio, nec excusatur per hoc, quod uult dari pauperi in eleemosynam, quia non licet usuram lucrari etiam ad redimendos captiuos, cap. super eo de Usu. Si igitur est usura uelle lucrum ex mutuo, sine ullo mutuatarij incommodo, & etiam si mutuans non uelit illud pro se, sed pro pauperibus, multo magis erit usura, quando mutuatarius debet soluere lucrum, & mutuanti.

Secunda conclusio. Licet sit usura mutuare principaliter propter commodum temporale uel mutui acquirendum, non est tamen usura uolenti sibi, & alteri commodum facere, quod non potest nisi ei mutuet pecuniam, mutuare, ut illud faciat. Ratio differentiæ est, quia in priori casu mutuum principaliter fit propter proprium commodum, seu lucrum, & est causa lucri, at in secundo casu, lucrum principaliter sequitur ex alio contractu, puta uenditionis, uel conductionis, cuius contractus per se non est causa mutuum, sed secundario: in priori casu intentio principalis est lucrum, in secundo intentio principalis potest esse illius subuentio. Exempli gratia, Si nolenti colere agrum meum, illi mutuo, ut colat etiam iusto pretio, nisi faciam ad redimendam

Nauar. in
Man. c. 17
nu. 226.

Secunda
conclusio.

Exempla.

uc-

uexationem meam, ut dicam in quinta conclusione, est usura: at si uolenti colere, mutuo, ut colere possit, non est usura, sed charitas. Habeo multas lanas quas uendere uolo, si mutuo mercatori indigenti pecunia, ut illas ad tempus emat, usuram committo, quia uel mutui, uolo, quod emat meas lanas, at si mercator uere uellet emere meas lanas, sed non potest, nec etiam ad tempus quia ut ex illis efficiat pannum, propter quotidianas expensas, sunt ei necessariae pecuniae, quas non habet, non committo usuram si illas ei mutuo, simulq; ei lanas meas uendo, nam licet mutuatio sit causa, sine qua non emeret, & emptio sit causa sine qua non mutuarem, tamen mutuatio non est facta principaliter, ut emat, sed cum uellet emere, ut possit ex illis pannum facere, quod non definit esse charitatis ex secundaria intentione uendendi, in foro quidem exteriori præsumeretur usura, sed loquimur de foro conscientiae, ubi attenditur ueritas, & non præsumptio, & ut præsumptio cesset, & ne aperiatur uia usurae, non est sic uendendum nisi charitas suadeat, manifeste q; constet, quod mutuum non fit principaliter propter emptionem, sed ex charitate.

Tertia conclusio. Non est usura mutuare etiam principaliter propter commodum, quod ex natura mutui sequitur, dummodo non quærat maius, & ad euitandum præcise proprium incommodum, quod uel mutui euitatur sine spe lucri, & sine mutuatarij incommodo. Ista conclusio, sicut, & præcedens est declaratio primæ conclusionis, & ad magis declarandam naturam usurae, nam cum usura sit lucrum uelle ex mutuo, & omne commodum, quod ex mutuo sequitur sit pecunia æstimabile, aliqui simpliciter, & uniuersaliter affirmant, quod mutuare propter illud commodum sit usura, qui dum nimis emungunt, eliciunt sanguinem. Nos autem indubitate quidem concedimus, & affirmamus cum communi, non licere ex mutuo lucrum quærere, quia hoc est essentialiter malum, & iniustum, & contra naturam mutui, & rei mutuatae, ut probauimus, cap. 2. Sed cum ex natura mutui sequatur unum commodum, & euitetur unum incommodum, utrumque pecunia æstimabile, propter illa præcise, etiam cum pacto mutuare, dicimus non esse usuram, dummodo nullum maius commodum quærat, quam quod ex mutuo per se sequitur, & ratio est manifesta, quia si uelle lucrum ex mutuo, ideo est usura, quia est contra naturam mutui, uelle commodum, quod ex mutuo sequitur non erit usura. quod explicitius manifestius fiet, mutuum est causa amicitiae, & beneuolentiae, ad illam acquirendam mutuare non est usura, secundum

Tertia cō
clusio.

om-

omnes, qui hanc rationem assignant, quia ad usuram lucrum debet esse pecunia æstimabile, & amicitia non est pecunia æstimabilis; sed ueram rationem esse credo, quia lucrum est contra naturam mutui, & amicitia sequitur ex mutuo. Et confirmatur quia, qui mutuatur, ut beneficium, uel dispensationem obtineat, mutuatur propter rem, quæ non est pecunia æstimabilis, & tamen uerè, & propriè committit usuram, quatenus uel mutui illud consequitur, licet ea ratione qua spirituale est, habeat propriam deformitatem, & dicatur simonia, idem enim actus in genere moris potest esse in diuersis speciebus. Confirmatur etiam, quia pecunia secundum humanum usum, & humanam æstimationem, est pretium etiam illorum, quæ non sunt pecunia æstimabilia, ut fama, uitæ, & restitutio damni in eis illati, fit pecunia. Ex mutuo etiam sequitur, quod mutuarius ex quodam debito honestatis, & amicitia tenetur esse gratus ei, qui sibi mutuando gratiam & beneficium fecit; dicimus ex debito amicitia, quia ex debito iustitia ad nihil tenetur & ratio differentia est, quia debitum iustitia attenditur, secundum quantitatem accepti, & ideo, qui accipit mutuum rei cuius usus est eius consumptio, tenetur solum tantundem reddere: at in debito amicitia magis consideratur affectus quo beneficium confertur, quam id quod datur; ob quam causam ille, qui mutuatur, non potest ex pacto obligare mutuarium, ut sibi etiam uicissim in necessitate mutuet, quia ex pacto oritur ciuilib obligatio, ad quam mutuarius non tenetur, potest tamen sperare, quod non erit ingratus, & ille quoque in necessitate ei subueniet, non ex debito, sed libere, ut amicus, & gratus, & hac spe, & intentione potest induci ad mutuandum, iuxta illud etiam, Mat. 7. *Omnia quæcumq; uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite illis.* Vnde omnes concedunt, quod qui mutuatur potest a mutuuario aliquid, non ut debitum, sed gratis, & libere ex grato animo donatum, accipere, ex quo sequitur, quod ista mutuantis intentio debet esse secundaria, sed principalis potest esse mutuarium sibi amicum, & beneuolum reddere, nam aliàs donum ex parte mutuantis, non ut donum, sed ut mutui lucrum acciperetur. Ex natura etiam mutui mutuans potest euitare proprium incommodum, sine ullo mutuarij incommodo, quod est pecunia æstimabile, & ad illud præcisè euitandum, potest mutuari; dicimus præcisè, quia non potest mutuari ad lucrandum, sed solum ad euitandum incommodum, quod ex natura mutui natum est euitari, quia licet euitatio illius incommodi sit pecunia æstimabilis, tamen ut ex mutuo oritur, non consideratur,

ratur, ut lucrum, & hac ratione potest dari granum netus, ut nonnum recipiatur, si hoc fiat ne suum pereat, & recipienti gratiam faciat, salua æqualitate iustitia, ut ex Rayn. Gof. & Hoff. dicunt S. Ant. Sylu. & Nau. licet aliqui dicant esse usuram. Sed hæc Doctorum contrarietas est, quia non plene explicant naturam usura, nam omnes uniuersaliter affirmant, quod quærere commodum pecunia æstimabile ex lucro est usura, Sylu. dicit in hoc casu non committi usuram, quia salua æqualitate iustitia intenditur euitatio damni, sed subsumit Conradus, quod alicui frumentum suum non pereat, quod aliàs natum est perire, est pecunia æstimabile, adeo quod si posset precio facere, quod sibi non periret, id ageret, ergo si principaliter mutuatur ad hoc, ut sibi non pereat, est usura, Et confirmat, quia per mutuacionem intendit euitare damnum, quod non est iniustum, sed naturale; Et reuera stante illo communi omnium principio, argumentum Conradi concludit; & propterea principium illud declarandum, & limitandum est, ut in hac nostra conclusione, quod. s. sine usura potest quærere euitatio incommodi, quæ ex natura mutui sequitur, salua æqualitate, sine alterius incommodo, ut in præfenti casu, nam uel mutui transfertur dominium rei mutuata, quæ usus consumitur, si quis autem habet frumentum uetus, quod diu conseruari non potest; & illud mutuet egenti, fit illius, qui illud consumit, & ita nulli amplius subiacet periculo corruptionis, cum fuerit consumptum, & hoc ex natura mutui, quod est ad consumptionem, seu distractionem rei mutuata, quærere autem ex mutuo consumptionem rei mutuabilis, non est contra naturam mutui, sed secundum illius naturam; ille ergo, qui non potest frumentum uetus consumere, & timet ne sibi corrumpatur, potest illud egenti mutuari, pro nouo tantundem bonitatis, & precij, ut hoc incommodum euitet; at si ex mutuo quæreret maius commodum. s. lucrum, ut habeat frumentum melius, ut sic diutius conseruetur, ut postea penuria tempore, carius illud uendat, esset usura, quia intenderet etiam lucrum, quod est contra naturam mutui, imo dans frumentum uetus solum ad euitandum proprium incommodum, potest pacisci, quod ei reddatur frumentum nouum salua æqualitate sine damno recipientis, quod faciunt duces castrorum in quibus semper debent habere copiosam munitionem, & nisi renouarent blada, & mutuo darent uetera pro nouis, corrumpentur, & hoc pactum de recipiendo frumento nouo pro ueteri non reddit mutuacionem usurariam, quia est de commodo, quod non est contra naturam mutui, &

pro-

S. Ant. 2. p.
tit. 1. c. 7.
S. 9.
Sylu. V.
Usura. 1.
q. 17.
Nauar. in
Man. c. 17
nu. 224.
Conr. de
cōtr. trac.
2. q. 36.

propter quod potest quis principaliter mutuare. Si autem non licet pacisci de amicitia propter quā quis principaliter mutuare potest, est ratione amicitia, quia ei repugnat, quod ex pacto fiat, si etiam non licet pacisci de commodo, quod expectatur ab amico occasione mutui, est, quia illud non est debitum ex iustitia, & non sequitur ex natura mutui, sed libere ex gratitudine, & propterea non licet nisi secundo illud sperare. Nec desunt similia exempla ad ostendendum, quod quis mutuare potest principaliter ad euitandum proprium incommodum, ut si quis habens pecuniam, timeat ne si penēs se illam retineat furto sibi surripiatur, potest illam alicui mutuare, solum ad euitandum hoc periculum, & nullus dicet hanc mutationem esse usurariam, licet hoc commodum sit pecunia aestimabile. An autem sit eadem ratio de frumento, & de pecunia, quam quis timet in futuro minorari, dicemus in 8. conclusione.

Quartacō
clusio.

Quarta conclusio, Si lucrum nō speratur principaliter ex mutuo, sed ex libera uoluntate, & grato animo mutuatarij donātis, licet lucrum minus principaliter speratum sit causa sine qua nō, non committitur usura, nam ille, qui mutuatur, per hoc, quod mutuatur, non redditur peioris conditionis, quam fuisset, si non mutuasset, at si non mutuasset, ei licuisset donum ex mera liberalitate sibi ab amico donatum recipere, ut taliter oblatum, & quod mutuarius excitetur ad donandum ob receptum beneficium, & quod mutuans speret mutuatarium fore sibi gratum, & quod quis non sit ita promptus, imo nolit mutuare extra extremam necessitatem illi, quem scit esse ingratum, non sunt mala, ut ex mera liberalitate pendentia, ad quā ipsa met natura, & ipsum met beneficium excitat. hanc conclusionem explicuimus, & probauimus superius, cap. 5.

Quintacō
clusio.

Quinta conclusio mutuans, ut consequatur rem suam, quam aliter recuperare non potest, non committit usuram, quia nullū intendit lucrum, sed solum, quod suum est consequi. Exemplū sit, mutuauit quis alteri decem, qui recepit, postea negat, & non vult restituere, ille ut recuperet, quod prius mutuauit, conuenit cum eodem, quod ei mutuabit alia decem, ita tamen, quod scripto confiteatur se recepisse. 20. & pro illis det fideiussorem, non est usurarius, ut ex Host. inquit Sylu. Hac etiam ratione excusatur Dominus mutuans rustico, ut eius possessionem colat, quando iam conductus est, & non vult exhibere operas pro quibus mercedem recepit. Circa quem casum notandum est, quod dominus mutuans rustico committit usuram. Primo, si aliquod

Syl. ibid.
q. 10.

De mutu
ante rusti
co, ut pos
sessionem
colat.

lu-

lucrum intendit, ut, quod colat agrum pro minori mercede, aut ut sibi plures, uel diligentiores operas impendat, quam debet iuxta quantitatem mercedis, aut ut aliquos fructus agri ultra partem debitam illi det, & in hoc omnes conueniunt. 2. quando mutuatur, ut colat agrum suum, de quo est inter doctores controuersia, sed ut separemus certa ab incertis, certum est, quod si dominus mutuatur rustico iuxta mercedem iam conducto, ut emat boues, & instrumenta necessaria ad operandum, & nullum uult lucrum ex mutuo, non esse usuram; certum etiam est nō esse usuram si illi mutuatur, ut operas exhibeat pro quibus iustam mercedem recepit, sed dubium est an committat usuram si ideo mutuatur, ut illum pro suo agro conducat, S. Ant. respondet cū Greg. Arim. quod non, quia licet dominus intendat sibi propter mutuum operas prestari per colonos, & coloni eadem ratione illas operas exhibeant, alias non exhibituri, illæ tamen operæ nō sunt domino lucrum, cum illas iusto pretio emat. Conradus dicit esse usuram, quia ista obligatio coloni ad colendum agrum, quā acquirit dominus uel mutui, est pecunia aestimabilis, nam dominus sæpè ultra mercedem culturæ, daret aliquantulam pecuniā, ut posset habere colonum, eò quod omnes, uel quasi omnes coloni locauerunt operas suas alijs, quod etiam probatur à simili, quia secundum communem, est usura mutuare cum pacto, ut mutuarius apud ipsum frumentum molat iusto pretio, ut diximus in prima conclusione. Ad istum casum respondemus cum distinctione, si dominus potest habere colonum iusto pretio, est usura uel mutui aliquem ad colendum agrum etiam iusto pretio obligare propter rationem Conradi, & argumentum à simili, at si non potest illum habere iusto pretio, non est usura illi mutuare cum dicto pacto, quia redimit uexationem suam ad euitandum damnum emergens sine culpa mutuantis ex defectu culturæ, sed hic casus raro contingit, nam merces operariorum augetur, & minuitur ex eorum penuria, & copia, & ex singulari aliquorum peritia, & industria, uel ad labores aptitudine. Circa hanc conclusionem dubitatur an liceat mutuare ad usuram hostibus, qui iniuste damnum intulerunt, ut hac ratione resarciatur damnum. Respondetur, quod non licet cum usura sit essentialiter mala, sed bene potest quis mutuando ultra sortem aliquid intendere, & recipere, non ratione mutui eis impensi, sed ratione debiti quo ei sunt obligati cōcurrētibus duabus cōditionibus. Prima, quod aliter recuperare non possit refusione dānorū sibi illatorū. Secūda, q̄ nō oriatur infamatio, uel scādālū ex tali mutatione.

S. Ant. 2.
p. tit. 1. ca.
7. §. 10.

Conrad.
tract. 2. de
Contr. q.
36.

Sexta

Sexta cō-
clusio.

Sexta conclusio, mutuans, ut liberetur ab iniusta uexatione non committit usuram, secus si ut a iusta. de iniusta uexatione fit hoc exemplum: ab aliquo iniuste persecutionem patior, & ne mihi noceat, cogor cōducere armigeros in meam defensionem, ad has expensas euitandas illi mutuo, ut cesset ab iniusta persecutione; non est usura, quia nullum intendo lucrum, nec temporale commodum mihi alias indebitum, sed solum redimere iniustam uexationem, quod licet, cap. dilectus 2. de Symo. Exemplū de iniusta uexatione fit, si ad euitandas collectas iuste impostas, uel imponendas mutuam communitati, est usura, quia lucrator id, quod iuste eram exbursaturus. Dubitatur de illo, qui mutuatur inimico cui iniurias intulit, cum pacto, seu principali intentione, ut ei parcat, & sic cessent expensæ. Ad quod respondent S. Ant. Sylu. & Laur. de Ridol. non esse usuram, quia non lucratur, sed redimit suam uexationem, ut sine alicuius damno euitet damnum, quod subire oportebat, etiam si damnum non esset iniustum, modo non sit iustum, sed non iustum; nec obstat, quod dedit causam delicto, quia etiam ille uindicādo se peccat. Sed respondendum est cum distinctione, & uideūdo, quæ nam hic uexatio sit iusta, & quæ iniusta, nam quando dicitur unicuique licere redimere suam uexationem, intelligitur de iniusta: quod quis priuata auctoritate uelit uindicare iniuriam sibi factam, est iniustum, & ad hanc priuatam, & iniustam uexationem euitandā mutuare, non est usura; sed qui iniuriam recepit habet ius prosequendi actionem suam contra iniuriantem seruato ordine iuris, in qua prosecutione illator iniuriæ damnificabitur, quæ uexatio est iusta, & uitatio huius iustæ uexationis fiendæ est pecunia estimabilis, & Princeps, qui iniuriam recepit iuste potest assumere arma, & mouere bellum; & licet pœna iniuriæ non debeat in foro conscientiæ ante condemnationem, debetur tamen satisfactio damni, quod passus est ille, qui iniuriam recepit; Certum est, quod est usura mutuare cum pacto, quod remittatur satisfactio damni in conscientia debita, sed dubium est an sit usura mutuare cum pacto, quod remittatur actio iniuriæ, cum sit iuxta uexatio; Nauarrus respondet nō esse usuram, quia pœna iniuriæ non debetur in foro conscientiæ ante condemnationem, & actio iniuriæ ipso iure tollitur nudo pacto, unde mutuans non intendit lucrari, sed euitationem damni pœnæ, quæ ante condemnationem non est in conscientia debita. Sed dicimus cum Conrado esse usuram, quia uitatio huius iustæ uexationis fiendæ, est pecunia estimabilis; nec obstat, quod pœna in

Nauar. in
Man. c. 27
nu. 237.

Conr. eod
traft. 2. q.
37.

con-

conscientia non sit debita ante condemnationem, quia iuste potest infligi, & ui mutui euitatur; Christus autem dicit, *Mutuum date nihil inde sperantes*, & hic non tractatur de euitando damno iniusto, ut habeat locum redemptio uexationis, nec de recuperando, quod suum est, nec de acquirendo commodo, quod natum est sequi ex natura mutui, scilicet amicitia, & ne res conseruanda domino corrumpatur, dum indigenti mutuo traditur, ut diximus de dantibus frumentum ad renouandum, sed de euitando damno iusto, & de euitandis debitis expensis, quod est lucrari. Et confirmatur, quia ille usuram committit, qui mutuatur uolenti emere merces, cum pacto, quod suas emat iusto pretio quo ab alijs emeret, etiam si id faciat ad euitandum proprium damnum, sine ementis incommodo, ne scilicet sibi furto surripiantur, aut ne uinum diutius conseruatum accescat, at lucrum, quod ex hoc mutuo quæritur est maius. Confirmatur etiam, quia Laur. de Ridol. & qui illum sequuntur, istud mutuum excusant ex falsa causa, quia scilicet eo redimitur propria uexatio, nam ut diximus ista uexatio, tanquam iusta, & pecunia estimabilis, non potest mutuo redimi, ex quo sequitur, quod causa ob quam illi excusabant istud mutuum illud a contrario sensu, cum non habeat locum, usurarium probat. Et si obijciatur, possum aliquid ei donare ad hoc, ut me non accuset, etiam tura conscientia, quia licet possit me iuste accusare, potest etiam iuste accusationem remittere, quia est opus charitatis, cum alteri non fiat præiudicium, ergo potero etiam ob eandem causam ei mutuare. Respondetur negando consequentiam, nam multa comoda potest quis sibi comparare uia emptionis, & donationis, quæ non potest uia mutui. In hoc igitur casu principalis intentio sit illius amicitiam sibi reconciliare, ex quo secundo hoc etiam forsan sequetur, & si mutuauit cum illa principali intentione, illam corrigat, & in secundariam mutet, quod si pactum fecit, significet ei, quod non uult eum ad illud ui mutui teneri, sed quod solum suam ab eo amicitiam requirit, sicut etiam dicitur de illo, qui principaliter ad seruiendum Episcopo accessit, ut beneficium adipisceretur.

Septima Conclusio. Ponens pecuniam apud aliquem locum pium, ut Montem Pietatis, uel etiam mercatorem, ut salua sorte principali aliquod consequatur lucrum, ut quinque pro centum, usuram committit. Quæ Conclusio licet sit certa, & clara, etiam probatur, quia tantum abest, quod ille apud quem

Septima
conclusio

C pecu-

pecunia sic deponitur, debeat pro ea dare aliquid lucri, quod illi debetur aliqua merces, pro eius custodia, & aſſecuratione, ſicut uidemus dari publicis depositarijs; & ſi dicatur, quod illi conceditur, ut ea utatur, reſpondetur quod adhuc nihil poteſt accipere, nam hac conceſſione depositum tranſit in mutuum, & ſi inde aliquod lucrum percipitur, uel ſperatur, eſt uſura, quia illud lucrum eſt ex mutuo, etiam ſi detur mercatori, qui eo multum lucratur, hoc enim eſt per accidens. Eſt autem hoc loco notandum excuſari loca pia, quæ cum ſint in maxima neceſſitate, & non poſſint aliter inuenire pecunias, huiusmodi depoſita cum iſtis oneribus accipiunt, quod aliquando faciunt etiam Religioſi, & hoſpitalia, ſed non propterea excuſantur, qui illis ſic ſuas pecunias propter illud lucrum quinque pro centum, uel aliud eis dant, niſi forte excuſentur ratione lucri ceſſantis, ut ſi cognita illorum locorum neceſſitate, pecunias ſuas negotiationibus deſtinatas eis ex charitate dent, aliquid pro eorum intereſſe accepto; nam hæc eſt differentia inter dare ad uſuram, & accipere, quia nunquam eſt licitum dare, ſed aliquando licitum eſt accipere, quando ſcilicet aliter non poteſt ſubueniri proprijs neceſſitatibus.

Octaua Concluſio. Mutuans rem ſibi reſtituendam tempore quo plus ualebit, aliquando committit uſuram, aliquando non. Vbi notandum eſt, certum hic eſſe, quod ſi probabiliter creditur, quod res mutuo data, ut triticum, tempore ſolutionis non plus ualebit, uel quod poteſt ualere, ita plus ſicut minus, non eſſe uſuram. Sed dubium eſt quando probabiliter creditur, quod plus ualebit, Ad quod reſpondet Sylu. quod ſi creditor erat ſeruaturus, & non aufert debitori facultatem liberandi ſe quando uelit intra terminum, non eſt uſura, ſed licitum; peccaret ramen ſi id faceret in fraudem, ut transferret periculum in debitorem, at ſi non erat ſeruaturus, ſed interim conſumpturus, & ſi aufert dictam libertatem, etiam ſi eſſet ſeruaturus, eſt uſura, ſed præſumptiue quando aufert dictam libertatem, quia præſumitur hoc feciſſe, ut rei periculum ex ſe transferret in debitorem. Laur. autem de Ridol. citatus, & impugnatus à Sylu. indiſtincte tenet non eſſe uſuram, ſiue eſſet ſeruaturus, ſiue non, cuius ſententia mihi magis placet; Pro cuius ſolutione notandum eſt, mutuum eſſe diſtinctum ab emptione, & uenditione, & ui mutui, id reddendum eſt, quod fuit acceptum, in eodem pondere, ſeu meſura, & in æquali bonitate, ſiue plus ualeat, ſiue minus, quia ui mu-

tui

tui non attenditur pretium, ſed res ipſa in eadem ſpecie, meſura, & bonitate. Vnde Abbas, & Sotus dicunt, quod ſi tibi mutuauit frumentum, quod tempore contractus ualebat tres florenos, & tempore ſatiſfactionis ualeat ſex, quod licet uarietur pretium, poſſum ſalua conſcientia recipere frumentum pretioſius, & tu teneris reddere, nam mutuauit frumentum, & ideo debeo etiam recipere frumentum eiſdem bonitatis intrinſicæ, quod etiam recipere debuiſſem, ſi tempore mutui ualuſſet ſex florenos, & tempore ſatiſfactionis tres, nam quod carius, uel uilius ualeat, ſtante eadem bonitate, eſt quid extrinſecum, & ui mutui non habetur iſta conſideratio, & hoc dico uerum, etiam ſi non fuiſſem illud ſeruaturus, quia. ſ. uolebã uedere, ſed inuento, qui illo eget, & non habet pecuniam ad emendũ, do illi mutuo, ut tali tẽpore reddat, quo dicit ſe poſſe, at ſi hoc fieret in fraudem, ut recepto nouo pro ueteri, conſeruetur caritatis tẽpore uendendum, eſſet uſura, ut diximus in 2. conſul. nec obſtat, c. Nauiganti de Uſu. quia loquitur de emptione anticipata ſolutione. poteſt hic tamen interuenire uſura. Primo, ſi mutuo cũ pacto, & tantundem reddas, ſed melioris bonitatis intrinſicæ, uel ſine pacto, cum ſola intentione, ut ſi do frumentum ſub marcidum ac corruptioni proximum, ut tempore meſis mihi reſtituatur nouum. 2. ſi reſtituendum ſit in alio loco in quo iure non eſt reſtituendum, uel ſi aufertur debitori facultas reſtituendi infra terminum, nam in mutuo aſſignatur terminus, ut non poſſit prius repeti, & non, ut prius reſtitui non poſſit, imo hæc facultas debitoris oſtendit illud mutuum non eſſe uſurarium, nam ſi credit frumentum illo tempore pluris ualiturum, reſtituat prius quando minoris uenditur, nec poteſt excuſari mutuans, quod uſq; ad illud tempus erat ſeruaturus ſuum frumentum, nam recipit tantundem eiſdem bonitatis, illud ſeruet: per hoc ergo, quod aufertur facultas reſtituendi prius, grauatur mutuarius, & mutuans lucratur hoc ſaltem, quod in eius conſeruacione nihil expendet, & eſt ſecurus frumentum ſibi non corrupendum, & conſequenter eſt uſura, non tamen peccat, qui non petit frumentum, quod ſibi debetur, uſque ad annum, aut tempus, in quo carius erit, niſi directè, aut indirectè debitoris ſolutionem impediat, qualis (ut inquit Nauar.) eſt diues, qui nolens, ut pauper Auguſto anni fertilis ſoluat, prædicit ei, ut illo frumento ad ſuam utilitatem utatur, & nullo pudore afficiatur, eo quod non ſol-

C 2 uit,

Abb. in c.
Nauigati
de Uſu.
Sot. de iur.
ſt. & iure
lib. 6. q. 1.
ar. 2.

Nauar. in
Man. c. 17
nu. 225.

Octaua
concluſio
De mutu
ante rem
reſtituen-
dam tem-
pore quo
plus uale-
bit.

uit, & censendus est usurarius, quia licet non fecerit pactum de non restituendo prius, re tamen ipsa impedit solutionem, quam ante terminum faceret debitor, cum ipsius lucro, & debitoris damno, & ad has fraudes tollendas, ut refert Nauar. in Lusitania statutum est, ut qui ante diem Sanctæ Mariæ Augusti non petierit triticum mutuo datum, non possit petere usque ad sequentem annum. At si mutuo soluendo non est assignata certa dies, & mutuator non petit illud tempore quo uilius uenditur, sed postea quando carius, licet sit potius indicium auaritiæ, quam charitatis, nulla tamen ex natura rei est iniustitia, nisi mutuator operam daret ne restitueretur tempore quo minoris ualeat, & sibi imputet mutuatarium, ut inquit Sotus, si non sibi consuluit, soluendo quando uili pretio uendebatur.

Sot. ibid.

Quod si in dando, & reddendo rem mutuabilem, habetur ratio pretij, non est mutuum, sed potius uenditio, & emptio, & salua æqualitate, nulla est usura, nec iniustitia, ut si quis tempore caritatis anonæ, triticum æstimatum pretio quo tunc uenditur, alicui mutuet, cum pacto, ut tempore solutionis reddatur triticum pretio quo tunc ualebit; si quando dedit exempli gratia decem modios, singuli modii ualebant ducatum, & tempore solutionis modius non ualeat nisi dimidium ducatum, ei debentur uiginti modii, quia ut dicunt Sotus, & Nauarrus, in effectu fuit uenditum triticum præsens decem ducatis, & illis fuit emptum triticum futurum anticipata solutione. Dubitatur an sit eadem ratio frumenti, & pecuniæ, Syluester dicit non esse usuram si habens pecuniam, quam timet in futuro minorari, iuxta ordinationem dominorum, uel ciuitatum, mutat alicui, cum pacto, ut sibi reddatur in æquali pretio, in quo est, quando ei datur, dummodo recipiens uelit eam statim expendere tempore quo tantum ualeat, quia nihil recipit ultra sortem, & quamuis non liceat ex mutuo sperare lucrum, licet tamen sperare euitationem damni, sine alterius damno, sicut superius diximus de frumento in conclus. secunda. Sotus inquit esse differentiam inter ualorem pecuniæ, & ualorem aliarum rerum usu consumptibilem, nam dum pretium uerbigratia frumenti, uel uini augeatur, res ipsa in se immutata manet, & ideo est restituenda mensura, quæ mutuo recepta fuit, at quando augetur ualor pecuniæ, ipsa pecunia in natura sua quatenus pecunia, id est rerum

Sot. ibid.
Nau. ibid.
nu. 224.
An sit eadem ratio frumenti, & pecuniæ.
Sylu. ibid.
q. 15.

Sot. de iur. & iur. lib. 6. q. 1. q. 2.

rerum mensura augetur, ac si augetetur mensura frumenti, ut si modius fieret maior, & ideo si ducatus, quando illum mutuari non ualebat nisi undecim iulios, & postea ad duodecim eius æstimatio aucta est, non est mihi restituendus integer ducatus, sed undecim iulij, sicut si mutuassem decem urnas frumenti, dum urnam duodecim tantum modioli explebant, & postea per legem aucta caperet tredecim modiolos, non debentur mihi nisi urnæ, quæ duodecim præcise reddant; Subdit tamen Sotus hoc intelligendum esse de ualore pecuniæ diuersis temporibus in eadem prouincia, quia falleret si pecunia traduceretur ab una prouincia in aliam, ut dicitur in materia cambiorum. Pro pleniori huius dubij solutione notandum est, quod pecunia duplex habet pretium. Primum, commune, ut pecunia, & aliarum rerum mensura, ad emendum, & uendendum. Secundum, peculiare ratione materiæ, ut est res uendibilis, & utrumque augetur, & minuitur. Primum, ex Principis, seu communitatis beneplacito. Secundum, ex copia, & penuria illius materiæ, & ex hoc, quod materia est purior, uel impurior; hinc est, quod in mutuatione pecuniæ possunt haberi quædam peculiare considerationes, nam uel mutuatur ualor pecuniæ restituendus in quacumque materia sit, siue in auro, siue in argento, uel mutuatur pecunia restituenda incerta materia alterius generis, uel restituenda in eadē materia, & de istis duobus casibus est difficultas, cum mutuatarium obligetur ad certum genus monetæ, & ex solutione posterioris dubij tollitur etiam difficultas, quæ esse posset, quando in restitutione pecuniæ mutuo acceptæ, attendendus est solus illius ualor, in quacumque materia sit. Si mutuetur pecunia unius materiæ, cum pacto, quod restituatur pecunia alterius materiæ, ut aurea pro argentea, uel eiusdem materiæ, sed alterius formæ in eodem loco, ut Florentina pro Papali, est usura, quia ex mutuo quæritur lucrum, seu commodum pecuniæ æstimabile, etiam cum alterius incommodo, & per accidens est, quod quis sine suo incommodo illam dare possit, nam ducatus aureus in auro, pluris ualeat, quam in alia materia, & Romæ pecunia argentea Florentina, præciosior est Papali, & ideo uenduntur, unde qui mutuo accepit, si non habet pecuniam illius generis, cogetur eam emere; si habet ad uendendum, etiam cum suo damno dabit. Si autem mutuetur pecunia unius materiæ cum pacto, quod restituatur in eadem materia, siue plus, siue minus ualeat, quia in illa

materia est sibi commodior, non est usura, etiam si sit cum damno mutuatarij, qui illam emere cogetur, nam restituitur, quod acceptum est, & decet mutuantem indemnem seruari. Sed dubitatur si post mutuum augeatur pretium illius monetæ, auctoritate publica, quatenus est mensura rerum uendibilium, ut si ducatus auri in auro tempore mutui ualebat undecim iulios, & tempore restitutionis ualet duodecim, an sit restituendus iuxta pretium, quod currebat tempore mutui, nam quando dicitur, quod restituatur pecunia eiusdem materiæ, siue plus, siue minus ualeat, uidetur intelligendum ratione illius copiarum, uel penuriarum, hac enim ratione pretium auri fere quotidie uariatur, at pretium, quod habet, ut aliarum rerum mensura à Principe, uel Communitate est fere semper firmum, & raro uariatur, ut de illo minime dubitandum uideatur. Sotus in hoc reprehendit Sylu. sed immerito, quia non est idem utriusque casus, & uterque bene dicit, nam Syluester loquitur de pacto quando timetur ne minuat pretium, ut diximus, Sotus uero quando augetur, in quo casu lucratur mutuans, & damnificatur mutuatarius. Et respondendo dicimus, primo, quando quis mutuat ducatos aureos cum pacto, quod restituatur in auro sicut dati fuerunt, siue plus, siue minus ualeant, nisi aliud explicetur, intelligitur de quotidiana uariatione pretij, quæ fit propter auri abundantiam, uel penuriam, & non est usura. Dicimus secundo, quando dubitatur an Princeps sit mutaturus pretium auri, sed nescitur an augendo, uel minuendo, mutuatio cum pacto, quod restituatur ducatus aureus in auro, iuxta illius pretium, quod erit tempore restitutionis, non est usuraria, quia periculum est ex parte utriusque. Dicimus tertio, quando probabiliter timetur ne imminuendum sit illius pretium, probabilior est sententia Sylu. quod non sit usura mutuare cum pacto, ut restituatur ducatus aureus in æquali pretio in quo datus fuit, si recipiens uult statim illum expendere tempore quo tantum ualet, quia tantum recipit, quantum dedit, sine damno mutuatarij, nam licet modo cum ualeat decem iulios, restituat undecim, tamen re uera recepit undecim, & hoc mutuantis lucrum non tam consideratur, ut lucrum, quam uite ratio proprii damni sine damno mutuatarij, quod mutuantis commodum natum est sequi ex natura mutui, ut probauimus in secunda conc. Dicimus quarto, quando scitur, aut probabiliter creditur, augendum esse illius pretium, esse usuram mutuare cum pacto, quod restituatur iuxta pretium, quod erit tempore restitutionis, nisi id fiat ratione proprii interesse, quia mutuans

vole-

uolebat illam auream pecuniam seruare, & probatur ratione Soti superius adducta, quia uel mutui queritur lucrum, etiam cum damno mutuatarij, qui plus restituet, quam receperit, unde si non interuenisset pactum, non teneretur restituere, nisi secundum pretium, quod fuit tempore receptionis, si autem fuisset ante moram, secus si post moram, & elapsum tempus restitutionis facienda, quia interesse non conuentum, non debetur nisi post moram. Alias possemus adducere conclusiones propter multos alios, & varios casus usurarios, sed quia ratione particularium circumstantiarum induunt, uel saltem videntur induere naturam aliorum contractuum, ut depositi, locationis, emptionis, census, & societatis, proprijs locis de illis agemus, ne idem cogamur repetere.

De eo, quod ultra sortem accipitur ob periculum asscurando susceptum, uel ob proprium interesse, quod mutuantis quis patitur. Cap. VII.

Quia periculum, quod quis subit, & interesse, quod quis patitur, sæpe reddunt contractum licitum, sæpe etiam illis palliantur usurae, ideo de illis in genere sequentes conclusiones ponemus, tanquam fundamentum eorum, quæ dicenda sunt de particularibus contractibus, quarum prima sit, Fideiubens cum pacto, quod ei aliquid detur pro periculo, quod in se suscipit, cessante fraude, non committit usuram, Exempligratia Petrus non uult mutuare Paulo centum, ducatos sine fideiussore, Ioannes rogatus non uult fideiubere, nisi dentur ei quinque ducati pro periculo, quod in se suscipit, dubitatur an Ioannes committat usuram. Sylu. dicit non posse hic esse usuram, quia non est mutuum tacitum, uel expressum. Laur. de Rid. dubitat, & arguens in utramque partem, concludit melius esse ab huiusmodi contractu abstinere, rationes eius ad probandum esse usuram fundantur in hoc, quod est mutuum tacitum, & sine periculo, quod sit mutuum tacitum, probat quia Ioannes fideiubens pro Paulo, si ipso deficiente pro eo postea soluit, censetur mutuassee Paulo, & Paulus æque censetur ex mutuo esse debitor Ioannis, sicut erat Petri, ergo fideiussor obligat se ad mutuantum ei pro quo fideiubet, casu, quod non soluat, & pro mutuo uult lucrum, & quod illud lucrum uelit pro mutuo, & non pro periculo, probat quia Ioannes repetet à Paulo, quod pro eo soluit. Sed concedamus ei in fideiussione esse mutuum impli-

Prima conclusio.

Syl V. fideiussor §. fi. Laur. de Rid.

C 4 citum,

citum, tamen fideiussor non vult illa quinque ratione mutui, quod forte faciet, sed ratione periculi, quod suscipit, nam forte Paulus non poterit illi restituere, quod pro eo soluet, & ipse soluendo forte patietur damnum lucri cessantis, uel damni emergentis, & etiam si nihil horum sit, patietur molestias, quæ omnia sunt pecunia æstimabilia, cum ergo istud lucrum non accipiatur ratione mutui, sed ratione periculi suscepti, nulla est hic usura, sed potest esse turpe lucrum, si nullo existente periculo, uel labore, accipiatur ratione facti, & si interuenit fraus, potest esse usura palliata, ut si Petrus mutuans Paulo sit minister Ioannis, uel si Ioannes conuenit cum Petro, ut non mutuet sine fideiussione, ut sic ipse fideiubens lucretur.

Secunda conclusio.

Secunda conc. Mutuans pecuniã per loca periculosa traiciendã cum lucro, propter periculũ, quod in se suscipit, si ille, qui pecuniã recipit vult uerè assecurari, non committit usuram, at si mutuatur cũ pacto, quod periculum in se suscipiat, ut sic propter periculum susceptum, lucrum consequatur ab eo, qui reuera nolle assecurari, usuram committit. Ista Conclusio duo continet, ad declarandum cap. Nauiganti ext. de Usuris, in quo aliqui dicunt huiusmodi contractum simpliciter damnari, cuius uerba sunt. *Nauiganti, uel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniã quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Vbi non dicit Papa eum esse usurariũ, sed censendũ esse, solum præsumptionẽ contra ipsũ inducens, nam duo hic sunt certa, & clara, alterũ est, quod mutuare alicui pecuniã traiciendam per loca periculosa eo pacto, ut mutuarius eã a mutuante assecurare faciat, accepto ob id aliquo pretio, est usura, quia mutuans ultra sortẽ, vult obligationẽ ad subeundũ contractũ assecurationis, & pro eo aliquod pretiũ; Alterum est non esse usurã suscipiẽdo in se periculũ, & assecurando pretio iusto eũ, qui uerè vult pecuniã per loca periculosa traicere, & uerè vult eã sibi iusto pretio assecurari, quæ cum sint manifesta neutrum pertinet ad sensũ cap. Nauiganti, Sed ibi Greg. 9. uolens obuiare, quã plurimis usuris palliatis, quæ fiebant mutuãdo cũ assecuratione, suscepto pro eõ pretio, ijs qui uolentes sibi mutuari, & non inuenientes, qui gratis mutuarẽt fingebant se uelle traicere pecuniã in alias terras, & uelle eã sibi assecurari, addito iusto pretio, ut mutuatores inuenirent, ut his fraudibus obuiaret, induxit præsumptionẽ iuris contra sic mutuantem, ut præsumatur, & censeatur usurarius. Quod autẽ mutuans non committat usuram, si mutuarius uerè vult pecuniã mari, aut alijs locis periculosis transferre, & eam

sibi iusto pretio assecurari, probatur primo, quia nihil accipit ratione mutui, sed ratione periculi uere suscepti. 2. quia alius potest illã assecurare per primã cõclusionẽ, & assecurata ab alio, cessat iuris præsumptio, quia assecurãs nõ mutuauit, ergo eadẽ ratione mutuãs illã assecurare potest, nõ. n. fit peioris cõditionis per hoc, quod mutuatur, & succurrit proximi necessitati, & de beneficio non debet reportare incommodum, sed commodum. Ex quo sequitur, quod etiam in foro contentioso ista sola præsumptio non sufficiat ad condemnandum usurarium, sed debet ad iudicium alijs etiam præsumptionibus, ut si nullum, uel modicum sit periculum, uel si est notabile, pretium est excessiuum.

Tertia conc. In cõtractu societatis nõ potest a socio assecurari alterius socij capitale, nec certa pars fructũ etiã iusto ob id pretio accepto. Ista cõclusio probatur ex Bulla, seu cõstitutione De restabilis Sixti V. super hoc adita, quæ ponitur inferius in ca. 9. de societatibus. Vbi notandum est primo, quod casus huius cõstitutionis, nõ est ille capituli Nauigãti, nam c. Nauiganti, loquitur de mutuo, & quando assecurat ille, qui mutuatur, hæc autẽ cõstitutio loquitur de societate, & quando assecurat socius, Et nõ declarant istas assecurationes esse usurarias, sed censendas, & præsumendas esse tales, differenter tamen, nam hæc Sixti V. cõstitutio, non solũ declarat istas assecurationes in contractibus societatis censendas esse usurarias, sed etiã addit clausulã derogatoriã & illos contractus nullos declarat, & sic contrahentes subdit censuris, & pænis, quæ sunt contra manifestos usurarios, at cap. Nauiganti adducit solam iuris præsumptionem. Est secundo notandum assecurationes non esse natura sua usurarias, licet sæpe fiant in fraudẽ usurarum, & ita in dictis c. & cõstitutione, non prohibentur omnes assecurationes, unde extra casus prohibitos possunt fieri, & aliqui illas licitas esse probant, ex c. unico de cõmod. & c. fi. de Depo. sed ex his cap. non probantur in uniuersũ, loquitur. n. de cõmodato, & de deposito, in quibus cessant fraudes, cum commodatum sit contractus gratuitus, & cõmodatarius solum obligetur restituere, id quod ei commodatum fuit, etiam si casu fortuito perierit, & deponens pro custodia depositi, mercedem soluat; at in alijs contractibus in quibus dantur pecunię, uel alię res lucri causa, assecurationes factæ ab illis, qui accipiunt, uel dant, censentur usurariæ, & istæ non reperiuntur in iure approbatæ, sed potius reprobatæ, tanquam usurariæ, & factæ in fraudem usurarum, non tamen in uniuersum prohibentur, quia possunt cessare omnes fraudes, & licite fieri.

Tertia conclusio.

Sed

Sed Papa quando uidet illas in aliquo alicuius generis contractu communiter, & fraudulenter fieri, illas particulariter prohibet, uel inducendo contra illas præſumptionem iuris, ut in d. c. Nauiganti, uel ultra præſumptionem, apponendo clauſulam nullitatis contractus, ut in d. conſtitutione. Et ſic prohibita non poſſunt fieri in illis caſibus prohibitis, differenter tamen, ſicut etiam differenter prohibentur, nam ſi contra illas inducitur ſolum præſumptio iuris, ceſſante omni fraude tenent, etiam in conſcientia, & ad illas in iudicio infirmandas probanda eſt fraus, at ſi ultra iuris præſumptionem prohibentur, & nullæ redduntur, ut in contractibus ſocietatis, non poſſunt fieri, & factæ etiam in conſcientia non tenent, & ad illas in iudicio infirmandas, non eſt probanda fraus, ſed ſatis eſt, quod conſtet illas eſſe contra iuris diſpoſitionem.

Quarta
cōcluſio.

Quarta concluſio. Rogatus mutuans ſponte, ſine rationabili cauſa ad id eum mouente, pecunias expoſitas negociationi, aut emptioni rerum frugiferarum, & ob id ceſſans à negociatione, non poteſt licite accipere intereſſe lucri ceſſantis, contingentis ante moram, at mutuans ex rationabili cauſa, licite illud percipere poteſt. Iſta Concluſio eſt de lucro ceſſante, nam de damno emergente omnes conueniunt, quod illud accipere licet, & qui hoc negant de lucro ceſſante, huius etiam differentie rationem aſſignant, nam damnum emergens non pendet ex induſtria, ſed eſt mera paſſio, & propterea quilibet ab ea ſe incolumen ſeruare poteſt, at lucrum ceſſans, pendet ex induſtria, ob quam cauſam, qui ſua ſponte diſtrahit ſuam pecuniam, non poteſt dicere, quod ei impediatur lucrum. De lucro ceſſante ſunt duæ extremæ ſententia, quas illis attribuiam, qui eas ex profeſſo, & pro uiribus tuentur. Prima eſt Soti, quod ante moram, non poteſt peri, niſi ab illo, qui inuitus cogitur mutuare pecuniam negociationi expoſitam, etiã ſi rogatus, & amicitia, ſeu charitate uictus, mutuuet, & probat, quia lucrum ceſſare, ut nomen ſonat, eſt hominem à lucro cohiberi, nemo autem cohibetur niſi ſua impediatur uoluntas, ſed inuoluntarium docente Ariſt. 3. Ethic. ſola uis, metus, uel ignorantia facit, ergo ubi nullum iſtorum intercedit, nõ cenſetur proprie ceſſare lucrum, & conſequenter, qui rogatus, uel ex charitate mutuat pecuniam negociationi deſtinatam, non impeditur à lucro, ſed ipſe libere à negociando illa pecunia, ceſſat, & nihil ei ob id debetur, ſicut nec mercenario, qui ſine ui, uel fraude, ſolis alterius precibus ceſſat operari, ut illum ex amicitia adiuuet. Contraria ſententia eſt Nau. quod mutuans ſponte, ſine ui, pecunias negociationi, aut emptioni rerum frugiferarum

Prima ſententia.
Sotus lib.
6. de iuſt.
& iur. q. 1.
ar. 3.

Secunda
ſententia.

rum expoſitas, & ſic ceſſans à negociatione ac frugiferorum emptione, poteſt licite capere intereſſe lucri ceſſantis, contingentis ante moram, & culpam, quam ſententiam tribuit Conr. Sylu. Caiet. Adr. Panor. Hoſt. Anto. Io. And. Io. de Lig. Laur. de Rodul. & S. Ant. illamque probat duodecim rationibus, & Paulo inferius adducit alias quatuor. Sed omnes reducuntur ad tres. Prima, quia id, quod ultra ſortem accipitur, non eſt ratione mutui, ſed ratione intereſſe. Secunda, quia pecunia negociationi expoſita pluris ualeat. Tertia, quia ſi mutuans non poteſt accipere lucrum ceſſans, neq; etiam poterit illud accipere ſiue mutuuet charitate, inductus uel ui coactus, quia parum refert an mutatio fiat ob miſericordiam, aut odium, uel crudelitatem, aut aliqua uiolentia inducta, ad hoc, ut mutuum ſit iuſtum, uel iniuſtum, uel ad hoc ut aliquid licite ex mutuo accipiatur, nam iuſtum, & iniuſtum non conſiſtit in bonitate, aut prauitate animorum, aut intentionum, ſed in rerum, & operum externorum æqualitate, & in æqualitate, & uis non facit, ut id quod eſt natura ſua illicitum, ſicut mentiri, ſit licitum, ſi ergo requirere ex mutuo lucrum ceſſans eſt uſura, erit etiam uſura ſi mutuum ſit ui extortum.

Sed ueritas in medio conſiſtit, quod ſcilicet ad mutuandum, ut poſſit percipi lucrum ceſſans, requiritur rationabilis cauſa, quæ inducat potius ad mutuandum, quam ad negociandum, ut amicitia, miſericordia, charitas, ad ſubueniendum proximi neceſſitati, & citati à Nau. ita tenent, nec poteſt dici, quod ſic etiã eſt intelligendus Nau. nam illam conditionem ad exigendum intereſſe, quod. ſ. hic modus lucrandi non tantum placeat mutuantibus, quantum negociatio, ſed malit negociando lucrari; & illam quod cauſa principalis mutuandi ſit ſubſidium neceſſitatis uitæ, ſalutis, honoris, aut bonorum proximi (quas nos ad unam reduximus) dixit non eſſe neceſſariam, & in reiectione huius conditionis, fundatur hæc eius ſententia, quod mercator ſponte ſine alia cauſa, quæ ad id illum magis moueat, poteſt mutuare pecuniam negociationi expoſitam, & uelle lucrum ceſſans, quia cum iſte ſit modus lucrandi licitus, poteſt æque libenter uelle eo uti, ac alio, & ſic ampliſſimam portam uſuris aperuit, contra quem arguimus ſuperius, cap. 5. ubi hanc conditionem neceſſariam eſſe oſtendimus, & ne repetamus, quæ ibi diximus ſolum ad tres prædictas illius rationes reſpondebimus. Ad primam ibidem reſponſum eſt, & oſtenſum, quod mercator, qui paratus eſt dare mutuo cuiq; petenti pecuniam negociationi expoſitam cum eodem lucro, falſo aſſerit lucrum ceſſans, ſed uerè eſt lucrum

Naur. in
comēt. de
uſur. n. 4 r.

Solutio.

Solutio
argumen-
torum Nau.
narr.

ex mutuo, nam ut non sit ex mutuo, necessario requiritur, quod causa cessandi à negociatione, & mutuandi, non sit mutuum, nec lucrum, sed alia causa, quæ magis ad mutuandum inducat, ut pietas, affinitas. Ad secundum respondetur, quod pecunia negociationi exposita plura valet, non ex se, sed ex possidentis industria, & ob id quando sponte mutuatur sine alia causa, quam ut sic etiam idem lucrum habeat, quod negociando haberet, libere illam denudat tali valore, & lucrum est ex solo mutuo, at quando mutuatur ob pietatem, quæ illum inducat ad cessandum à negociatione, ut proximi necessitati subueniat, non denudatur illo valore, quia eadem pietas concedit, ut indemnis seruetur. Ad tertium uerum est, quod ut mutuare, & mutuare libere ex charitate, non faciunt, quod sit licitum ut mutui aliquid accipere, & quod usura, non sit usura, sed concedunt, quod mutuans indemnis seruetur, cum uel ut, uel charitate, quæ est etiam quadam uis amoris, & pietatis, inducatur ad mutuandum aliàs non mutuaturus, quam rationem non potest afferre mutuans solum, ut pecunia negociationi exposita sic etiam magis distrahatur, & lucretur, quia sic mutuans, & cessans à negociatione propter mutuum, non patitur damnum ratione mutui, ut debeat indemnis seruari, quia illud eligit ad lucrum, cum negociatione, quod cum non liceat, usuram committit. Verum sicut Nauarrus aperuit portam usuris, ita Sotus in alio extremo restrinxit viscera pietatis, dum uoluit non posse percipi ante moram lucrum cessans, nisi quando quis ut uel fraude cogitur mutuare, nam mercatores, & ciues deponentes pecunias in societatem apud mercatores, extra extremam necessitatem, proximis quantumcumque indigentibus non mutuabunt, & sic nimis emungendo extrahetur sanguis, & ad rationem Soti respondetur, quod etiam charitas, pietas, & misericordia, cogunt ut quis faciat, quod alias non fecisset, non ut extrinseca, & minuente uoluntarium, sed ut intrinseca mutante uoluntatem in melius, & augente uoluntarium, & ita, qui amore, & charitate mutuatur, ut proximo in necessitate subueniat, & illum paruo suo danno à maiori liberet, dicitur aliquo modo coactus mutuare, & cessare à negociatione, Sotus ad ostendendum quod hæc charitatis, & pietatis coactio non sufficiat, & consequenter non requiratur illa conditio, quam diximus necessariam, scilicet, quod mercator potius debet expetere, & optare negociatione augere suam pecuniam, quam mutuo, tale format argumentum, Id quod in re natura sua licitum est, nullum est peccatum desiderare, neque tale desiderium vitiat contractum, sed mer-

Quod potest sit percipi lucrum cessans contra Sotum.

tori habenti pecuniam, ad negocia paratam, licitum est recipere lucrum cessans per hoc solum, quod ab ege te rogatur, ergo licebit etiam ei desiderare, ut aliquis se rogatum accedat, ut illo modo impediatur à negociatione, Ad quod facile respondetur, cõcessa maiori, & minori, & etiam consequentia, quatenus ex illis deducitur, quod. scilicet licet ei desiderare, ut indigens ad eum accedat, non ut lucrum sine negociatione habeat, sed ut maiorem charitatem sine suo damno exercent, & non solum licet ei desiderare hanc occasionem exercendi charitatem, sed potest etiam si sciat aliquem egere, & non habere, qui ei succurrat, ultro se ei ad mutuandum sine suo damno offerre, & argumentum Soti peccat, quia ex licito conditionato, infert uoluntatem absolutam, cum simili modo conditionatam inferre debuisset, ut si dicitur licet occidere ad sui defensionem, ergo licet uelle occidere, est mala consequentia, sed si addatur ad sui defensionem erit bona. Ex quibus remanet explicata, & probata nostra conclusio, cuius ratio est, quia negociatio non debet obdurare uiscera charitatis, & quod pro charitate fit, non debet cedere in damnum exercentis charitatem, si potest seruari indemnis.

Quinta conclusio. Post moram potest exigi interesse etiam non conuentum, sed ante moram non potest exigi nisi conuentum. Quando quis mutuatur alicui V.g. centum aureos, sibi infra annum restituendos, nulla facta conuentione de interesse ante moram soluendo, si uere infra annum occasione illius mutui patitur damnum, uel lucri cessantis, uel damni emergentis, non potest de rigore petere illud sibi resarciri, licet de æquitate si damnum non fuit præuisum, & ideo non fuit deductum in pactum, ille qui mutuo accepit debet pro illo satisfacere; & quod de rigore non teneatur probatur, quia gratis illi mutuatum fuit, & ante tempus conuentum non tenetur restituere id quod mutuo accepit, & si sciisset sibi interim esse soluendum interesse, forte non accepisset mutuum ab illo: at si elapso anno non restituit tenetur ad interesse, quod ille sua culpa patitur, dummodo secundum aliquos duo concurrant, quod. scilicet monuerit debitorem damnum emerfurum, & quod quæsierit mutuum gratuitum ad illud euitandum, & non potuerit inuenire. Sed ut bene inquit Nauar. neutrum est necessarium, non secundum, quia nulla lex, nec ratio probat creditorem mutuante, teneri ad quærendum mutuum gratuitum, ut sic liberet mutuatarium à danno, quod ob non solutionem incurreret, non primum, quia mutuatarium satis moneatur per hoc, quod scit transiisse diem solutioni destinatum, & se esse

Quinta conclusio.

Nau. in d. coment. nu. 55.

in mora, & conſequenter ſe teneri ad damnum, quod eius creditor ſua culpa patitur, ſpecialis autem monitio, & præſertim iudicialis eſt potius ad oſtendendum nullam eſſe fraudem, at ſi ſine illa conſtat de damno, quod eius culpa paſſus eſt mutuans, illud in conſcientia reſarcire tenetur, at ſi nullum paſſus eſt damnum, uſuram committit uolens aliquid ultra fortem propter moram.

Sexta con-
cluſio.

Sexta concluſio. Extra cambia intereſſe, quod probabiliter timetur, poteſt taxari, & ſi exceditur eſt uſura, & intereſſe à principio cōuentū, poteſt poſtea accipi, etiam ſi non euenit, ſicut probabiliter credebatur euenturum. Cum intereſſe, quod probabiliter creditur euenturum poſſit paciſci, poteſt etiam à principio taxari, & ſi hoc non licet in cambijs, non eſt quia ex ſe ſit malum, ſed quia Pius V. id in Bulla de cambijs ad tollendas fraudes, quæ in illis ſiūt, prohibuit, cuius prohibitio nō eſt extendenda ad alios contractus cum à iure antiquo non ſit recedendū pluſquam exprimitur in nouo. Et cauendum eſt ne pluſ accipiatur, quam ſit uerum intereſſe, quia illud pluſ eſſet uſurarium. Poteſt autem tribus modis in taxatione intereſſe, quiſ à principio conuenire. Primo, ut intereſſe in fine liquidetur, & tantum pro eo ſoluatur quantum conſtabit fuiſſe. 2. poteſt, qui mutuatur pecunias negociationi, aut rei frugiferæ emendæ deſtinatas, ſic conuenire (ut inquit Nau.) ut ei ſoluatur pro intereſſe tantum, ſiue multum, ſiue parum, ſiue nihil, quantum alij eiufdem artis, & indiſtriæ, uel ipſe etiam altera tanta pecunia lucrificerint, aut quantum fructus rei frugiferæ, quam emere uolebat deductis expenſis ualebunt. 3. poteſt æſtimari, & taxari quantum ualet illa uerifiſimilis expectatio, attentis expenſis, & periculis, & quando à principio æſtimatur illa uerifiſimilis expectatio intereſſe, & conuenitur, ut in omnem euentum tantum ſoluatur, poteſt percipi illud intereſſe, etiam ſi in fine dum recipitur nullum fuerit intereſſe, ut ex Io. Med.

inquit Nau. arg. cap. in ciuitate de Vſuris; & ratio eſt, quia intereſſe probabiliter timebatur, & expectabatur, & in illius æſtimatione habita eſt ratio, quod poterat non euenire, & poterat etiam eſſe maius.

Med. cod.
de rebus
per uſurā
acquiſitis
q. 3.
Nau. in d.
coment.
nu. 53. &
in Man. c.
57. n. 212.

De uſura ratione dotis, & pignoris, & quare fructus pignoris res feudalſ à Domino feudi non computentur in fortem. Cap. VIII.

Agendum nunc eſt de intereſſe, & de uſura ratione dotis, & pignoris, & de dote ſit hæc prima Concluſio, Maritus licite percipit fructus dotis non ſolutæ propter intereſſe, quod patitur, ſuſtinendo onera matrimonij, dummodo dilationem non conceſſerit, nulla fructuum facta mentione. Pro cuius explicatione notandum eſt, quod dos datur marito ab uxore, uel ab alio eius nomine, pro oneribus matrimonij, eius fructibus ſaluo capitali ſuſtinēdis, & multa ſunt priuilegia dotis, ſed non eſt tale, quod eius ratione poſſit percipi uſura, nam uſura eſt eſſentialiter mala, & nulla circumſtantia poteſt honeſtari, & in nullo caſu poteſt licite committi, & conſequenter fructus, qui percipiuntur ratione dotis non ſolutæ, non poſſunt ſimpliciter eſſe ob dotem nō ſolutam, ſed ob intereſſe, quod maritus patitur, ex hoc, quod nō habuit dotem ut ſint liciti, alias eſſet uſura: Ex quo ſequitur, quod in duobus caſibus non poteſt Maritus illos petere. Primus, quando ad illam ſoluendam dilationem conceſſit, nulla facta mentione de fructibus, quia cenſetur illos ante moram remiſiſſe, etiam ſi ſit cum eius damno, quia ſicut poteſt uxorem ducere ſine dote, ita etiam poteſt ei remittere fructus dotis. Secundus, quando nullum patitur intereſſe per hoc, quod illam nō recepit, quod dupliciter contingit. Primo, quia non ſuſtinet onera matrimonij. 2. etiam ſi ſuſtineat onera matrimonij, tamen pecuniam dotis reſeruauit in arca, ut ſi illa, aut propria loco illius, nec negociari, nec ad negociandum tradere, nec res frugiferas emere uelit, cum enim illam ſic penes ſe mortuam tenere uelit, & uxore de proprio alere, ex hoc, quod non recepit, nullum patitur intereſſe, nec ullos conſequenter poteſt ratione intereſſe percipere illius fructus, ita tenent Abbas, & Sylu. Eſt etiam hoc loco notandum, quod non datur dos, ut ſolis illius fructibus ſuſtentetur uxor, unde ſi dos eſt parua, non poteſt maritus percipere niſi tot fructus, quot res frugifera, illa pecunia empta redderet, uel quot mediocriter indiſtriſ ex illa, ipſa ſalua negociando capere poſſet (licet hoc immerito reprehendat Sotus) & tenetur ſupplere de ſuo: eſt enim ipſius caro, & ſi in uxore cōſumpſit integram dotem nihilominus ſoluto matrimonio integram

Prima cō-
cluſio.

Abb. in c.
ſalubriter
de uſuris.
Sylu. V.
uſura 3.
q. 3.
Sot. lib. 6.
de iuſt. &
iur. q. 1.
ar. 2.

gram eius hæredes restituere debent; quia debet salua remanere, & sibi imputet, quod cum tam parua dote uxorem accepit. Et è contra fructus non debent excedere onera matrimonij, seu interesse, quæ communiter, secundum quantitatem dotis estimantur, aliàs enim debent computari in dotem, cum solum ratione ipsius interesse licitum sit illos percipere, nisi forte illi fructus sint pro oneribus, quæ merito sustineri debuissent, uel pœnitentiæ, uel etiam lucri causa, propter superuenientes necessitates de uxoris consensu relicta fuerunt, & nisi etiam dos esset excessiua, & maritus illos ultra onera matrimonij percipiat ratione lucri cessantis, quia cum illa negociaretur.

Dubium
de para-
phernali-
bus.

Posset autem hoc loco, quis dubitare an maritus cui non sùt soluta tempore debito bona paraphernalia, possit illa postea cù fructibus petere, & an conuentio de illorum fructibus soluendis sit usuraria. Respondetur rem esse claram, & indignam, quod in dubium uertatur, unde à Doctoribus non tractatur, & huc usq; est in auditum, quod soluendi sint fructus paraphernalium, & illa conuentio si aliquando fiat, est usuraria, & ratio est, quia paraphernalia non dantur, ut ipsis saluis eorum fructibus prouideatur uxoris necessitatibus, sicut dos, sed ut consumantur, cum ergo non dentur ad fructificandum, sed ad consumendum, uelle illa cum fructibus, est manifesta usura, nam uelle cù fructibus rem, quæ ex se nõ est nata fructificare, nec recipitur, ut recipientis industria fructificet, secundum omnes est usura, nec mora in soluendo facit, ut aliquid ultra sortem debeat, sed solum interesse, quod patitur, aliàs omnes creditores cõtra morosos debitores possent petere fructus ob dilatam solutionem, & in presenti casu non potest esse interesse annui fructus, per rationem assignatam, sed erit forte aliquod paruum, quatenus maritus debuit, cum suo damno emere uxori uestes, sed compensandum est, quia uestes, & mobilia, quæ postea dantur, succedunt illis, quæ debuisset emere, propriis consumptis. Et confirmatur, quia si non possunt percipi fructus dotis non soluta, quando nullum est interesse, ut diximus, qua ratione poterunt percipi fructus paraphernalium? accedit, quod paraphernalia sunt uxoris, & ipsi reseruata, adeo, quod uir furtum committit, illa sibi, uel alteri accipiens, non ergo poterit uir pacisci de eorù fructibus, sed solum pro eorum solutione instare.

Secunda
conclusio

Secunda conclusio. Vidua donec sibi restituatur dos, potest percipere illius fructus ratione interesse, quod patitur, uel nomine pœnæ legalis, dummodo per eam non stet quominus illam

lam recipiat. Aliqui dixerunt viduam non posse ab hærede mariti percipere fructus dotis, sicut potuit maritus eius à socero, quia maritus sustinebat onera matrimonij, & ipsa non deseruit amplius in oneribus matrimonij, ita tenent Io. And. Host. Innoc. & Io. de Lig. qui etiam consulunt ne recipiat rem pignore obligatam, sed eam uendi faciat, uel recipiat in solutum, alias fructus computabuntur in sortem, & dotem extenuabit; Sed dicimus eadem esse utriusque rationem, nam sicut uir fructibus dotis debebat prouidere necessitatibus uxoris, ita uidua fructibus suæ dotis, debet se ipsam sustentare, illa emendo res frugiferas, uel illam deponendo cum lucro apud mercatorem, iuxta cap. per uestras, de donat. inter uir. & uxo. quia quantum fieri potest debet salua remanere. Et in quibusdam locis est statutum, quod soluto matrimonio quandiu hæredes mariti perstiterint in dote soluenda, teneantur dare uxori relictae certum quid, ut inde se alere possit, de quo statuto multi dicunt illud esse illicitum, quia fauet usuris, & multi illud, ut licitum defendunt. Sed ut rem plene intelligamus, loquemur primo de re ipsa, & postea de statuto, Certum est, quod quandiu hæres est in mora restituenda dotis, uxor relicta, potest percipere interesse, quod patitur, si uere illud patitur, quia. s. uolebat emere annuum redditum, aut dotem apud mercatorem negociationis causa deponere, nam dicere, quod ea posset interim alimenta emere pro sui sustentatione, nõ est uerum interesse, nam sic etiam consumeret dotem, quã integram recipisset, & quilibet creditor pauper posset prætere hunc interesse, sed interesse pro quo potest accipi aliquid ultra sortem, est uel damni emergentis, ut si cogatur cum damno uendere, aut pecuniam ad interesse accipere, uel lucri cessantis, ut diximus. Sed dubium est quando nullum patitur interesse. Vbi distinguendum est, si dos consistit in rebus immobilibus, statim soluto matrimonio reddi debet, & sic hæres semper est in mora, at si in rebus mobilibus, debet restitui intra annum. C. de rei uxor. act. l. vnica. §. exactio, & ita solum post annum hæres constituitur in mora. Si dos non est restituenda nisi post annum, omnes conueniunt, quod si hæres non uult illam prius restituere, & relicta non habet interim unde uiuat, hæres condemnandus est ad aliquid statim ei dandum pro eius sustentatione, quod uiderur expressum in l. si constante §. quoties ff. solut. mat. & inter alios ita tenent Glof. Bart. Abb. & Sylu.

Sed dubium est quando hæres est in mora, & illam non re-

Glof. &
Bart. in d.
§. exactio.
Abb. in c.
salubriter
de Usuris.
Syl. v. dos
q. 10.

ſtituit quando tenetur, uel ſtatim, uel poſt annum. Aliqui dicunt, quod ſi uidua non habet præter dotem bona ex quibus poſſit percipere alimenta, poterit ab hærede mariti iuſte exigere certam quantitatem loco alimentorum, dum non ſoluitur dos, cum per eam non ſtet quin ei reddatur dos, ita tenent Anchar. Paul. de Caſtr. Imola, Alex. Aymon, citati à Couar. & uidetur ſententia communis. Verum iſta ſententia uidetur potius fundari in quadam æquitate, attenda paupertate uiduæ, ſed in rei ueritate eſt uſura, ita tenent Abbas, & Couar. manifeſte probatur, quia nulla eſt ratio propter, quam uiduæ pauperi, nullum patienti intereſſe, aliquid debeatur ultra fortem, nam ſi aliquid amplius ei debetur, uel eſt ratione moræ, & hoc non, quia mora hoc ſolum operatur, quod moroſus poſſit aſtringi, & teneatur ad intereſſe, quod creditor eius culpa patitur, at ob ſolam moram, nihil ultra fortem principalem debetur, ut per ſe patet; uel eſt ratione paupertatis, & hoc non, quia paupertas creditoris non facit, quod moroſus debitor aliquid amplius ei debeat; uel eſt ratione alimentorum, & hoc nõ, quia uiduæ inopi non debentur alimenta ab hæredibus mariti, quia non amplius deſeruit, onera matrimonij ſuſtinendo; uel ratione priuilegij dotis, & hoc non, quia dos non habet tale priuilegiũ, ut eius ratione uſura ſit licita, quia uſura eſt eſſentialiter mala, Sotus dicit, quod iure matrimonij maritus tenetur alere uxorem, quouſque ſuam ei integram ſoluat dotem, & ſic eodem iure tenentur eius hæredes. Sed maritus ad hoc tenetur conſtante matrimonio, quia uxor ei deſeruit, & eſt cum ipſo unacaro, & tenetur etiam ſi nullam habuiſſet dotem, at ſoluto matrimonio non tenetur niſi ad reſtitutionem dotis, & ad intereſſe, quod relicta patitur ex non ſolutione dotis, cum ceſſet ratio alimentorum, ut diximus, & confirmatur, quia ſi dos eſt parua, ut 50. ducatorum nullus dicet, quod hæres teneatur ad alimenta ſicut tenebatur maritus uiuens, nã excederent ipſam dotem ergo tenetur ratione intereſſe. Et ſententia Soti eſt contra comunẽ omnium, nam aliqui dicunt ei nihil deberi ultra fortem, alij dicunt ei aliquid deberi ſi non habet alia bona unde uiuat, ut diximus, Sotus autẽ uolens alimenta deberi iure matrimonij conſequenter, ſecundum ipſum debentur etiam uiduis diuitibus illo ſolo iure, quod eſt contra omnes. Concludamus ergo, quod relicta, non poſſet à moroſo hærede aliquid ultra fortem accipere, niſi ratione intereſſe, aliàs committit uſuram, debet igitur ſtatueri mortuo uiro cum dotem petit, illa emere

an-

Abb. in d.
c. ſalubriter,
& in
conf. 39.
Couar.
lib. 3. uar.
reſol. c. 1.
nu. 3.

Sot. lib. 6.
de iuſt. &
iur. q. 1.
ar. 2.

annuos fruſtus, uel illam apud mercatorem deponere, ut uerẽ poſſit paciſci de intereſſe.

Sed occurrit dubiũ, quia de uidua, quæ infra annũ nõ poſſet petere dotẽ, diſtũ eſt cũ cõmuni, q̄ ſi eſt pauper poſſet petere alimenta, eadẽ autẽ uideretur ratio intra annum, & poſt annũ. Reſpõdetur eſſe diuerſam rationẽ, & quod infra annũ, etiam ſi nullum patiatur intereſſe, poſſet ſine uſura recipere alimenta, quia intra annum in dicto caſu conſideratur à lege quaſi eſſet in matrimonio, ratione cuius, licet cauſa mulieris, & dotis ſit fauorabilior, tamen quia dos non eſt in immobilibus, quæ poſſint ſtatim reſtitui, ſed in mobilibus, quæ forte fuerunt cõſumpta, uel diſtracta, lex conceſſit hæredibus annum ad illam reſtituendam, intra quem uxor non poſſet illos aſtringere, nec poſſet ab eis petere intereſſe, cum non ſint in mora, in quo uidetur grauari uidua, ſed ex altera parte ei compensatur, quia ſi nõ habet alia bona unde uiuat, ei debentur ab hæredibus illo anno alimenta, non tamen ſecundum quantitatem dotis, quia ſi fruſtus excederent, non tenentur niſi ad alimenta; at ſi habet unde alatur, hæredes non tenentur, ut dicit Gloſ. in d. §. exactio, quare uidua intra annum recipit alimenta propter grauamen, à lege ei inductum.

De dicto autem ſtatuto quidam dicunt eſſe nullum, quia uſuram permittit, ita tenent Ioan. lign. Imola, Abbas, & Socin. & Iaſon dicunt eſſe comunem ſententiam, & Abbas dicit eſſe licitum in caſu quo de iure poſſet petere alimenta, ſeu fruſtus, ut infra annum, uel ratione intereſſe, quo caſo ſtatutum limitat quantum ſit dandum, at in caſu quo uidua de iure non poſſet petere niſi dotem, dicit eſſe illicitum, quia concedit uſuram. Alij hanc ſententiam comunem reprobant, in eo caſu, quo ratione alimentorum uiduis pauperibus, ſtatutum aliquid annuatim dandum eſſe fanciret, interim dum dos ſoluta non fuerit, ita tenent Card. Zab. Paul. de Caſtro, Bal. Alex. Feli. Io. lup. Aymon, Anch. & Iaſon citati à Couar. Sed, ut diximus ſola paupertas non facit, ut aliquid ultra fortem debeatur, & non reddit uſuras licitas, quare hac ratione nõ poſſet illud ſtatutum ſaluari, ſed intelligendum erit cum Abbate, quo ad illas quibus iure debentur. Poſſet nihilominus quo ad alias ſaluari, non ratione paupertatis uiduarum, ſed ratione pœnæ legalis, quam lex ſeu ſtatutum in fauorem uiduarum apponit, contra hæredes differentes eis ſuas dotes reſtituere, dummodo concurrant ea, quæ ſuperius, cap. 5. diximus eſſe neceſſaria

Abb. in d.
c. ſalubriter,
& in
conf. 39.

Couar.
ibid.

D a ad

Conrad.
q. 36. de
contract.

ad exactiorem pœnæ, & ita tenet Conradus. Sed Abbas in d. consilio hanc sententiam reprobatur, quia licet lex possit certam pœnam infligere moroso, & contumaci, non tamen potest inducere lucrum parti propter cursum temporis. Sed respondemus, quod lex potest pœnam iuste appositam applicare viduis in quarum favorem est appositam, non ut lucrum propter cursum temporis, sed ut pœnam morositatis, & contumaciæ; & confirmatur, quia secundum communem mutuans potest apponere pœnam sibi à mutuatario soluendam, nisi infra tale tempus restituerit, quod mutuo accepit concurrentibus debitis conditionibus de quibus supra in cap. 5. Ex quibus explicata, & probata remanet, secunda conclusio, in qua additum est, dummodo per eam non stet quo minus dotem recipiat, quia debet cessare omnis fraus, nam si posset dotem habere, sed dilationem concederet, quia potius vult fructus ratione interesse, uel ob pœnam legalem, esset usura manifesta, quia dilatio solutionis est mutuum implicite, secundum omnes; & consequenter ibi esset mutuum cum lucro, nam si per eam stat quo minus recipiat, nullum uerè patitur interesse, & hæres nullam debet incurrere pœnam, sed debet potius uelle suam dotem, & coacte expectare, uel quia non potest illam habere propter hæredum potentiam, & uiolentiam, uel quia compatitur hæredibus, qui propter paupertatem non possunt tunc illam commode restituere; in quo casu non habet locum pœna, sed interesse.

Tertia cõ
clusio de
pignore.

Tertia conclusio. Creditor percipiens fructus pignoris, & non computans illos in sortem usuram committit, nisi illos percipiat ratione interesse, quod patitur, uel nisi pignus sit tale cuius usus gratis soleat inter amicos concedi. Conclusio est manifesta, quia ultra sortem lucratur fructus pignoris, ex quo sequitur, quod usuram committit, qui mutuatur alicui exempligratia mille aureos, & donec ei restituantur, fruitur eius domo, uel possessione, non computando censum, seu fructus in sortem, Et ille qui mutuatur alicui quinque aureos, & in pignus accipit uestem, & illa interim utitur, quod si ea utitur in scio, uel inuito domino, furtum committit, si ex pacto usuram; at si in pignus accepit libros, cymbalum, testudinem, & eis utitur, non censetur usurarius, quia horum usus gratis inter amicos concedi solet, & maxime si pignus sit de his, quæ usu perfectiora redduntur; si etiam accipit tot fructus, seu tantam utilitatem in pignoris usu, quantum in eo conseruando impen-

pendit, uel quantum est interesse, quod ex mutuo, uel mora patitur non committit usuram, dummodo fructus non excedant interesse, & excedentes computentur in sortem, & hac ratione gener, licite potest percipere fructus pignoris fructiferi, in securitatem dotis soluendæ sibi à socero, uel alio traditi, non computando eos in dotem promissam propter interesse, quod patitur onera matrimonij sustinendo, dummodo fructus non excedant, ut diximus non enim est hoc priuilegium dotis quasi eius ratione possit percipi usura, sed fructus percipiuntur à genero ratione interesse, & quilibet alius eadem ratione illos percipere potest si uere patitur interesse.

Quarta conclusio. Si mutuans recipit ad sui securitatem pignus feudale, uel quod habet conditionem feudi, quod scilicet, sit suum de directo dominio, & de dominio utili sit mutuatarij, siue sit clericus, siue laicus, licite potest accipere fructus pignoris, & non computare illos in sortem. Ista conclusio expresse habetur extra in cap. conquestus de Usuris, & in cap. 1. de Feudis, in quo additur conditio, quod quamdiu percipiuntur fructus non computandi in sortem, uasallus liber sit à seruitio pro feudo debito, & quamuis dicta duo capitula loquantur de Ecclesia, sunt nihilominus etiam intelligenda de laico, ut dicemus, Pro cuius explicatione notandum est, quod ista conclusio de pignore feudali Ecclesiæ, est certa, quia expressa iniure, sed difficultas est in eius reddenda ratione, nam ut in precedenti conclusione diximus, percipiens fructus pignoris ultra sortem, usuram committit, Glosa dicit hoc esse concessum in fauorem Ecclesiæ, contra quod bene arguit Host. nam hoc, aut est licitum, aut illicitum, si licitum, ergo, etiã laico, quia ubi est eadem ratio, ibi, & idem ius; si illicitum, multo minus debet concedi clerico, quam laico, quia usura execrabilior est in clerico, quam in laico, sed in reddenda ratione Doctores multum laborant, Inno. & Goff. dicunt hoc intelligi de feudo illicito detento, quod recuperari non potest, sed ut bene arguit Syl. tunc posset recipi seruitiũ usque ad restorationem totius interesse præteriti, quod canõ non admittit. Host. Ioa. And. Card. Zab. Abb. Mart. Laudès. Præpos. Conr. Ang. Syl. & Io. Med. citati, sed non sequuntur à Couar. dicunt hoc procedere ex natura feudi, nam directum dominiũ rei feudalis est domini, utile autem dominiũ est uasalli, quia ex cõcessione ei facta percipit illius fructus, pro quo etiã debet domino aliquod seruitiũ, cũ ergo directum dominium sit penes

Quarta
conclusio
De pigno
re rei feu
dalis.

Glos. in cõ
1. de feu
dis.
Host. in
summa,
de usuris.
§. 8.

Couarr.
lib. 3. var.
Resol. c. 2.
nu. 4.

mutuantem, seu creditorem, per dationem pignoris trahit ad se utile, & dominium utile simul cum directo consolidatur, & vtrumq; ad ipsum dominum pertinet, qui fructus percipit non ratione mutui, sed quia ex natura feudalis contractus sibi debentur, & sunt sui tempore in pignorationis, quo etiam tempore cum feudatarius non percipiat illius fructus, debet esse liber ab omni onere sibi ratione feudis imposito. Et ista sententia, seu ratio dispositionis d. c. est communis, contra quam arguit Couar. quia per dationem pignoris non consolidatur dominium utile cum directo, sed vassallus, qui habet dominium utile, semper est dominus fructuum, & dominus creditor, illos percipit eius nomine, c. r. de usuris, nec ullibi in iure probatur dominium utile debitoris amitti, & transferri in creditorem habentem directum, cum in eum solum transeat ius retinendi in pignus dominium utile, quod non habet, ut proprium, sed in pignus, ac proinde fructus sunt computandi in sortem; Concesso etiam, quod in hoc contractu consolidetur dominium utile cum directo, non effugiemus (inquit) labem usuræ, nam hoc lucrum consolidationis accipitur ultra sortem mutui, & ideo vere usura committitur. Impugnata igitur communi sententia noua expositione, & ratione ostendit, quare directus dominus rei feudalis sibi impignorata possit percipere illius fructus non computando in sortem, quia frequentissime fructus rei feudalis sunt eiusdem estimationis, & ualoris cuius ipsa seruitia, quæ ratione feudi à uassallo domino debentur, à quibus ipse uassallus liberatur interim dum res apud dominum est iure pignoris, & ita inquit prædictas decisiones sanè intelligendas esse, quando onus siue seruitium, quod interim à domino remittitur æquipollet fructibus. Sed contra hanc expositionem Couar. quam dicit etiam esse Innoc. Adria. Carol. Mol. & Paris. arguitur primo, quia canon absolute, & uniuersaliter loquitur, & fere semper seruitium pro re feudali impositum, est longe inferius, ut nihil fere sit respectu utilitatis, quam uassallus percipit. 2. quia si feudatarius uellet potius seruire pro feudo, ad hoc, ut fructus computentur in sortem, dominus non tenetur eum audire, sed potest percipere fructus pignoris, ut inquit Glosa, ergo licite percipit fructus pignoris ratione feudi, nam si ratione seruitij non soluti illos perciperet, reduceretur ad damnum emergens, quia seruitium non redditur, & non quia non acceptatur, sed illud acceptare teneretur, & fructus computare in sortem. Sequemur igitur sententiam communem, contra quam

Glos. in c.
r. de feudis.

quam argumenta Couar. videntur concludere, quia non satis explicatur, reddenda est ergo ratio, ob quam res feudalis data domino directo in pignus, transeat cum suis fructibus, ita ut non sint computandi in sortem, Host. inquit hoc esse, quia uassallus præsumitur uelle donare fructus, cum ad antidora sit naturaliter obligatus, sed ista ratio est nulla, quia etiam si mallet seruire, ut fructus computentur in sortem, non est audiendus, ut diximus ex Glos. Vera ratio est, quia in concessione feudorum semper intelligitur ista conditio, nisi contrarium exprimat, ut quoties redierint ad uerum dominium redeant cum fructibus, etiam si ad tempus impignorata redeant, & interim feudatarij liberi sint ab oneribus, quæ ratione feudorum habent, quæ conditio licite potuit apponi, & præsupponi, & subintelligi à lege, quia dominus directus concedens aliquid in feudum uassallo, ei quædam gratuitam donationem facit, sub quibusdam conditionibus, nam pro feudo nihil à principio pro introitu datur, nec soluitur annua pensio, sicut fit in emphiteusi, sed est quædam beniuola concessio, unde de feudo da. in ui. leg. c. omis. reprob. dicitur feudum non posse constitui sub pacto legis commissoria, quia non sub pretextu pecuniæ, sed amore, & honore domini acquirendum est, feudum igitur non emitur, nec datur sub pretextu pecuniæ, sed ex beniuola concessione, & solet dari pro aliquo seruitio, & sub quibusdam conditionibus, & inter alias hæc est, quod non possit alienari, nec pignori sine consensu domini directi, quod si eget impignoret domino, cum autem datur directo domino in pignus, ut feudalis concessio datur etiam cum fructibus, & ista conditio feudalis concessio, elicitur ex d. c. r. de feudis, & c. conquestus de usuris, non enim uidetur aliter posse defendi ab usura, quia sic mutuans nihil lucratur ut mutui, sed accipit, quod suum est, ut concessio, & consequenter hoc non est priuilegium feudi, nam idem dicendum est de alijs casibus in quibus militat eadem ratio, ut si quis donasset alicui, & filijs eius possessionem aliquam, cum ea conditione, ut non possit illam alicui uendere, nec in pignus dare, sed quod si contigerit eum egere, & coactus sit illam pignorare, debeat eam dare illi in pignus cum fructibus non computandis in sortem, qui sic donauit, egente donatario, poterit ei mutuare, & in pignus accipere possessionem cum fructibus, & non committet usuram, quia fructus accipit, ut suos non ut mutui, sed ut reservationis in concessione possessionis, quæ reservatio intelligitur à lege facta in feudo, in recognitionem domi-

Host. in
summæ
usuris. §. 8

ni directi. Ex quo sequitur, quod Syluester sequutus Card. Zab. & alios, immerito reprehendit Summam Angelicam dicentem, quod hoc etiam intelligitur in feudo libero, & non oneroso, nam ipsi uolunt, quod fructus pignoris percipi possint solum in feudo titulo oneroso, quia si dominus percipit fructus, feudatarius non grauat, quia est liber à seruitio; sed ut diximus non potest directus dominus hac ratione excusari ab usura, quia si feudatarius mallet seruire, ut fructus computentur in sortem, dominus non tenetur hoc acceptare, ergo quo feudum est liberius, & minus onerosum, eo magis dominus potest accipere fructus pignoris. Sequitur etiam, quod cessante in feudo dicta ratione, non potest directus dominus accipere fructus pignoris, cessat autem primo si expressè renunciet dictæ conditioni, seu reservationi à lege in fauorem suum præsuppositæ. Secundo, si concessio feudi non est gratuita, saltem ex parte, nam licet lex citata dicat, quod non datur pretextu pecuniæ, sed amore, ibidem etiam dicit Glosa, quod hodie multa feuda acquiruntur pretextu pecuniæ, quia si datum esset, uel daretur fere æquiuales, non acciperet illos, ut suos uicōcessionis, & reservationis, sed ut feudatarij, uicū mutui. Sequitur tertio, contra multos quoad hoc esse differentiam inter feudum, & emphyteusim, nam pro re emphyteutica datur communiter aliquid in introitu, & etiam annua pensio, & conceditur ad meliorandum in utilitatem Ecclesiæ, & consequenter non est gratuita concessio, ut possit intelligi in dicto casu reservatio fructuū, nisi ab Apostolica Sede declaratur, & statuatur, sub intelligi, quatenus non est libera, sed conditionata concessio, licet uenditioni aliquo modo æquipolleat. Concludamus igitur, quod in dicto casu dominus percipit fructus pignoris, ut suos, & feudatarius est interim liber à seruitio, nec ob id amittit dominium utile, seu usum fructum rei feudalis, quia licet non habeat illum quo ad actum, durante tempore impignorationis, habet tamen, quo ad habitum, dominus uero habet interim quo ad actum, cum obligatione restituendi uasallo tempore extinctionis debiti.

Quid

Quid sit Societas, Quot Societatum genera, Qua ratione ex pecunia in societatem tradita possit percipi lucrum. De conditionibus requisitis ad iustam societatem cum multis exemplis.

Cap. IX.

Societas est conuentio plurium suam pecuniam, aut animalia, industriam, uel laborem conferentium ad lucrandum, & fit multipliciter, sed omnes ad duo præcipua genera reducitur, nam in quibusdam societatibus ponitur pecunia, & in alijs animalia, & utrunque societatis genere rei in societatem positæ tripliciter subdiuiditur, nam uel unus ponit solum pecuniam, & alter solum industriam, uel unus ponit pecuniam, & industriam, cum alter solum pecuniam posuerit, uel uterq; ponit pecuniam, & industriam, & quocumque modo fiat, adhuc multipliciter potest contingere, secundum quod socij æqualiter, uel inæqualiter ad societatem concurrunt, & unus plus, aut minus, aut tantundem in societatem confert, & secundum diuersas condiciones, & pacta quæ societatibus apponuntur.

Qua autem ratione ex pecunia alteri ad negociandum in societatem tradita possit percipi lucrum, cum nullum lucrum ex mutuata pecunia sperari possit, S. Tho. communiter sequutus sic ostendit, dicens, quod ille, qui mutuatur pecuniā transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuatur, unde ille cui pecunia mutuatur sub suo periculo tenet eam, & tenetur eam integre restituere, ob quam causam ille, qui mutuauit non debet amplius exigere, sed ille, qui committit pecuniam suam, uel mercatori, uel artifice, per modum cuiusdam societatis, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet eius, ita quod cum periculo ipsius mercator ea negociatur, uel artifex operatur, & ideo licite potest partem lucri inde prouenientis expetere, tanquam de re sua. Verum ista ratio indiget explicatione, sic enim nude sumpta fauet usuris, nam tota ratio ob quam usura probatur essentialiter mala est, quia usus pecuniæ consistit in ipsius distractione, & non potest concedi illius usus quin etiam concedatur dominium, unde uelle ultra pecuniam aliquod lucrum pro illius usu, est uendere eandem rem bis, uel uedere id quod nō est, quod est cōtra iustitiam, ut docet S. Th. quæ ratio ruit per id quod subiungit, quod

Societatum genera.

S. Th. 2. 2. q. 78. ar. 3. ad 5.

S. Th. ibid. ar. 1.

quod. si ille, qui dat suam pecuniam mercatori in societatem non transfert dominium suæ pecuniæ in illum, sed remanet eius, nam si potest separari usus pecuniæ ab illius dominio, poterit seorsum concedi, & pro illo lucrum sperari. Sed cum fundamentum illud contra usurariam prauitatem sit firmum, & indubitatum, dicendum est, quod tradens pecuniam in societatem, transfert illius dominium, quia non potest aliter illius usus ad negociandum concedi, unde mercator habet ius illam alienandi, & distrahendi, etiam suo nomine, & etiam in propriam utilitatem, ut socius. Melius igitur cum Conrado dicimus, quod pecunia duobus modis tradi potest. Primo sic, quod tradens transferat eam in alium, cum eius abdicatione, ita quod tradens exuat se dominio eius, & desinat esse eius dominus, & solus alius sit eius dominus, quo modo traditur in mutuo, & sic non licet aliquid de ea sperare, quia lucrum speraretur de re aliena. 2. sic quod tradens transferat illius dominium sine eius abdicatione, ita ut adhuc remaneat illius dominus, & illi cui pecuniam dedit, eius condominum faciat, pro tempore societatis, & de illa sic alteri tradita licet lucrum sperare cum socio tanquam de re sua. Et si obijciatur, quod si tempore societatis perierit pecunia, socius qui solas operas posuit tenebitur ad partem illius damni, cum fuerit eius condominus, & tamen tota perit ponenti, ergo non fuit translatum illius dominium. Respondetur Socium non teneri, & nihilominus fuisse eius condominum, nam factus est condominus non simpliciter, & absolute, sed in ordine ad societatem (& ita non potest ad libitum de illa disponere) & pro tempore societatis, & hoc non de per se, & immediate, sed concomitanter, quia non potest aliter eius usus, & interusorium concedi, (est autem interusorium ius percipiendi fructum uel utilitatem natam provenire de pecunia negociationi exposita) amisso autem capitali tempore societatis ante illius terminum, terminata, & finita est societas, per illius amissionem, cum sine illo non possit durare, & qui pecuniam posuit non teneatur aliam ponere, & consequenter, qui operas posuit desinit esse illius condominus, & tunc idem prorsus seruatur, ac si societas finita esset tempore conuento, nam si pecunia fuisset amissa in termino conuento societatis, tota perisset ponenti, & socius suas amisisset operas, & non teneretur de amissione capitalis pecuniæ.

Ut societas sit iusta, tria requiruntur. Primum, ut negotiatio sit licita. Secundum, ut pecunia, uel res alia in societatem

po-

Contr. de
contrac.
9.9.

De condi-
tionibus
iustæ so-
cietatis.

posita subiaceat periculo eam conferentis, ut si pereat, tota illi pereat, & recipiens non teneatur nisi de lata, & leui culpa, cum enim societas fiat in fauorem, & utilitatem utriusque, non teneatur de leuissima, & multo minus de casu fortuito. Tertium, ut in omnibus prudentis iudicio seruetur æqualitas, & pro quantitate partium collatarum, diuidatur lucrum. Sed aliquando contrahitur societas cum quibusdam conditionibus, & pactis, quæ uel sunt contra naturam societatis, & faciunt contractum alterius potius speciei, ut conductionis, & locationis; uel non sunt contra naturam, sed præter, ut quod capitale non pereat ponenti, quod ponentes æqualia, fructus in æqualiter percipiant, quod fructibus existentibus incertis, dentur alteri certi, & determinati, nec propterea debet statim condemnari societas, uel huiusmodi contractus, sed uidendum est, an dum alter grauatur in uno, releuetur in alio, adeo ut seruetur æqualitas, ea enim seruata, contractus ex se est iustus (nisi ratione prohibitionis propter fraudes, quæ communiter in eo fiunt, sit illicitus) si non seruetur, est iniustus, & censetur usura nomine societatis palliata.

Magna inter Doctores fuit hucusque controuersia an socius possit alterius capitale, iusto pretio assecurare, similiter, & certam quantitatem fructuum, omnes quidem conueniunt, quod isti duo contractus assecurationis capitalis, & fructuum possunt fieri cum alio, qui non sit socius, sed an possint etiam fieri cum socio, Sotus negauit, & hanc rationem differentię assignauit, nam cum ego uni trado pecuniam in societatem, & cum altero pacifcor de assecuratione, neutri mutuo, non illi cui trado, quia si perierit non tenetur mihi restituere, & propterea non transfero in illum dominium; non alteri, quia licet teneatur mihi restituere meam pecuniam perditam, illam tamen non recepit, at quando ambo in eandem personam concurrunt. scilicet quod illi idem cui trado teneatur mihi restituere in casu perditionis, ex istis duobus oritur ratio mutui, quæ non oritur si fiat tantum contractus de quantitate lucri, quia per hoc non transfero dominium, nam si pecunia perit mihi perit. Ad hanc rationem Soti respondet Nauarrus, quod per assecurationem capitalis, & fructuum à Socio factam non oritur ratio mutui, nam ille, qui fuit assecuratus ad huc est socius, & illius pecuniæ condominus, & qui assecurauit non propterea potest de illa pecunia ad libitum disponere, sed tenetur cum illa negociari iuxta contractum societatis, & ad id potest ab altero cogi, & nisi fecerit, ille suam

pecu-

De affectu
ratione ca-
pitalis, &
certæ par-
tis fru-
ctuum.

pecuniam reperere potest. Caietanus concessit illos tres contractus posse cum eodem fieri, sed non eodem tempore, primo debet fieri contractus societatis, & alio tempore postea fieri poterunt alij duo contractus, nam si à principio fierent non censerentur liberi, sed in fraudem usurarum. Nauarrus tenet hos tres contractus posse cum eodem fieri, & eodem tempore, & non esse necessarium, quod sint formaliter distincti, & expræsi, sed satis esse, quod tacite, uirtualiter, & æquiualeuter fiant. Et probat primo, quia secundum omnes, possunt fieri, cum diuersis hominibus, ergo poterunt etiam fieri cum eodem, cessante omni fraude, nam si quid obstaret esset ratio Soti, sed ostensum est non propterea transferri omnino dominium, nec consequenter consurgere rationem mutui. Probat 2. ex cap. Per uestras de donat. inter uir. & uxor. nam ibi iubet Papa, ut marito uergente ad inopiam, dos deponatur apud aliquem mercatorem, ut de parte honesti lucrari, onera matrimonij sustentet, ubi Papæ intentio fuit, ut dos salua apud mercatorem, & cum lucro remaneret, nam ob hoc iussit illam à marito auferri, & dari mercatori. Et omnino reiiciendus est ille sensus, quem huic capitulo dant Io. And. & alij, quod scilicet hoc in fauorem Ecclesiarum, uiduarum, & pupillorum statutum sit, nam si est usura nullo modo illis licet, & si illis licet, non est usura, & licebit etiam alijs, Nauarrus interpretatur, ut procedat, & intelligatur, quod dos detur mercatori in societatem cum his duobus contractibus affecurationis. Sed ex hoc capitulo non habetur horum trium contractuum confirmatio, ut putat Nau. Sed Papa hoc solum iubet, quod uergente marito ad inopiam, dos detur mercatori in societatem, ut aliquod inde habeatur lucrum, quia sunt multi mercatores de quibus nullum fere est periculum, quod deficiant, & apud illos dos erit securior, quam apud maritum, qui ad inopiam deuenit.

Sed hæc controuersia iam sublata est per constitutionem Detestabilis. Sixti V. in qua damnantur, & reprobantur illæ societates, in quibus fiunt cum socio illi duo contractus affecurationis capitalis, & certæ quantitatis fructuum, cuius uerba sunt.

Bullæ Sixti V. de societatibus. *Detestabilis auaritiæ, &c. Damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumq; contractus, conuentiones, pactiones posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cauebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res, societatis nomine tradentibus, ut etiam si fortuito*

uito casu quolibet iacturâ, dânu, aut amissionē sequi cōtingat, fors ipsa, seu capitale sēper saluū sit, & integrū à socio recipiente restituatur, siue ut de certa quātitate, uel sūma in singulos annos, aut menses durate societate respōdeatur, statuimusq; hūi contractus, conuentiones, & pactiones usurarios, & illicitos post hac censeri deberi, atq; in posterū non licere ijs, qui pecunias, uel animalia, aut alias res in societate tradēt de certo lucro, ut præfertur percipiēdo inter se pacisci, & cōcordare, neq; etiā siue ad certū, siue ad incertū lucrū conuenerint, socios, qui ea recipiēt ad sortē, seu capitale saluū, & integrū, ubi illud casu fortuito perierit, uel amissum erit, reddendum, quouis pacto, aut promissione sibi obligare: ac ne de cetero societates inēatur sub huiusmodi pactis, & cōditionibus, quæ usurariæ prauitatis sapiunt districte interdiciamus, & prohibemus. Sed potius cuncti nō uerint societates huiusmodi, cū in posterū unus pecuniā, animalia, aut res alias, & bona; alter uero operā, uel industriā cōfert, purè, sincerè, & bonā fide, sicut decet, iustis, & æquis cōditionibus, & pactis secūdu iuris dispositionē, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ prauitatis labe, aut suspitione inēdas esse, ita ut nō ad certā summā, aut quātitatē ab omni periculo, & dāno, ut præfertur immunē lucrī noīe persoluēdā, neq; ad capitale si casu fortuito perit, restituēdū, socius accipiēs teneatur. Si uero finita societate ipsū capitale extat, ei qui illud in societate cōtulerit restituatur, nisi socio recipiēti fuerit cōmunicatū, aut aliter inter ipsos cōtrahētes super eo legitime cōuētū sit. Ac præterea idē cōtrahētes fructus, expēsas, & dāna in cōe cōferāt, & pro ut æquū, & iustū fuerit, sibi cōcent, atq; diuidāt. Decernētes si qui cōtractus, cōuentiones, & pactiones in futurū cōtra nostrā hūi prohibitionē de facto initi fuerint, nullā ex eis tāquā per hāc eandē cōstitutionē nostrā dānatis, et reprobatis, etiā si in iūro, aut in forma Cam. Apostol. uel alias quolibet roborati fuerint obligationē cōuētū, aut naturalē oriri, nullāq; actionē realē, aut personalē, nec iudicis officii, neq; aliud quodecūq; ius cuiquā cōpetere, neq; quo ad sortē, seu capitale integrū recuperādū, & casu fortuito perierit, aut amissū erit, neq; quo ad certas sūmas, et quātitates in singulos annos, aut menses lucrī socialis noīe promissos. Si q uero in posterū sub prædictis cōditionibus, et pactis cōtrahere temere p̄sūpserint, aut pretextu similiū cōtractuū cōuentionū, et pactionū societatis noīe imitorū, q huc usq; durāt, ad exactionem dictæ sortis, seu capitalis, siue illius pretij, et ualoris, postquā illud in toto, uel in parte casu fortuito perierit, uel amissū sit, aut certæ sūmæ, uel quātitatis annuæ, aut mēstruæ sibi promissæ in futurū procedere ausi fuerint, eos uniuersos, & singulos in pēnas cōtra manifestos usurarios, & feneratoros à Sacris canonibus, & cōciliis generalibus latas, & promulgatas eo ipso incurre-re, et cōtra illos uti manifestos usurarios, et feneratoros uia iuris alijsq; oportunitis remedijs procedi posse, & debere, sicq; ab omnibus censeri, & ita quo ad præmissa uniuersa, & singula per quoscumq; indices, &c.

Quod capitale nō sit saluū, nec certa pars lucrī

Reiectis igitur à societatibus his duobus affecurationis contractibus, seu pactis, res in societatem posita periculo eam conferentis subiacere debet, si casu fortuito, uel leuissima socij culpa perierit, & lucrum, & damnum debet esse commune, sed quia non omnes æqualiter in societatem conueniunt, diuersæ sunt conuentiones, tam quo ad onera, quam quo ad diuisionem lucri, & ut societas sit iusta, omnibus computatis, prudentis iudicio debet seruari æqualitas, ut qui æqualiter cõferunt, æqualiter conueniant ad lucrũ, ad expensas, & dånũ, & qui inæqualiter, in æqualiter etiã iuxta proportionẽ conueniant, Ei autem, qui plus contulit, uel cum æqualiter contulerit, aliquod onus quo grauatur imponitur, dupliciter compensatio fieri potest, uel per hoc, quod maior quantitas lucri, ei assignatur, uel quia cũ ipse posuerit solas operas, alterius capitale cum lucro est diuidendum. Ex quo fit, ut quacumq; societate proposita, ad iudicandum de illius iustitia, non est solum uidendum, quid, & quantum socij conferant, & quod diuidatur lucrum iuxta proportionem eorum, quæ posuerunt, sed etiam examinandæ sunt singulæ conuentiones, & pacta, quibus alter grauatur, & uidendũ est an qui grauatur in uno, satis releuetur in alio. Ad cognoscendum autem quantum ualeant operæ positæ, resoluenda est societas ad contractum conductionis earundem operarum, & uidendum quantum pro eis deberetur si illa, uel similis persona ad illam negociationem locaret suas operas, & si præter uictum ei deberentur centum aurei, sic debet illa persona in societatem accipi, ut ex illa habeat uictum, & speret non solum lucrum centum aureorum, sed maius, adeo quod si uellet vendere illud lucrum incertum uerisimiliter expectatum pro illo inueniret centum aureos, nam si locaret suas operas earum pretium centum aureorum esset certum, lucrum autem ex societate est incertum, & multis periculis expositum, ob quam causam debet ex societate plus expectare.

Exempla
societatu.

Sed ut hæc exemplis adhuc clariora fiant. Sit trium societas primus posuit mille aureos, Secundus potuit laborem suæ personæ mille aureis æstimatum, tertius posuit suam industriã quingentis æstimatam, lucrum fuit quingentorum aureorum, ut ista societas sit iusta hoc lucrum sic debet diuidi, primus acceptis mille aureis capitalis ab eo positus, habebit ducentos aureos fructuum, secundus habebit alios ducentos, quia eius labor correspondet illis mille aureis, tertius habebit centum; sed hoc non sufficit, ut sit simpliciter iusta, nam uidendum etiam

est

est quomodo singuli cõcurrerint ad expensas societatis, si æqualiter, fuit iniusta, si pro rata, fuit iusta. Sed ponamus in dicto casu, quod in fine societatis solum capitale remanserit, & nullũ fuerit lucrum, posset enim alicui uideri, quod hoc casu sit diuidendum capitale, quia nõ uidetur iustum, quod primus habeat saluum suum capitale, & alij duo sua omnino amittant capitalia, quæ fuerunt eorum operæ quas perdidit. Ad quod respondetur, quod primus accipiet suos mille aureos, quos posuit, & alij duo nihil habebunt, sed suas operas amittent, nam operæ correspondent capitali pecuniæ, uel eius parti, & tanti ualent quatenus substant huic periculo, alias enim minus ualere, ut patet si locarentur; earum enim merces conuenta esset minor, quam lucrum speratum ex societate, At si operæ essent tanti ualoris, quod etiam considerato hoc periculo, quod nullum ex eis posset sequi lucrum, ad huc pluri ualere, quam alterius pecunia, iuxta proportionem diuidendum esset illius capitale, nõ solum quando non sequitur lucrum, sed etiam quando sequitur, nam diuisio capitalis non sumitur ex hoc, quod nullum fuit lucrum, sed ex hoc, quod operæ positæ pluri ualent, quam capitale pecuniæ, & ut seruetur iustitia, uel diuidendum est in fine capitale, uel conueniendum est, quod ille, qui operas posuit pluri æstimatas, pro compensatione plus habeat de lucro uerisimiliter sperato.

Ponamus adhuc in dicta societate, quod capitale pecuniæ fuerit perditum in principio, uel medio societatis, nam uideri tunc posset alicui, quod illi, qui operas posuerunt teneantur pro rata ad damnum, hac saltem ratione, quia reliquo tempore societatis non exhibebunt suas operas, & supponimus modo perditum esse casu fortuito sine eorum culpa; nam loquimur de obligatione, quæ oritur ex ui societatis, & non ex culpa Et duæ sunt sententiæ quas citat Syll. prima est, quod si capitale perit ante operas exhibitas damnum debet esse commune, si post alias, debet esse aliqualiter commune, si post omnes, est proprium ponentis. Secunda est Baldi, quod siue perdatur ante operas, siue post, totum est proprium ponentis, & S. Ber. dicit, quod si capitale est pro parte securum, ibi pro parte est mutuũ, & consequenter totus contractus est uitiatus. Et utraq; sententia potest suslineri, & iuxta utramq; possunt fieri pacta, quæ si nulla fuerint standum erit consuetudini loci. Prima quidem sententia est æquissima, non ut sic capitale pro parte sit securũ, quia si periret post omnes operas, totum periret ponenti; sed

quia

Syl. V. So-
cietas q. 6.

quia ille, qui operas posuit remanet liber ab operibus quas alias exhibere debuisset. Secunda de iure est uerior, & in conscientia etiam est secuta, nam qui ponit operas pro toto tempore societatis illas ponere tenetur, amisso autem capitali soluitur societas, & operæ sine pecunia exerceri non possunt, & consequenter uel societatis remanet liber, ut sic operæ, & industriæ corresponsdeant interuorsorio pecuniæ, & tandiu sint ponendæ, & duret societas quamdiu interuorsorium manet.

De societatis animalium.

Maiores difficultates est in cognoscenda iustitia societatum in quibus traduntur animalia, tum quia Doctores, & Confessarij non ita facile possunt cognoscere iustam mercedem operarum rusticorum expensas, quæ fiunt, & quantum ualeat expectatio fructuum tot specierum animalium, tum etiam, quia contractus, qui de illis fiunt, ut plurimum non sunt puri, sed ratione conuentionum, & pactuum sunt mixti, aliquando enim sunt locationis animalium, aliquando conductionis operarum, aliquando societatis, & aliquando partim societatis, & partim conductionis, & locationis, & à contrahentibus debent sciri grauamina, quæ consistunt in facto, & de illis postea, ut eis narrantur, & exponuntur quoad factum, iudicare quid iuris. Et tot fraudes in his maxime contractibus committuntur, ut in eis non habeant locum illa duo signa iustæ societatis, non primum scilicet uidere an ille modus contrahendi societatem sit consuetus, & communis in illa patria, nam rustici tanquam pauperes necessitate coacti subeunt quodcumque onus. Non secundum, scilicet uidere an talem contractum, cum talibus pactis ineant, non solum necessitate expressi, sed etiam alij non ita indigentes; nam rustici non indigentes, cum non sint diuites, coguntur sæpe subire contractus onerosos, uel ad damnum aliquod euitandum, uel quia iudicant eis magis expedire subire illud onus, quam omnino cessare à lucro. Sed de societatis, & locatione operarum diximus superius, de locatione autem animalium potest esse hæc regula. scilicet uidere an commoditates, & fructus quos percipit rusticus ex animalibus sint tanti ualoris, quod illis his quatuor satisfacere possit. Primo expensis quas facere debet in pascendo illa. Secundo, expensis necessarijs pro illorum custodia ne damnificentur à bellijs. Tertio, ut habeat iustam mercedem suorum laborum. Quarto, ut his omnibus deductis tantum supersit, quod possit soluere locatori pensionem conuentam; quod si rusticus subiit aliquod onus præter naturam locationis debebit. Quinto, ex fructibus iustum

iustum illius pretium percipere, his omnibus concurrentibus, animalium locatio erit iusta, quia æqua est utriusque conditio, sin minus, iniusta, quia melior est conditio locatoris, quod generaliter pro certissima regula habendum est, ne scilicet alter grauetur.

Et ut de his etiam aliquod exemplum adducamus, quidam habet certam quantitatem ouium quas ex uno loco in aliud mittere oportet propter pascua, quæ etiam emenda sunt, & in earum transitu, tam eundo, quam redeundo pro qualibet earum soluenda sunt gabellæ, & illas dat in societatem pastori ad quinque annos, cum pacto, quod pastor faciat omnes expensas, & singulis annis diuidantur omnes fructus lactiniorum, & lanæ, & in fine societatis diuidantur omnes oues etiam positæ in societatem, & pastor illarum omnium medietatem habeat: ad iudicandum de iustitia huius societatis, uidendum est quantæ sint expensæ quas debet facere pastor, pro quarum compensatione ei datur medietas ouium positarum, quæ erunt in fine societatis, si ista medietas ouium est iusta compensatio expensarum, quæ debuissent esse communes, societas erit licita; sin minus, qui posuit oues debet etiam ultra medietatem ouium positarum aliquid dare pro expensis. Aliud exemplum sit Petrus dat Ioanni in societate 30. oues æstimatas 20. aureis, cum pacto, quod de primis earum fructibus ipse habeat decem aureos, quod est pretium medietatis ouium positarum, & postea capitale, lucrum, & damnum, sit commune; Petrus licite potest ex primis fructibus accipere medietatem pretij, quia perinde est ac si ei illud mutuasset, ut ipse etiam poneret in societate quindecim oues, sed ista societas adhuc est iniusta per hoc, quod non datur Ioanni nisi medietas lucri, nam cum Petrus exprimis fructibus acceperit medietatem pretij, perinde est ac si Petrus in societate posuerit quindecim oues, & Ioannes alias quindecim, sed Ioannes ultra oues, ponit etiam suas operas, & Petrus solas oues, ob quam causam Ioannes debet habere maiorem partem lucri. At si in eodem exemplo pactum sit, quod de primis fructibus Petrus habeat integrum pretium, Conr. dicit hoc pactum duplici uia posse saluari (nude. n. sumptum constat esse iniquum). Prima per assecurationem capitalis assignato Ioanni pretio assecurationis in fructibus percipiendis, sed modo per dictam Bullam Sixti V. non potest in societatis fieri assecuratio capitalis. Secunda si Petrus promittit casu, quod oues perierint sine culpa Ioannis, earum pretium restituere. Sed adhuc dicimus hoc pactum esse illicitum, nam si Petrus exprimis

Conr. q.
89. casu 6.

E fru-

fructibus accipit integrum pretium, perinde est ac si uendidisset illas omnes oues Ioāni, & accepto earum integro pretio, ex ouibus Ioannis, & ex eius operibus lucrum uellet, quod si dicitur societatem nihilominus remanere, quia Petrus in euentum, quod oues moriantur sine culpa Ioannis, tenetur restituere illarum pretium; responderetur societatem adhuc esse iniustā, quia capitale restituendum est in fine societatis, & toto societatis tempore debet fructificare socijs; Si autem Petrus à principio ex primis fructibus recipit integrum pretium, perinde est, ac si ex societate extraheret 30. oues capitalis, quod posuit, & defineret esse socius. Si in eodem exemplo pactum sit, quod illæ omnes oues uiuæ conseruentur per restaurationem mortuarum ex fatibus; dicimus esse iniustum, quia si sine Ioannis culpa moriuntur, debent perire Petro, & uigore dictæ bullæ non potest saluari capitale per uiam assecurationis.

Solet etiam societas hoc modo iniri, Petrus dat Ioanni in societatem 30. oues æstimatas 20. aureis, cum pacto, quod in fine societatis diuidatur omnes fructus æquis portionibus, & capitale restituatur Petro, quod si capitale perierit, uel fuerit deterioratum Ioannes sentiat medietatem damni. Ista societas est illicita, quia Petrus uult saltem medietatem capitalis saluam, & modo uigore dictæ Bullæ non potest iustificari etiam per uiam assecurationis, dato Ioanni iusto illius pretio. Potest etiam fieri contractus locationis animalium, de quo fit hoc exemplum; Petrus locat Ioanni duos boues æstimatos uiginti aureis pro quibus deberentur duodecim sextaria frumentis, sed uult sibi dari solum octo, cum pacto, quod Ioannes stet ad periculum tertiæ partis bouum. Iste contractus est locationis uigore cuius boues debent perire Petro si sine Ioannis culpa perierint, sed posset saluari per uiam assecurationis, si illa remissio debitæ pensionis est iustum assecurationis pretium. Verum obstare uideretur dicta Bulla, quæ in contractu societatis prohibet assecurationem capitalis. Ad quod dici posset, quod iste non est contractus societatis, sed locationis; & à diuersis non fit illatio, non enim prohibetur per illam Bullam, quæcumque assecuratio capitalis, nec etiam in societate, quia potest assecurari ab alio, qui non sit socius. Et campsores duplici eis assignata prouisione pecuniam eis ad cambiendum traditam cambiant, & assecurant, quod non est per dictam Bullam prohibitum, quia in isto casu campsor non est socius, sed minister.

Sed istæ animalium locationes ad longum tempus, cum eorum

asse-

assecuratione, præter naturam locationis, sunt potius societates in quibus lucrum incertum, & capitale per uiam assecurationis certum, & securum redditur, & propterea licet locationis nomine colorentur, assecuratio capitalis uigore d. Bullæ censetur prohibita.

De Societatibus officiorum. Cap. X.

Cum Romæ societates officiorum sint admodum frequentes, & in illis etiam si non seruentur debitæ circumstantiæ, committatur usura, non erit inutile aliquid de illis hoc loco tractare; & ut intelligatur quomodo fiant, & quæ fuerit earum origo; notandum est, quod in Romana Curia multa existunt officia, quæ in rei ueritate fructificant, & certo pretio à Summo Pontifice uendi solent, sed quia sunt maximi ualoris, ut Camerariatus, qui ualet ad septuaginta millia ducatorum, Clericatus cameræ ad quadraginta millia, Notariatus cameræ ad decem millia, &c. sæpè unus solus non potest integrum officium emere: ob hanc fortè causam Summus Pontifex concessit his, qui officium aliquod uellent emere, ut socios asciscant, qui partem pretij exponant, & partem fructuum lucrentur, ita tamen, ut officium tanquam indiuisibile sit in uno solo, qui & officialis dicitur, alij uerò respectu fructuum sint, & dicantur socij; & licet hæc fuerit harum societatum origo, & causa, possunt tamen etiam fieri, & fiunt empto officio, & quocumque tempore; imo non solum officiales, sed etiam alij pecunia indigentes, qui nullum officium habent, uia indirecta hos societatis contractus ineunt; accedunt enim ad aliquem, qui officium habet, ab eoque petunt, ut pro eis centum (exempligratia) ducatos ad societatem accipiat, & inuento, qui pecuniam ad societatem tradat, fiunt duo contractus, alter societatis inter officialem, & socium tradentem pecuniam, alter inter eum pro quo accepta est pecunia, & officialem, quo ille officialis beneficium recognoscens confitetur pecuniam pro se acceptam esse, & se illum indemnem seruare obligat, ob quam etiam causam ei dat fideiussores, quod etiam in eodem contractu fit. Hæc autem officia uacant per officialium mortem, & amisso capitali ad Pontificem redeunt, nisi officialis uendiderit, uel resignauerit in manibus Dararij. Et quemadmodum Pontifex per of-

De illarū origine, & quomodo fiant.

officialis mortem lucratur officium, ita etiam officialis per socij mortem lucratur pecuniam in societatem traditam, dummodo socius, & ille tertius ad cuius uitam inter aliquos contractæ fuerunt societates, non moriatur morte uolenta, & per quindecim dies ante mortem, modo quo infra dicitur, societatis solutionem non denunciauerit. At si ab alio tertio pecunia in societatem accepta fuerit, officiali tantum commo- dante officio, ille, & non officialis pecuniam illam per socij mor- tem lucrabitur. Et per officialis mortem soluuntur quidem omnes societates, quæ sunt super illo officio, socij tamen non perdunt suum capitale; si enim non existunt officialis bona quibus socijs satisfiat, eius prædēs illis satisfacere tenentur. Fiunt autem istæ societates communiter ad sex menses, & de- inde ad beneplacitum, & si pro sex primis mensibus accepti fuerunt fructus anticipati, societates dissolui non possunt, ni- si illis elapsis; at si fructus anticipati percepti non fuerint, quocumque tempore societates dirimi poterunt; ille tamen qui uult societatem dissoluere, tenetur alteri per quindecim- dies ante societatis solutionem intimare, & ad tollendas frau- des intimationem in actis reproducere, intra quos pecunia subiacet amissionis periculo, ob quod periculum illis die- bus percipiuntur societatis fructus, quibus elapsis pecunia tradita non subest amplius amissionis periculo, & societas per- fectè soluta intelligitur, hæc est quantum intelligere potui ha- rum societatum practica.

Quæ officiorum societates si debitæ conditiones seruentur, licitæ sunt, & non usurariæ, ut quidam falso existimant, qui- bus hoc solum sufficere deberet, has societates quotidie fie- ri in Summi Pontificis conspectu, qui tantum abest, quod il- las reprobauerit, ut potius confirmauerit, dum illis condi- tiones quasdam apposuit, & commisiones ad tollendas dif- ficultates, & lites, quæ ex illis oriuntur terminandas, signa- uerit, & signet. Sed ut etiam eis harum societatum ratio- nem reddam, dico licitas esse; quia socius pecunia in socie- tatem tradita, emit partem fructuum illius officij, modo, & conditionibus expositis. Nec obstat, quod multi pecu- niam ad societatem accipiunt, qui nullum officium ha- bent, quia eis ab officiali accomodatur officium. Quem- admodum enim potest quis uendere suam domum, uel su- per eam censum fundare, & se indemnem seruare, ut amico pecuniam accomodet, ita etiam officialis potest

uer-

vendere fructus sui officij, ut eodem modo amico subueniat. Quod autem hic difficultatem facere uideatur, hoc est; quia mortuo officiali, & amisso officio, socius capitale suum non- perdit, sed ei redditur ex bonis hæreditatis, uel à fideiussori- bus, in cæteris enim omnibus societatibus ea firmissima lex ad earum iustitiam constituitur, ut capitale substat periculo ponentis, ita ut si amittatur, socius non possit illud repetere, aliàs non societas, sed mutuum, & usura esset. Et modò per Bullam Detestabilis Sixti V. in societatibus non potest à socio affecurari capitale, uel certa pars fructuum: hic autem capi- tale est securum cum certa quantitate fructuum. Quod au- tem harum societatum capitale pereat, ex eo patet, quia illa pecunia ad societatem data, posita est super officio tanquam officij fructuum præmium, ergo amisso officio, illa quoque amittitur, quemadmodum amissis mercibus, amittuntur etiam sociorum pecuniæ, quibus emptæ sunt. Quo tamen non obstante dicimus has societates debitæ conditionibus seruatis licitas esse, & Bullam Sixti V. non loqui de his socie- tatibus, sed de illis in quibus socij conferunt pecuniam, uel animalia, & industriam ad lucrum; istæ autem societates sunt potius emptiones partis fructuum officiorum, sicut, & cen- sus fructuum rerum, sed quia ista officia non sunt perpetua sicut res super quibus fundantur census, ideo debuerunt ha- bere aliàs conditiones. Et si per mortem officialis, uel per priuationem, socius amitteret suum capitale nullus uellet hos societatis contractus inire; propterea concessum fuit, quod in dicto casu capitale socij non pereat, in quo officialis uideretur grauari, quia ipso mortuo, uel suo officio priuato reddendum est socio capitale; sed ex altera parte additur so- cio aliud grauamen compensans, quod ratione societatis su- bire non deberet, quemadmodum, nec in alijs societatibus subit, ut nimirum per eius mortem admodum expositum, ca- pitale non transeat ad hæredes, sed amittatur, & sit officialis, & ita in hoc contractu interuenit quædam fors in morte offi- cialis, & socii consistens; quæ, quia uterque equaliter grauatur, repræhendenda non est.

Sed transeamus nunc ad conditiones istis societatibus re- quisitas, quarum prima est, ut societas sit super officio uerè existente, empto, uel emendo, aliàs enim uenderentur, & emerentur fructus officij non existentis, & sic esset usura no- mine societatis palliata.

De condi- tionibus.

Secunda est, ut non exigantur fructus plus iusto, quantum autem possit exigi, si non sit aliqua Pontificis taxatio, inspiciendum est, quid communiter fiat, & natura rei ferat, quæ certè requirit, ut socius non recipiat plusquam officialis, & communiter recipiuntur undecim, aut duodecim pro centenariis: at si officium super quo est instituta societas, ut plurimum, & ad summum non redderet nisi decem pro centum, socius non posset plus accipere, aliàs esset usura. Tertia est, si officium ex parte officialis requirit aliquem laborem, ne socius nisi, & ipse laborem ponat, tot fructus percipiat, quot officialis, quia cetera non sunt paria. Quarta est, ut officialis non admittat ad societatem ultra ualorem sui officij, nec socius aliter potest societatem inire, aliàs enim societas, quæ supra officij ualorem adderetur, esset usuraria, quia esset ficta societas, & ficta emptio, & uenditio; in quo certè multi labuntur, & ad has satis frequètes & palliatas usuras euitandas Leo. x. in bulla super hoc edita, statuit, ut officiali remaneat saltem tertia pars officij non grauata, & Paulus quartus decreuit, ut super aliquo officio non admittatur societas nisi infra dimidium ualoris officij, & quamuis dicant Pium quartum id reuocasse, dicitur etiam ab eodè Pio quarto statutum esse, ut ad requisitionem societatem contrahentis, teneatur officialis in societatis contractu exprimere societates, quibus officium est grauatum, & nisi fideliter expresserit sit ipso iure suo officio priuatus. Quinta est, ut in societatis contractu non apponantur conditiones illicitæ, quibus aliter grauatur, ob quam causam Leo. x. instituit, ut istæ societates fierent mediante signatura Papæ, quod à Paulo i i j. renouatum fuit, & decretum, ut in supplicatione substantia rei explicetur, ut discerni possit an societas licita, uel illicita sit. Sed modo fiunt sine signatura. Illud postremò notandum est, quod soluta societate, nõ possunt amplius percipi societatis fructus, & ratio est clara, quia non est amplius societas, cuius nomine percipiuntur; soluuntur autem societates per mortem officialis, uel socij, uel illius tertij ad cuius uitam contractæ fuerunt, & per officij priuationem, uenditionem, uel resignationem, & etiam si spontè ab altero, ut dicitur, per disdictam soluantur; ad quod est necessarium, ut per quindecim dies ante, alteri societatis solutionem intimet, ut superius dixi. Quod si officialis, uel ille tertius, cui tradita fuit pecunia, pecuniam in societatem acceptam post quindecim dies elapsos, non restituerit non quidem societatis nomine, cum non sit amplius societas,

sed

sed proprii interesse lucri cessantis, uel damni emergentis, alter aliquid accipere poterit, dummodo sit uerum, & certum in interesse, quod etiam ex non restitutione illius pecuniæ oriatur, & quod prius omnem diligentiam adhibuerit, ut suam pecuniam recuperet, illam etiam per uiam iuris, & omni iuris remedio reposcendo, ut dicunt Pium v. uiuæ uocis oraculo statuisse at si in rei ueritate, non adhibuit omnem, quam potuit diligentiam, sed pro forma aliquos actus iuridicos effecit, ut sic saluo capitali, sine usuræ suspitione, societatis fructus interesse nomine percipiat, nihil ultra sortem exigere poterit, & si quid percepit, tanquam usurarius restituere tenetur.

De peccatis, quæ emendo, & uendendo committuntur non ratione pretij. Cap. XI.

EMendo, & uendendo multa committuntur peccata, & præmittimus ea, quæ non sunt ratione pretij, ut in illis ratione usuræ palliatæ diutius immorari possimus. Peccat igitur emendo, uel uendendo. Primo, qui frangit festa. 2. qui mentitur, periurat. 3. qui ad terras infidelium res prohibitas portat. 4. qui uendit arma ei, quem scit emere ad nocendum iniuste; ille autem, qui sine fine malo ob iustum ludicrum uendit arma, chartas lusorias, taxillos, fucos, & huiusmodi, illi quem credit eis male usurum, excusatur à mortali cum non uendat illa ob malum finem, & possint bene uti. 5. peccat etiam, qui uendit rem, quam scit esse uitiosam, non monendo emptorem de uitio; ubi tamen distinguendum est cum S. Tho. & Sylu. nam defectus quidam sunt, qui non afferunt damnum ementi, si eorum ratione imminuatur pretium, ut pannus malus; quidam afferunt damnum, & periculum personæ uel rerum, ut cibus corruptus, seu uenenosus, & equus retrocedens; si defectus sit prioris generi uenditor non tenetur illum manifestare emptori, etiam si sit occultus, sed sufficit, quod minuat de pretio rei, cum res defectuosa minus ualeat, aliàs inferetur damnum emptori, quod limitandum est, ut hoc non sit uerum quando emptor nullo modo rem illam emeret si sciret defectum, sed solum quando non propterea desineret emere, uel si desineret, id esset ex falsa causa, quia illam damnosam esse crederet, uel quia illius occasione uilissimo pretio illam emere uellet; nam tacendo non facit contra charitatem, cum nulla hic urgeat necessitas, nec contra iustitiam, cum iusto pretio sine em-

Defectus rei quando sit manifestandus.

Nav. c. 23
su. 89.

ptoris damno illam uendiderit, quo etiam casu post uenditionem debet monere emptorem per se, uel per alium, illius uitii & quod ob id ei minoris uendit; sed hoc si emisisset, ut uendat, nam si alteri pluris uenderet, esset causa damni illius tertii, ut ex Caiet. inquit Nauar. At si defectus sit posterioris generis, si est manifestus non tenetur illum dicere, sed satis est minuere de pretio, quod iustum est, propter talem defectum, ut si equus sit monoculus, uel claudus, quia nec damnum, nec periculum infert, dummodo non faciat, aut dicat, quo non appareat; Si autem est occultus, non satis est minuere de pretio, sed illum manifestare tenetur, quia exponeret emptorem periculo, nec satisfacit dicendo, se nolle teneri de aliquo eius defectu, & quod rem illam uendit cum omnibus suis defectibus, mendaciter exprimendo longe plures, quam habeat, etiam si occultum inter illos falsos, exprimat, ita ut emptor moueatur ad credendum non inesse illi occultum uerum, cum uideat eum mentiri in patentibus, ut si dicat uendo tibi hunc equum pro claudo, caeco, manco, & quouis defectu laborante, tum quia tenetur specialiter dicere defectum, quem ipse scit, & emptor ignorat, tum quia mouet emptorem ad credendum ipsum mentiri in occultis, cum in manifestis manifeste mentiat, hac ratione mortaliter etiam peccat, qui rem aliquam ipso iure ob aliquod crimen amissam, uel alteri obligatam uendit emptori id ignoranti; quia tamquam fisco debita, uel alteri obligata, iure potest auferri ab emptore, etiam non reddito pretio: nisi crimen sit adeo occultum, quod probabiliter uendens credat illud nemini detectum iri, & consequenter rem uenditam non esse ab emptore auferendam.

Sexto, peccat etiam proxeneta, uel licitator, qui aliquid ad uendendum accipit, & sibi partem pretii retinet, cum obligatione restituendi, nisi pro iusto sui laboris stipendio a domino non soluto acciperet, & etiam si pro stipendio acciperet, si gratis se uenditurum promisit, & qui suo stipendio non contentus, rei domino dixit, neminem pro illa plus quam centum dare uelle, & accepta potestate illam dandi eo pretio, uendit centum, & uiginti, sibi retinens uiginti. Sed dubium est de illo cui datum est aliquid ad uendendum pro decem, & uendit duodecim, an teneatur dare illa duo domino rei, & supponimus, quod pro suo labore habeat iustam mercedem; Summa Ang. dicit, quod potest sibi retinere si non excedunt pretium rigorosum, hoc. n. casu reddenda essent emptori, quia sua industria sibi acquisiuit ex quo habuit, ut daret pro decem, hoc Syluester reprehendit,

Dubium
cum solu-
tione.

dit, sed non satisfacit plene dubio, ideo distinguendo dicimus, si dominus rei dixit, quod daret pro decem, & expressè, uel tacite significauit se illi donare illud plus, certum est, quod potest sibi retinere; at si dixit, quod ad minus daret pro decem, debet illa duo restituere domino rei, quia intelligitur casu, quod non possit maiori pretio uendere; non enim propterea debet effici negligens, & dare statim primo offerenti decem si sperat se plus posse uendere. Si autem absolute dixit, quod daret pro decem, & mediocri industria ad quam tenebatur uendit duodecim tenetur dare etiam illo duo, nam quod dominus dixit intelligendum est ad minus, & ipse non habet titulum quo sibi retineat; at si mediocri adhibita diligentia non potest uendi, nisi decem, sed ipse uendit duodecim, uel quia meliorauit, uel quia maiorem diligentiam adhibuit ad quam non tenebatur, ut duodecim inueniret, puta quia quaesuit illa re egentes, uel ad eam uendendam iuit in remotiorem locum, iure potest illa sibi retinere, quasi sua peculiari, & non domino debita industria, acquisita.

Septimo, peccat qui facit monopolium cum aliis mercatoribus, ut tanti uendant suas merces, & non minori pretio, & qui priuilegium a Principe impetrat ne certi generis merces ab alio, quam ipso uendantur, in notabile populi damnum, nisi ad tempus illud obtineret, quia exercitium illud in illum locum asportauit, uel quia sua industria adinuenit; potest etiam Princeps propter bonum publicum obligare aliquos, ut semper habeant aliquod genus mercium, & statuere, ut illi soli possint eas uendere. 8. peccat qui fraudulenter alium mercatorem inducit ad emendum, uel uendendum merces cum eius damno, ut si quis intendens nocere inimico, scribat amico, ut multum emat de lana, uel alia re, quia in posterum erit cara, quod tamen nouit falsum, & postea litteras sibi cadere permittat ubi inueniantur, & legantur ab inimico, qui illis lectis cum suo damno multas lanas emit: peccauit ille quidem mortaliter ex intentione nocendi, non tamen tenetur satisfacere pro damno, ut inquit Syluester, quia non dedit occasionem efficacem; cum ille non debuerit ita leuiter credere. Non peccat autem ille, qui scit multas merces ad illum locum cito uenturas, & uiliori pretio esse uendendas, si interim suas uendit, pro pretio tunc currente, tacens, quod futurum est. Nec etiam peccat ille, qui literas mercatori scriptas, & ab eo laceratas, & in terram proiectas, colligit, coniungit, & legit, & inuento, quod admonebatur, ut certas merces emeret, quia futuri erant cariores, illas emit, & lucrum ei praeripuit; peccasset qui-

quidem ex curiositate si illas collegisset, & legisset, ut eius secreta sciret, at si id fecit, ut sibi prouideret, fuit prudentia humana, & non peccatum, ut ex Archid. inquit Syllu. quia cui libet licet accipere, quod habetur pro derelicto, ut dictæ literæ.

Quomodo sumatur iustum rerum pretium, de peccatis ratione iniusti pretii, & qua ratione excusentur multa emptiones pro quibus non uidetur dari iustum pretium. Cap. XII.

Pretia rerum non sunt secundum ipsarum rerum naturam æstimanda, sed quatenus ueniunt in humanos usus, nam cum uiuens præstantius sit non uiuo, formica, musca, & pulex, præstantior est quacumque; gemma, si earum naturam spectemus; sed quia mundus, & quæ in eo continentur sunt facta propter hominem, res ciuili æstimatione tanti ualent quantum hominibus inferuiunt, unde Arist. ait indigentiam causam, & mensuram esse humanarum commutationum, si enim nullius alterius re, uel opera indigeret, omnis humanarum rerum commutatio cessaret; & si homines semper indigerent rebus quas inuicem habent, non esset necessarium fieri commutationem nisi unius rei, cum altera re, puta frumenti cum uino, sed quia sæpe contingit, quod ille cui in præsentem superabundat uinum, non indiget re, quam habet ille, qui indiget uino, ideo, ut prouideatur futuræ indigentiae, necesse fuit inuenire aliquid, quod esset pretium rerum omnium usui humano inferuentium, & hæc fuit pecunia, quæ est illarum omnium rerum mensura, & pretium, non ex natura sua, sed lege, & hominum usu. Quanta autem pecunia danda sit pro aliqua re, & quod sit iustum alicuius rei pretium, lege, uel communi usu, & his deficientibus, proprio iudicio sumendum est, & ad illud constituendum multa consideranda sunt. scilicet rei intrinseca bonitas, illius necessitas, copia, uel inopia, præsens, uel futura, mercatoris labor, cura, industria, pericula, si merces sunt in melius, uel deterius mutata, uenditorum, & emptorum frequentia, modus uendendi, an scilicet uendens roget emptorem, uel ab eo rogetur, ex quibus omnibus prudentum iudicio, non solum sumitur pretium rei, sed etiam mutatur, non solum longo temporis interuallo, sed etiam aliquando eadem die, & hora, & illud est iustum pretium rei, quod tradita re, & numerata pecunia inuenitur, omni fraude semota. Si pretium alicuius rei est statutum à lege, uel Principe,

Arist. 5.
Ethic. c. 5.

Iustum
pretium
rerum quo-
modo su-
matur.

cipe, aut Gubernatore, determinatè, & indiuisibiliter statuitur, & illud excedere non licet, ut quod modius tritici, uel libra carnis tanti uendatur; quando autem non est sic à publica potestate determinatum, sed est arbitrarium, & à communi usu, uel proprio iudicio sumendum, tunc habet quandam latitudinem, & tres sunt illius gradus, seu tria sunt alicuius rei pretia, supremum, quod dicitur rigorosum, infimum, quod dicitur pius, & medium, & sic res, quæ iuste uenditur decem, potest etiam iuste uendi undecim, & nouem; non enim potest humana prudentia ita perfecte præcipuas circumstantias considerare, ut indiuisibile pretium constituat. Si pretium rigorosum excedatur uendendo, & si detur minus pro emendo, est manifesta iniustitia, obligans ad restitutionem.

Ex quo sequitur fallacissimam, & falsam esse illam mercatorum regulam, ut tanti possint rem uendere, quanti illam emerunt, quantumque laboris, periculorum, & expensarum subierunt, cum lucri accessione, nam fieri potest, quod mercator re pluris iusto pretio emerit, uel quod in ea fecerit expensas superfluas, fieri etiam potest, quod tanta postea aduenerit illarum mercium copia, ut adeo uiluerint, quod non possit tanti uendere, quanti iuste emit; quod etiam in fine nundinarum sæpe uidemus ex defectu emptorum, & necessitate uendendi, adeo quod mercator non potest tanti uendere etiam ad tempus expectata pecunia, quanti in principio nundinarum uendit numerata pecunia, uel ipse emit, cum pretium, quod in principio erat pius, in fine sit rigorosum, uel rigorosum excedat; nec excusatur mercator, quia in illa re perdit, nam hoc periculum subire debet, ut iuste negocietur, nec debet seruari indemnitas cum alterius damno. Et sicut non uult habere rationem laborum, periculorum, & expensarum, quando augetur pretium ob penuriam illarum mercium, & multitudinem emptorum, ita nec debet habere quando minuitur.

Illud autem commune dictum, rem. scilicet tanti ualere, quanti uendi potest, intelligendum est de pretio quo uendi potest in illo loco, tempore, & modo communi uendendi, præsentem uenditoris pecunia, & cessante omni monopolio, fraude, & dolo, & præsupposita communi rei notitia, illud enim censetur iustum pretium. Id etiam, quod dicitur ff. de minor. l. in causa. §. Idem Pompo. in precio emptionis, & uenditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire, non intelligitur, quod liceat sine culpa, & peccato, sed permissiue, sine poena in humano fo-

Pretium legale est in diuisibile aliud habet tres gradus.

Falsa mercatorum regula.

ro, quia leges, tam ciuiles, quam canonicæ, non concedunt rescissionem uenditionis nisi fuerit læsio ultra dimidium iusti pretii, non quod illam tanquam iustam approbent, sed quia tollerant ad tollendas lites, quod autem acceptum ultra pretium rigorosum sit in conscientia restituendum, etiam si sit citra dimidium iusti pretii, optime probat Sotus contra Dur. & Gers. qui uideri poterit, nolumus enim circa singula immorari, prefertim cum hoc sit per se notum; nam iure naturæ in commutationibus, & emptionibus seruanda est æqualitas, qua uiolata, uiolatur iustitia.

Sot. lib. 6.
de iust. &
iur. q. 3.
ar. 1.

De peccatis
ratione
iniusti
pretij.

His suppositis uidendum est, quæ peccata committantur in rerum emptione, & uenditione ratione iniusti pretii, & qua etiã ratione multæ uenditiones excusari possint in quibus non uidentur seruari iustū pretiū, & tamen, ut licitæ admittuntur; peccat igitur qui aliquid uendit, uel uult uendere pluris pretio rigoroso, & qui emit, uel uult emere, minoris pretio pio. Nec excusatur ille, qui pluris iusto pretio aliquid uendit forte extrahendum, dantibus multis pro eo parum quid, ut illius sit cui fors dederit, quod Itali uocant, *lotto*, nam hic modus uendendi nõ facit, quod res possit pluris iusto pretio uendi, & fit etiam iniuria, & iniustitia illis, qui dederunt usque ad pretium rigorosū, nam uni eorum est iure debirum, & forte erit alterius, qui nihil pro eo dedit infra limites iusti pretii. Sic etiam peccat cum obligatione restituendi, qui sciens uili emit rem præciosam ab id ignorante puta aurum, uel equum sanum à putante esse aurichalcum, uel infirmum, & è contra, qui uile uendit pro pretioso, ut uitrum pro gemma; at si cessat fraus, quia neuter rem illam cognoscit, sed quilibet se exponit fortunæ sine alia discussione, bona utriusq; fides, & uoluntas sic commutandi, reddit commutationem, seu uenditionem licitam, ut inquit Caiet. quæ tamen nõ sequor in eo, quod subdit, quod si emptor cognoscit pretium gemmæ, & monet rusticum, quod ipse uult, cum bona cõscientia habere absq; scrupulo etiam si ualeret mille aureos, & clare explicat, quod pro donato habeatur quicquid amplius est, non uidetur iniuste emere, ex quo dominus rei monitus cū protestatione non curat discutere rem suam, propterea, quia non emit, sed inuenit eam; & emptor non tenetur ei explicite affirmare quantum ualeat, cum ex aliis possit scire, hoc inquam non approbo per ea, quæ diximus in præcedenti capitulo de simili protestatione facta ab eo, qui uendit rem habentem occultum impedimentum, nam sicut uendens non cognoscit rem, quam

Caiet. V.
emptio.

quam uendit, ita etiam credit, quod illa emptoris protestatio sit ex eo, quod ipse quoq; rem illam non cognoscit. præterea, sicut non excusaretur sciens uendens uitrum pro gemma ignoranti, cum simili protestatione, ita etiam non excusatur emens gemmã pro uitro, nam eadem est utriusq; ratio, & in hoc casu protestatio facta, & illius acceptatio hoc solum significat, quod uterque bona fide procedit, & se exponit periculo fortunæ; uirtute cuius protestationis, protestans eo magis creditur ab altero bonæ cõscientiæ, qui etiã eo minus inquirat.

Sed cum peccata, quæ emendo, & uendendo ratione pretij committuntur, quædam sint ratione excessus iusti pretii, quædam ratione illius defectus, de istis prius agemus, & uidebimus, quæ emptiones uili pretio factæ sint licitæ, & quæ illicitæ, non enim caret difficultate, cum sæpissime uideamus aliquas res longe infra pium pretium uendi, quales sunt res, quæ publico præcone subhastantur, & illæ quæ uenduntur quæsito emptore; & in fine nundinarum emptoribus deficientibus, & quæ uenduntur ab illo, qui statim cogitur uendere cum ex ciuitate sit ei recedendum, & non possit res illas relinquere, neq; secum portare; in quibus casibus, quæ cõmuniter uenduntur centū in eadē ciuitate, & eodē tēpore, datur pro septuaginta, & pro quinquaginta; uidemus etiam post pestes, bella, & deuastatas urbes, domos, & possessiones ualentes quatuor, & sex milia, dari promille, & tamē istæ emptiones nõ reputantur iniustæ, & sic emētes ad nullã restitutionē obligantur. Ad quod respondetur istas emptiones nõ esse illicitas, quia illud est iustū rerū sic uēditarū pretiū; nã ut diximus inter alia ad cognoscēdū iustū rei pretiū, cõsiderādus est modus uēdēdi; non tamē quicūq; modus facit rē uilescere, sed ille, qui est ex defectu emptorū, ob quē quæritur, & etiã rogatur qui emat, nã ultroneæ merces uilescunt. Ad iustificandū igitur istas emptiones, & uenditiones, ut inquit Caiet. non est recurrēdū ad ea, quæ sūt per accidēs, puta ad donationē admixtã, dicēdo, quæ uēditor præsumitur donare, nã in emptionibus, & uenditionibus, cõmutatio exercetur, iustū quæritur, nõ donū, iustitia, & nõ liberalitas est examināda: quomodo etiã præsumitur donatio si cogitur dare illo pretio? nec etiã iustificatur istæ emptiones ex causa uēditionis factæ, puta ex indigētia uendentis, nisi redundet in causam, quæ per se rem uenalem facit uilescere. s. in paucitatem emptorū, nam siue quis uēdat ex indigētia, siue ex abūdātia, siue ex cõplacētia, siue ex despectu, non augetur per se, nec minuitur pretium, ut si sit certa

De peccatis
ratione
defectus
iusti pre-
tij, & qua
ratione iu-
stificatur
multæ em-
piones.

Caiet. 2. 2.
q. 77 ar. 1.

merx

merx puta petia ferici, quæ nunc Florentiæ ualeat apud mercatores communiter cētum, & sint duo priuati quorum quilibet habeat unam huiusmodi petiam eiusdem bonitatis ualentem, apud mercatores centum, & uterq; uelit suam uendere, sed ex diuersa causa, unus, quia est necessitate coactus, alter diues, quia non ei placet illam domi retinere; quas uenales exponunt ultro offerunt, & emptores quarunt, & non inuenio emptore nisi pro septuaginta pro qualibet, illas dant tali pretio, ubi uenditoris paupertas, & opulentia per accidens se habent, & nihil hic faciunt ad pretium; nam si emptor non peccauit emendo à diuite petiam suam pro septuaginta, nec etiam peccauit emendo tūc, & eodem modo illam pauperis eodem pretio, si autem peccauit emendo à paupere, peccauit etiam emendo à diuite res enim pauperis non pluris ualet, quam similis res diuitis; pretium igitur rei propriæ non mutatur ex sola causa uendendi, nec etiam per se mutatur ex modo uendendi, nam si quando res aliqua ultro offertur, uel publico præcone subhastatur adessent multi emptores, uenderetur etiā eo pretio quo apud mercatores, sed propria causa mutationis pretij est multitudo, uel paucitas emptorum, causæ autem, & modus uendendi, eatenus mutant pretium, quatenus in hanc coincidunt; quod uidemus in gemmis, quæ cum non habent emptores, uilissime uenduntur, cum autem multi sunt earum emptores, magni fiūt & pretio notabiliter excessiuo uenduntur; dicimus igitur has venditiones, & emptiones iustificari, quia fuerunt factæ iusto pretio, nam iustum pretium non solum est illud, quod communiter in illa patria currit, sed illud, quod nunc, hic, sub hoc modo uendendi, seu emendi cessante omni fraude potest inueniri, at si paucitas emptorum proueniret ex hoc, quod res occulte uenditur, uel patenter quidem, sed hora qua non confluunt emptores, uel in loco non consueto, uel quia alij rogantur, uel terrentur, ne emant, esset fraus cum obligatione supplendi iustum pretium. Et si dicatur, quod peccant sic parum offerentes. Respondetur, quod melius facerent si plus offerrent, & magis accederent ad pretium, quod communiter currit apud mercatores; sed nihilominus excusantur si cessat fraus, tū quia ultroneæ merces uilescunt, tum etiam quia paucitas emptorū ex hoc, quod non egent illa re, uel non curant illam habere, uel quia non habent pecuniam promptam ad emendum, reddit illius pretium adhuc uilius, & cum sic redditum fuerit uilius potest illa res emi etiam à diuite illa egente pro pretio uili quo alij etiam fuit oblata.

De

De diminutione pretij, & crediti non maturi, ob anticipatam solutionem, uel ob pactum de retrouendendo.

Cap. XIII.

EX triplici præcipue causa uidentur res uendi infra pium pretium, quod communiter in eodem loco currit. Prima, est paucitas emptorum ex modo uendendi, de qua modo diximus. Secunda, est propter anticipatam solutionem. Tertia, est quia res uenditur cum aliquo onere, nunc secundo loco agemus de emptionibus, quæ fiunt anticipata solutione, & dicimus quod propter anticipatam solutionem res, quæ emeretur pretio mediocri, potest emi pio; at si ematur minoris pio pretio, est usura palliata, obligans ad restitutionem, res est clara, & est communis sententia. Sed aduertendum est pro quo tempore fiat emptio, & quare res empti alio tempore tradatur, ut intelligatur, quæ emptiones sint licitæ, & quæ illicitæ, nam qui emunt semper quarunt minoris emere, & si non sunt necessitate præssi, emunt tempore, uel pro tempore quo res minus ualet. Si igitur quis emit rem aliquam minori pretio, quam ualeat tempore emptionis, & solutionis, ex eo, quod illa recepturus est alio tempore quo uerisimiliter creditur minus ualitura, ut si quis mense Ienuarij emit frumentum dandum tempore mæsis, emptio tunc facta intelligitur, & est facta pro tempore mæsis, & considerandum est quantum creditur tunc ualiturum iuxta communem opinionem, & cursum regionis; si illo pretio emitur, emptio est licita, etiam si tunc ex aliquo accidenti pluris ualeat, quia poterat etiam minoris ualere, casus est in terminis, in c. Nauiganti de Usuris, at si minoris iusto pretio uerisimiliter credito, emitur, emptio est illicita, & usuraria censetur; nam quoad deprauatam emptoris intentionem perinde est ac si mutuaret pecuniam illam uenditori, ut recipiat lucrum quod est ultra ueram æstimationem rei; nec excusatur per hoc, quod aliquando frumentum pluris ualet tempore mæsis, quā tempore paschæ, quia ut inquit Abb. considerandum est, quid frequenter, & non quid raro accidat, & non est recedendum à communi præsumptione. At si emitur tempore quo minus ualet, ut tempore mæsis, cum pacto, quod detur in paschate, quādo plus ualet, si emens hoc facit, ut triticum illo tempore saluū habeat, sine expensis, & molestia, est illicitum, & usurarium, & multo magis si adimitur uenditori facultas prius dandi, nam

cum

De emen-
tibus anti-
cipata so-
lutione.

cum emptio tunc fuerit completa, perinde est ac si emens, frumentum illud mutaret uenditori, pro tempore quo plus ualebit de quo uide superius, c. 6. concl. 7. At si cessat omnis fraus, & emens relinquit frumentum, uel uinum apud uenditorem, non ut illum grauet, sed ex amicitia, quia non habet ubi secure reponat, & in se recipit omne periculum, & damnum, & paratus est recipere quandocumq; ante tempus praestitutum alter reddere uoluerit, non per hoc redditur emptio illicita.

De diminutione debiti non maturi ob anticipatam solutionem.

Sed est dubium de diminutione debiti non maturi ob anticipatam solutionem, ut si quis v.g. habeat creditum centum aureorum in fine anni exigendorum, an debitor uel alius possit pro illo in principio anni dare 90. & ita lucrari decem. Ut separemus certa a dubiis, certum est hic apud omnes, esse usura, si hoc fiat ratione temporis, ob anticipatam solutionem. Certum etiam est esse licitum si id fiat rogatu creditoris indigentis pecunia, & illud minus soluatur propter aliquod interesse, puta quia illud creditum non est liquidum, aut labor, expensae, aut periculum subeunda sunt in eis recuperandis, uel quia pecuniam illam destinatam habebat negociationi, aut emptioni frugiferorum ex qua uerisimiliter illud minus, quod alteri soluit lucraretur. Dubium autem est quando minus soluitur, non propter periculum, quod subitur, uel interesse, quod anticipate soluens patitur, sed propter lucrum, an aliqua ratione excusari possit. Ad quod simpliciter responderi non potest, nam si creditum est ob rem uenditam ad tempus pretio rigoroso, poterit emptor conuenire cum uenditore si pecuniam uult ante tempus conuentum, ut pretium rigorosum, reducat ad pium, uel mediocre, & hac ratione minus anticipate soluens excusari potest. At si creditum est ob aliquam aliam causam, uel etiam ob rem uenditam pio pretio, uel si pretio rigoroso id tamen, quod pro eo soluitur est infra pium pretium, ut non habeat locum praedicta ratio, non potest esse alia ratio excusans, quam emptio iuris exigendi illud creditum; An autem ista ratio sit sufficiens est inter Doctores controuersia.

An possit emi ius exigendi creditum. Caiet. V. usura in fine depag. mot. Gen. Nau ar in Man. c. 17. nu. 230.

Caiet. & Nau. tenent non esse usuram, & contractum esse licitum si seruetur iustum pretium; & quod non sit usura probant, quia hic non est mutuum, sed emptio iurium; ubi autem non est mutuum ibi non est usura; quod autem non sit mutuum patet, nam si esset mutuum, qui accipit teneretur reddere pecuniam acceptam, & periculum esset penes illum, qui accipit; at in casu nostro, qui accipit non tenetur reddere pecuniam, sed

ius

ius suum cedere, & tradere, & periculum est dantis; quae sunt contra rationem mutui, & ad ueram, & realem emptionem pertinent. Quod etiam sit uera emptio probatur, quia non emitur pecunia exigenda, sed ius illam exigendi, ius autem seu actio ad rem, distinguitur ab ipsa re, & uendi potest, ut est certum, apud omnes; Sed quod hic dubitari potest, est de iustitia pretij, nam Bart. & Bald. dicunt, quod illud ius tantum ualet quantum res ipsa, deductis expensis, & laboribus, si autem hoc est uerum, ius liquidum, & securum, exigendi post annum centum sine expensis, & laboribus, iniuste emitur 90. nam ualet centum; Sed uidetur, quod istud ius minus ualeat, etiam deductis expensis, & laboribus, nam res uernalis per annum inutilis, minor est seipsa utili ab hodierna die; cum ergo illud ius sit acerbum, & per annum inutile, rationabiliter minus ualet, & minoris uenditur, quam si nunc esset utile, sicut terra sterilis, usq; ad annum, minus ualet, quam ipsamet, si esset hodie utilis; & ita uidemus secundum humanum usum, plus appetiari pecuniam statim traditam, quam postmodum tradendam, nam iuxta commune dictum melior est res, quam spes, & ff. de reg. iur. l. minus, dicitur, quod minus est habere actionem, quam rem; quod idem contra Bartol. & Baldum tenent Innoc. & Abbas, & dicunt, quod cum bona conscientia potest quis emere actionem iam ortam tempore contractus, etiam pro minori pretio; nec uidetur obstare si dicatur, quod plus in termino recipitur, quam nunc detur, nam etiam in emptione cessus successu temporis longe plus recipitur, quam detur, & tamen non ob id condonatur contractus, quia non emitur pecunia postea recipienda, sed ius, & actio praesens ad eam postmodum recuperanda.

Innoc. in cap. in ciuitate de usur. Abb. in c. ex parte de alien. mut. iud. cau. fac. S. Thom. opusc. 67. S. Ant. Ast. Ang. Syl. Tab. in eorum summis locis propriis. Gab. 4. d. 15. q. 1. art. 3. dub. 4. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 4. ar. 1. Med. Cod. de rebus restit. q. 38. in fin.

Cum doctores adeo insignes hanc sententiam teneant illam probabiliter reddunt, praesertim cum eorum argumenta non sint spernenda, sed contraaria sententia, quod sit usura palliata, est comunior, uerior, & sequenda, ita tenet S. Th. S. Ant. Gab. Asten. Ang. Sylu. Tab. Sot. Io. Med. & alij, & quod sit usura palliata, probat eo modo quo probatur uenditione ad tempus pluris iusto pretio, uel minoris pio ob anticipatam solutionem esse usurariam, quia hic est mutuum cum lucro, palliatum nomine emptionis iuris exigendi centum in fine anni, nam illud emens pro 90. perinde est ac si mutaret 90. cum pacto, quod in fine anni ei restituatur centum; sed quia illi, qui contrariam tenent sententiam, respondet, quod non dantur 90. pro centum, sed pro actione exigendi centum, cuius actionis, seu iuris exigendi centum, iustum pretium sunt 90. propterea uidentum est, quod sit iustum pretium illius actionis; hinc enim pendet solutio huius quaestionis: & praesupponimus istud

F ius

ius esse liquidum, securum, & exigibile sine sūptibus, & laboribus, nā ut diximus his rationibus minuitur eius pretiū; & probatur, q̄ iustum pretiū actionis ad cētū sit cētum, quia actio ad rem tantū valet, quantū ipsa res ad quā est actio deductis laboribus, & expensis, ut docent Bart. & Bald. & licet Abb. ex Inno. Bart. & Bald. impugnet, & dicat, q̄ actio ad rem minoris valet, quam res, etiā deductis expensis, & oneribus; dū tamē illius rationē reddit, cōmunem cōfirmat sententiā, & à Bart. & Bald. nō recedit, quia. s. propter dubiū euentum litis potest perdere causā, etiā iustā, ob iudicis defectū, & quia debitor potest interim effici inops. vbi vult, q̄ minoris valeat propter periculum, & nō propter tēporis expectationē, q̄ omnes cōcedunt. Hoc etiā Io. Medina probat sequentibus rationibus. 1. Si actio ad pecuniā exigendā ad terminū minus ualere, quā pecunia ipsa in promptu soluenda, & inde iustificatur dictus contractus, sequeretur hunc etiam contractum esse iustum. s. Petrus indiget 90. ducatis, quos mutuū petit à mercatore, mercator nō vult mutuare, sed actionem ad centum in fine anni soluendorum emere, & ita contrahit cum Petro, quod ei actionem ad centum in fine anni uendat, pro 90. ducatis, qui casus certē ab omnibus iudicaretur usurarius, ergo eadem ratione iudicāndus etiā est hic noster similis, non. n. obstat si dicatur in casu nostro actionē ad cētum esse antiquā, & præcedere ipsam emptionē, in casu uero argumēti actionē constitui in ipso contractu, quia nouitas, uel antiquitas actionis ad pecuniam, non tollit ualorem eius, nec impedit quominus possit actio noua emi, & uendi, nec pretium actionis debet ob antiquitatem, uel nouitatē uariari, ut patet in contractu censuali, quicquid sit de sententia Innoc. in c. in ciuitate de usuris. 2. quia si pecunia ad terminū soluēda non ualet, quantū ualere in promptu tradita, sequitur, q̄ mercator posset rē carius ad terminū uēdere, quā ualeat numerata pecunia, etiā ultra pretiū rigorosū, siue mercator esset rē seruaturus siue nō, & etiā si uerisimile sit rē illā nō plus ualiturā tēpore solutionis, q̄ cōstat esse falsissimū, & usurariū: Sequela patet, quia pecunia, quæ est pretiū, debet æquari ualori mercis loco, & tēpore quo merx tradēda est, ut sit iustum pretium, & sit v.g. merx cuius rigorosum pretium sit 90. si 90. modo soluenda, est pretium centū soluendorū in fine anni, pretiū illius mercis ad terminum unius anni erit centū, etiā omni interesse remoto. 3. si actio ad centum in fine anni soluenda posset pro minori in promptu emi, posset etiā iuste pro minori in promptu ab ipso debitore redimi, q̄. n. est emi-

Rationes
Medinæ.

bile

bile est etiā redimibile, & ita poterit Paulus, qui debet soluere in fine anni Petro centū, dare illi nunc 90. pro centū. Sed hic casus solet cōmuniter tāquā usurarius dānari, quia perinde est ac si Paulus mutuet nūc Petro 90. recepturus in termino cētum. licet Nau. hoc licitū esse concedat, quia sicut potest tertius illam actionē emere, ita etiā poterit ipsemet cōtra quē datur redimere; & reuera ad iustitiā cōtractus nihil refert una ne, uel alia persona emat, uel uendat, & propterea Nau. ex hoc, q̄ potest alius actionem illā emere, infert, q̄ potest etiam debitor. Et nos ē cōtra inferimus ex hoc, q̄ non potest debitor, q̄ non potest etiam alius, cū in debitore magis appareat ratio mutui, & anticipatæ solutionis. 4. si actio ad centum non ualet nisi 90. in promptu, sequeretur, quod si debitor uellet ante tēpus soluere, uel alius tertius illam actionem emeret centum, creditor recipiens nūc centum iniuste ageret, & teneretur restituere decem, quia centum in fine anni soluenda ualent nunc 90. quod est absurdum.

Ad rationes Caietani in contrariū facile, cū eodē Medina respondetur, quāuis. n. hic nō sit formaliter mutuū, est tamē (ut diximus) uirtualiter, & interpretatiue, & emēs illā actionē substituitur loco creditoris, & ista emptio, non fit iusto pretio, & cōsequenter est iniusta, & usura palliata, ut diximus. Ad exemplum autem adductū, dicitur, quod aliud est de actione ad rē fructiferā emptā, aliud uero de actione ad pecuniam, quæ ex solo tēpore nō fructificat, nā si in emptione rei fructiferæ, quæ non est statim tradenda, minuitur pretium, est quia interest ipsius emptoris eam statim, aut non statim habere, ratione fructuū, quibus per dilationem traditionis carere compellitur, quod quidem in emptione præfati debiti non reperitur. Et si homines, ut plurimum, magis estimant, & appetant pecuniam in promptu datam, quam ad terminum soluendam, est, uel propter periculum debiti, uel ob aliquod interesse damni emergentis, uel lucri cessantis ob quas causas concedimus etiam nos, minui pretium, at nos modo loquimur de debito liquidissimo, certissimo, & omni cessante interesse.

Tertia causa diminutionis pretij est ob onus emptori impositum, quia scilicet res non uenditur libere, sed cum pacto de retrouendendo, sic enim uendita minus ualet, quia emptor non potest de illa ad libitum disponere, ut de re propria. Alii qui dixerunt istum contractum esse illicitum, & usurarium, & re uerā potest fieri, & læpe etiam fit in fraudem usurarum, quando. s. ille, qui emit uerē non uult emere, sed simulate fit cō-

De uenditione cū pacto de retrouendendo.

F a tra-

Quod nõ
requiran-
tur tot cõ
ditiones
quot ali-
qui ponit

tractus emptionis, cum pacto de retrouendendo, hoc. n. casu est usura palliata, nam perinde est ac si mutuaret certã summã pecuniã, & in pignus reciperet possessionẽ; & illius fructus, tãquã mutui lucrum perciperet, nõ computando illos in sortem. At si cessat fraus, & emptor uerẽ intẽdit emere, & dat iustum pretiũ, contractus est licitus. Nec requiruntur tot conditiones, quot aliqui ponunt, non illa ne. s. emens sit solitus dare ad usuram, nam agimus de foro conscientiã in quo rei ueritas, & non præsumptio attenditur, sicut in foro exteriori, & pœnitenti pro se, & contra se creditur. nec illa, quod non fiat pactum, ut ante duos uel tres annos uenditor non possit redimere, & postea sic, nam istud pactum posset esse licitum, esset enim iniustum, si ille, qui uendidit agrum non satum uellet eodem anno, & eodem pretio illum satum redimere, uel qui uendidit domum, quã indigebat restauratione, si illam statim post restorationẽ uellet, sed recta ratio poscit, quod emptor ad minus tamdiu rem emptã teneat, quod iustum reparationis, seu meliorationis commodum percipiat, nisi emptor pro interesse etiã satisfacere uelit; ob quã causam possunt etiã cõuenire, q̃ emptor infra tempus redimendi non faciat nisi reparationes necessarias, uel certa, & determinata melioramenta. Nec etiam est necessaria illa conditio, ut non fiat pactum, quod ultra certum tempus redimĩ non possit, quia certum est posse fieri pactum de retrouendendo intra solum unum annum duos, tres, aut plures, & quod illis trãfactis non possit amplius redimi, nam sicut in gratiam uenditoris additur pactum de retrouendendo, ita æquum est, ut uenditori assignetur certum tempus in gratiam emptoris, ut possit melioramenta facere, uel ad libitum de re emptã disponere, potest igitur fieri pactum de retrouendendo quandocumque, & etiam intra tempus determinatum, quã duo pacta uariant pretium rei, nam primum, illud magis minuit, secundum uero non ita minuit.

Sed de emptione cẽsus est peculiaris ratio propter extrauag. Pij V. ut inferius suo loco dicemus. Additur etiam alia conditio, quod emptor emat, cum pacto de retrouendendo solum, ut placeat uenditori, & quod malit ne redimatur, adeo quod si putaret esse redimendum, non emeret. Ista conditio ponitur, ut emptio sit realis, & non ficta, in fraudem usurarum, sed potest nihilominus sine illa esse uera emptio, nam sæpe contingit, quod aliqui uerẽ emunt aliquã rem cum dicto pacto, quam aliã non emerent, quia non habent satis pecuniã ad

eana

ad eam liberẽ emendam, nam illud pactum minuit eius pretiũ, quã pretij imminutio allicit etiam diuites ad emendum: imo potest contingere, ut inquit Nau. quod aliqui rogatu amicorũ, qui res uendere coguntur, illas uerẽ emant cum dicto pacto, qui tamen libere, uel si crederent non esse redimendas, nõ emerent; hoc enim non sufficit ad simulatam emptionem, cum non interueniat pactũ, quod redimãtur, & illa credulitas pertineat ad causam sine qua non, & intentio sit non mutuandi cum lucro, sed uere sic emendi in gratiam uenditoris. Ut igitur iste cõtractus sit licitus, tres sunt necessariã conditiones. Prima, ut absit simulatio saltem ex parte emptoris, ita ut emptor uere, & principaliter intendat emere. Secunda, ut soluatur iustum pretium, certum est iustum rei pretium per tale pactum emptori in gratiam uenditoris onerosum, imminui, & magis imminui si pactum de retrouendendo sit quandocumq; sine temporis limitatione, quanta autem pars pretij per tale pactum diminuatur standum est consuetudini peritorum, & bonorum arbitrio approbatã; Nau. inquit diminui quartam partem uel ampliorẽ. Illud autem pactum sæpe apponi solitum, quod nisi res uendita infra tempus conuentum redimatur, emptor illius augeat pretium, reddit emptionem suspectã, uidetur enim, quod fuerit emptã minoris pio pretio etiam attento predicto onere, & consequenter esse iniustã, nam si redimitur emptor plures, & indebitos percepit fructus, si non redimitur, licet suppleat pretium, tamen pro tempore quo non fuit redempta, non soluit iustum pretium. Dixi reddi emptionem suspectã, quia fieri potest, quod fuerit solutum pium pretium, sed uenditor nolit eam postea illo liberam dare, & emptor contentus sit augere pretium. Tertia, conditio ne fiat pactum, quod redemptio fiat maiori pretio, quam emptio facta est, nisi illud plus sit ratione melioramentorum, quã facta fuerint.

Est etiam hoc loco notandum hanc emptionem cum dictis conditionibus, non reddi illicitã per hoc, quod emens domũ uel agrum, illum statim locat uenditori sicut in quibusdam locis fit, si locatio fiat iusto pretio, nam sicut potest locari aliis, ita etiam illi, at si in locatione non habetur ratio fructuum, qui deductis expensis ex illo percipiuntur, sed pretij quo ager emptus fuit, ut detur ad rationem quinq; aut sex pro centenario, contractus redditur suspectus, & censetur usurarius, quia uideretur lucrum ex mutuo palliato nomine emptionis, & locationis.

Nauar. in
Man. c. 17
nu. 248.

Conditio
nes neces-
sariã tres.

De auctione pretij. Cap. XIII.

Agendum nunc est de uenditionibus in quibus exceditur iustum rei commune pretium; nam sicut ex circumstantijs, & conuentionibus, sæpe iustum pretium minuitur, ita etiam augetur; ex his autem, quæ diximus de illius diminutione, manifestum etiam est, quibus modis augeatur, ut ex mercium penuria, & emptorum abundantia; Et quando res pluris uenditur per hoc, quod illius pretium augetur, certum est nullam committi iniustitiam, si sine monopolio, & fraude augetur; propterea ne in claris immoremur, & ne eadem repetamus; causas ob quas res pluris uenditur breuiter examinabimus; & dicimus primo, quod si res aliqua uenditur, non ratione substantiæ, & communis illius usus, ob quem secundum communem æstimationem certum habet pretium, sed ratione alicuius qualitatis ob quam est uendenti cara, & res illa maxime desideratur; tanti ualeat quanti illa dominus æstimat, & quanti uendi potest. & ita uidemus canes ad uenandum perfectos, uel gesticulosos, & equos ad currendum ueloces, uel fectentes genua, carissime uendi, & longe excedi pretium rigorosum aliarum similium rerum eiusdem, & melioris etiam bonitatis quo ad substantiam.

Dicimus secundo, quod ratione proprii interesse res potest uendi pluris pretio rigoroso, quod tunc currit, hoc autem non est (ut diximus) quia pluris emit, sed quia nolle tunc rem illam uendere, uendit autem rogatus ab eo, qui illa eget, a quo (ut iustum est) debet seruari indemnitas, & ita iuxta damnum, quod uendendo patitur potest pluris uendere. non potest autem pluris iusto pretio uendere. ob magnam necessitatem emptoris, uel ob magnam utilitatem, quæ illi inde prouenit, quia sic uenderet, quod suum non est, alterius. scilicet commoditatem; licet honestum sit, ut emptor, qui ea multum lucratur, aut se iuuat, plus aliquid iusto pretio det uenditori. Hac ratione excusari potest, qui uendit triticum, uel aliquid aliud plus, quam tunc ualeat, sed pretio quo ualiturum est alio mense. Verum si non erat illud seruaturus ad illum mensem, peccat, & tenetur restituere id, quod ultra pretium tempore uenditionis accepit, at si erat seruaturus, potest illud uendere pro pretio, quod tunc curret, tribus tamen concurrentibus, ut bene inquit Naqarrus. Primum, ne summum quo illo mense ualiturum est pretium,

acci-

accipiat, sed medium, etiam si tunc non taxetur pretium, sed cõueniatur, quod soluatur pretium, quod curret illo mense, quia forte uendidisset die quo minus ualeat, credens, quod non sit plus ualiturum. Secundum, ut de pretio deducat tantum quantum seruando diminutum fuisset, iuxta expertorum iudicium. Tertium, ut etiam deducat expensas quas in seruando, usque ad illud tempus facturus erat.

Dicimus tertio certum à Principe, seu republica pretium taxatum non posse in earum rerum uenditione excedi, illud enim, quod est à publica potestate taxatum, est indiuisibile, & non habet tres predictos gradus; & si notabiliter excedatur est peccatum mortale obligans ad restitutionem, etiam si uendentes sint clerici, nam licet seculari legi non subiciantur, subiecti tamen sunt legi naturali, & diuinæ, quæ præcipit ne quis suum ultra iustum pretium uendat, iustum autem pretium est illud, quod statutum est ab habente ad id potestatem. At si taxatum pretium non est iustum, aut deceptione, aut taxantium malitia, uendentes iusto pretio in conscientia non peccarent, sed solum periculo soluendi poenam se exponunt, quemadmodum etiam in conscientia non excusantur, qui uendunt pretio taxato res corruptas.

Dicimus quarto esse iniustum, & usuram palliatam rem pluris pretio rigoroso uendere ob dilatam solutionem, sicut, & minoris pro pretio emere ob anticipatam solutionem. Vbi notandum est, quod res, quæ numerata pecunia daretur pro pretio mediocri, & pio, potest ob dilatam solutionem uendi pretio rigoroso; & res, quæ non daretur numerata pecunia, nisi pro pretio mediocri, potest ob anticipatam solutionem dari pro pio, at si ob dilatam solutionem res uenditur pluris pretio rigoroso, est usura palliata, in quo omnes conueniunt, quia illud plus accipitur ratione temporis.

Non est autem hoc loco ad audiendum Medina, qui tenet res carius posse uendi credito, quam præsentem pecuniam, & uilius emi, ea anticipata, quia modus uendendi uideretur augere, uel minuere pretium propter periculum, quod contingere potest, eo quod debitor fieri potest inops, & impotens ad soluendum pretium, uel tradendam mercem, uel ingratus, & malignus, ut id facere nolit, nam ista sententia est noua, falsa, & contra omnes theologos, & canonistas, & contra cap. in ciuitate de Usuris. Et si eius rationes aliquid ualerent, eisdem etiam probaretur esse licitum mutuare cum lucro, quia etiam mutuantes subeunt

F 4 ista

Nau. in e.
17. n. 2; 7.Med. C.
de rest. q.
39.

ista pericula, quæ tamen nullius sunt considerationis ad augendum pretium, & ad requirendum lucrum ex mutuo, nam qui ista timent non uendant, nec mutuent, uel fideiussorem quærant, non enim coguntur uendere, aut mutuare. Videatur Sotus, qui hanc Medinæ sententiam copiosius impugnat.

Sed cum in aliquibus locis, ut hic Florentiæ sit uniuersalis consuetudo uendendi ad tempus carius, etiam pro pretio, quorum consuetudo defendi possit. Mercatores, qui sic uendunt, dicunt se uendere iusto pretio, quod nos appellamus rigorosum, si autem illud pretium non inuenitur numerata pecunia est propter consuetudinem, quæ est apud eos emendi ad tempus, quæ rationabiliter fuit introducta, tum quia sunt uiri industrii, qui licet careant pecunia, uolunt nihilominus mercaturam exercere, unde coguntur emere ad tempus, tum etiam quia sunt multi mercatores diuites, qui cum non indigeant pecunia, nolunt uendere nisi ad tempus, ut carius uendant, ut dicit Paulus de Castro de Florentinis, unde alij, qui uellent uendere numerata pecunia, non inueniunt emptores nisi ad tempus, uel pro pretio mediocri, & pio. Cum uiderim multos mercatores timorata conscientia, & sacramenta frequentantes sic ad tempus carius uendentes, diu cogitavi an aliqua ratione excusari possent, & rem difficilem inueni, & credo non posse, nam certum est, quod iustum pretium rei est illud, quod inuenitur statim re tradita, & numerata pecunia ff. ad l. falcidiam l. in lege fal. ubi dicitur, *Corpora si qua sunt in bonis defuncti secundum rei ueritatem aestimanda erunt, hoc est secundum presens pretium, nec quicquam eorum formali pretio aestimandum esse sciendum est*, id est pretio a contrahentibus formato. Hoc etiam est determinatum ab Ecclesia in c. Consuluit de usuris quatenus ibi prohibetur illa uenditio, qua aliquis suas merces longe maiori pretio distrahit si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium soluatur. Et c. in ciuitate, & c. Nauiganti eod. tit. eos qui carius uendunt ad tempus, quam res ualeat numerata pecunia, ea sola ratione excusari posse dicunt, si rem illam usque ad illud tempus erant seruaturi, & illud probabiliter creditor tunc futurum illius pretium, quasi uelint hac ratione cessante propter dilationem solutionis non posse rem carius uendi, quam uendatur numerata pecunia, & ita tradunt Doctores in d.l. & in d.c. consuluit, & summissæ proprijs locis. Ad dictam ergo consuetudinem dico esse illicitam, quia est contra leges, Canones, & Doctores,

tores, & contra rationem, nam iustum pretium rei, est illud, quod numerata pecunia, & re tradita inuenitur, quod si illud pretium non inuenitur numerata pecunia, dicam ego, ideo non inueniri quia omnibus consideratis non est iustum. Et confirmatur, quia secundum Doctores, & tradunt in particulari Sotus, & Nau. in fine nundinarum non potest res tanti uendi quantum in principio ad tempus, quia cum desint emptores, & alij uelint uendere, non inuenitur numerata pecunia illud pretium. Et quando ueniunt externæ merces, & desunt emptores, ita uilefcit earum pretium, ut mercatores non possint tanti uendere, quantum iuste emerunt, uel in illis impenderunt, etiam ad tempus, sed tenentur uendere etiam cum damno, pretio quod tunc inuenitur numerata pecunia si nolunt uendere, non enim coguntur tunc uendere, nam hoc periculum subire debent.

Sed ut etiam dicamus, quod pro illis facere potest Syluest. V. Usura 2. ex sententia etiam Gherar. & Archid. & S. Ant. 2. p. tit. 1. c. 8. §. 1. dicunt, quod quando fraude aliquorum mercatorum diuitum uendentium carius ad tempus alij non possunt uendere iusto pretio numerata pecunia, possunt etiam ipsi carius uendere ad tempus, quam inueniant numerata pecunia, quia illorum fraus non debet eis nocere; & hoc uerum esse concedimus, sed non uidetur casus noster, nec ob id potest iustificari illa consuetudo. Primo, quia modus uendendi carius ad tempus in illis locis, non uidetur ex aliquorum fraude, sed ex uniuersali, & antiqua illorum locorum consuetudine. Secundo, quia illi Doctores dicunt etiam, quod stante dicta fraude, alij etiam possunt carius uendere ad tempus, non quantum illi uendunt, sed solum quantum res uenderetur numerata pecunia si non adesset fraus, at in illis locis omnes uendunt ad tempus eodem pretio, & iuxta dilationem temporis, quasi id esset apud eos lege taxatum. Si dicant, quod tamen uendunt ad tempus quantum res uenderetur numerata pecunia pretio rigoroso si non esset illa consuetudo, hoc non uidetur uerum, quia pretium nimis excedit, & iuxta dilationem temporis augetur, nam latitudo pretij numerata pecunia erit V. g. 89. uel 90. aut 91. at cum termino sex mensum est 95. & unius anni 100. præterea communiter uenditur cum facultate diminuendi de pretio ad rationem 8. uel 10. pro centum, pro rata temporis, si ante tempus conuentum soluatur pretium, quo uirtualiter fatentur illud plus, quod non inuenitur numerata pecunia, esse rationem temporis, & falsum esset, quod dicunt, quod perderent si uenderent numerata pecunia.

Dubium est an liceat carius uendere ad tempus ratione proprii

inte-

interesse lucri cessantis, quia si haberet tunc pecuniam, illam negotiationi exponeret, & ea lucraretur, aliqui dicunt id licere dummodo sit uerum interesse, alij ut S. Ant. dicunt non esse licitum, quorum sententię adhæreo, & dico esse illicitum, nisi id fiat, non, ut sic magis distrahantur merces, sed ob causam, quæ ad expectandum inducat in beneficium emptoris, sicut diximus de mutante pecuniam negotiationi expositam, ca. 5. & cap. 7. conc. 3.

De illis, qui emunt, ut statim carius uendant, & qui carius emunt ad tempus, ut uilius uendant numerata pecunia. Cap. XV.

Tria hoc loco occurrunt dubia. Primum est de illis, qui emunt, ut statim cum lucro carius uendant, sine ulla rei, temporis, aut loci mutatione, & supponimus rem emi, & uendi intra latitudinem iusti pretij, saltem ex modo emendi, & uendendi, illo enim uariato, uariatur pretiū: difficultas non est in hoc, quod cum lucro uendant, & uendere intendunt, nam hic est finis mercaturæ, qui licet quandam turpitudinem præ se ferat, tamen cum mercatura sit reipublicæ necessaria, multis de causis potest honestari; sed difficultas consistit in hoc, quod emunt, ut statim carius uendant, ita quod non emerent nisi scirent res statim uendendas, imo nisi prius uendidissent, nam quilibet mercator emptis mercibus, paratus est quandocumque, & statim illas uendere, & uendendo statim iusto pretio non peccat, si igitur illi peccant, est quia hac intentione emunt. Syluester contra Ros. dicit esse manifestum eos peccare, & iniuste agere, nos quidem concedimus eos peccare si lucrum, tanquam ultimum finem intendunt, & cupiunt sine labore, & sollicitudine ex auaritia diuitias congregare, at si id faciunt non ut inducant caritatem, sed propter propriam necessitatem, uel ut reipublicæ, & communi utilitati, & maxime pauperibus seruiant; non peccant, ut inquit Tur. Crem. ut mercator, qui adueniente nauis onusta mercibus, illas emit, & statim carius uendit, quia etiam pluri ualent, nam cum erant in nauis quærebatur emptor, extra nauim, potius rogatur mercator, qui non ita cogitur uendere; hac etiam ratione excusantur illi, qui emunt bona subhastata, & statim carius uendant etiam in eodem loco, nam ex modo uendendi (ut diximus) mutatur pretium rei, Et sicut mediator quærit emptorem, & uenditorem, ita etiam

mer-

mercator inuento emptore mercium quas non habet, potest illas emere pretio pio, uel mediocri, ut statim carius uendat intra latitudinem iusti pretij, & si peccant, ex auaritia peccant, & non contra iustitiam, nam emptio, & uenditio fiunt iusto pretio, & lucrum est ex propria industria, quæ potest licito sine honestari.

Secundum dubium est de illis qui carius emunt ad tempus, ut uilius alijs, uel eisdem statim uendat numerata pecunia, Ad quod dicimus hoc contractandi genere multa committi peccata, tam ex parte mercatorum, qui hac ratione uisuras palliant, & res defectuosas, ut bonas uendant, quæ etiam ex parte eorū, qui ab illis emunt, sunt enim, ut plurimum filij familias, uel homines ludis, crapulæ, & luxuriæ dediti, qui cum non habeant pecunias, has uia illas quærunt, quibus mercatores non debent sic uendere, & uendentes cooperantur eorum peccatis, & digni sunt, ut etiam humano iudicio se uere puniantur; Sed hæc sunt per accidens, iste enim contractandi modus, ex se, si debitis circumstantijs fiat, non est illicitus, nam qui indiget pecunia, ut suis necessitatibus subueniat, & non inuenit, qui illam ei mutuet, potest hac uia quærere, nec solū excusatur ipse, quasi redimēs suam vexationem, sed etiam mercator, uendens iusto pretio. Et quamuis de rigore iuris idem mercator possit rem, quam uendit pretio rigoroso ad tempus, ab eodem statim emere pretio mediocri, uel pio, numerata pecunia, eo modo quo quilibet alius rem illam emere potest, non tamen debet, propter scandalum, quia censeretur mercator iniquus, & usurarius, quod scilicet mutuum cum lucro, nomine uenditionis, & emptionis palliauerit, quæ suspicio cessat, si alius emit. Si autem recta intentione procedatur, & caueatur ne ullum inde eueniat scandalum, ille idem, qui uendit poterit, etiam meritorie, ab eodem eandem rem pio, uel mediocri pretio quo apud eum ualebat emere; nam cum ille, qui emit ad tempus, cogatur statim rem emptam uendere numerata pecunia, non inueniet iustum pretium, nec etiam pium quo apud mercatorem ualebat, nam cum ultro illam offerat, & emptorem quærat, & roget, uilescit, & minuitur pretium (ut diximus) opus igitur charitatis faciet mercator, qui uendit, si illam emat pretio mediocri, uel pio, quo apud ipsū in propria apotheca ualebat; sed quia habenda est etiam ratio famæ, crudelis enim est, qui negligit famam suam, non statim emat, sed significet ei pretium, quo ab eo emet, illumque dimittat, ut alios emptores quærat, & det plus offerenti, & cum re-

uer-

Syl. v. emptio. §. 12.

Tur. Crem. 14. q. 4. in c. canonū.

uertitur, non emat, nisi prius ei constet, quod alios emptores quaesierit.

De illis, qui uendunt concessa dilatione, & interim percipiunt fructus rei. Cap. XVI.

Tertium dubium est de illis, qui rem fructiferam uedunt, ut domum, aut fundum, non ad emptorum instantiam, sed pro suis gerendis negociis, & non inuenientes, qui statim soluant integrum, & iustum pretium, accepta in consecutione contractus parte pretii, pro reliqua, dilationem concedunt, imo etiam aliquando pro integro pretio, & cum emptoribus conueniunt, ut interim eis singulis annis ratione fructuum soluant tot pro centenario pretii non soluti. De quo inter Doctores fuit, & est maxima controuersia, Legistae communiter dicunt contractum esse licitum, communior Canonistarum, Summistarum, & Theologorum sententia est, quod sit usurarius, Antonius in Catechesi dicit hoc dubium fuisse nuper a Theologis & Canonistis Romae disputatum, & Pœnitentiarum S. Petri, & aliorum insignium Theologorum, & Canonistarum refert sententias, quod sit usurarius; quia ex quo uenditio est completa & perfecta, uenditor accipit fructus de re non sua, & cum dilationem concesserit, emptor non est in mora, & ipse nullum potest prætere interesse. Sed rei ueritas in se est facilis, & clara, licet tot Doctorum sententiis obscurior reddatur, & ut separemus certa à dubiis.

Dicimus primo, si uenditor re emptori tradita, dilationem pretii non soluti concesserit, nulla facta mentione de fructibus rei interim soluendis, ante terminum ad soluendum concessum nihil potest petere, nec exigere, & nihil ei debetur, nisi in termino solum pretium conuentum probatur, quia uel fructuum interim percipiendorum, qui interim iuxta dicenda percipi à uenditore potuissent, habita est ratio in pretio conuento, ut propter illos res carius sit uendita, uel si nulla est habita illorum ratio, uenditor censetur eis renunciaffe, & forte emptor aliter non emisset, & ita nullum potest interim prætere interesse, & emptor non est in mora.

Dicimus secundo, si ex re uendita cum dilatione pretii, emptor nullos potest percipere fructus ante terminum ad soluendum concessum, & uenditor etiam nullos percepisset si rem illam nondum tradidisset, uenditor non potest conuenire cum

emptore

emptore, ut donec soluatur pretium aliquid ei pro fructibus detur. Contrarium tenuit Baldus, quem sequuntur Paul. Anchar. Anania Soci. & Paul. Parisi. quos citat Couarr. Sed hoc est falsum, nam si res illa non est interim fructifera emptori, nec fuisset etiam uenditori, si aliquid percipit, ratione temporis, & dilationis concessæ percipit, & non ratione interesse, quod nullum est, nulla in emptore existente mora, quod est usura, & ita tenent Salicetus, Maria. Soci. Paul. de Castro, & alij multi quos citat, & sequitur Couar.

Dicimus tertio, quod si uenditor pro parte pretij non soluti, sibi retinet dominium rei uenditæ, ita quod in celebratione contractus pro in diuiso tantam partem rei uendat, eiusque dominium tradat iuxta pretium solutum, reliquam uero partem ita emptori tradat, ut illius non sit facta libera uenditio, nisi quando illius pretium soluetur, & interim dominium penes uenditorem remaneat, potest cum emptore conuenire de fructibus interim percipiendis, ut pro illa parte ei dentur fructus, uel illorum pretium. Et in hoc omnes conueniunt, quia percipit fructus de re sua, cum illius dominium sibi retinuerit, & si interim res perierit, sibi periet, & pro illa parte res interim censetur emptori locata. Quo casu potest taxari pretium fructuum ab emptore interim singulis annis uerisimiliter percipiendorum, ut certum quid detur, in qua taxatione non habenda est ratio proprii interesse lucris cessantis, sed damni emergentis, fructuum scilicet rei quos percepisset, nam quod uenditori ab emptore soluitur pro non soluto pretio, ei debetur etiam si uenditor ex pretio sibi statim soluto nihil lucratus fuisset, si enim ratione interesse solueretur, illud considerandum esset, & non fructus, quod aliquando excederet fructuum æstimationem, aliquando minus esset, nec etiã habenda est ratio fructuum quos percipiet emptor, sed quos percepisset uenditor deductis expensis, & oneribus, ex illa parte pro qua non est solutum pretium, & cuius sibi retinuit dominium.

Sed dubium est an uenditor possit pacisci cum emptore, ut certum quid ei detur pro pretio non soluto, quando ei dilationem concedit, & rei dominium sibi pro illa parte non retinet, sed integrum in emptorem transfert. Summa Angelica tenet hoc esse licitum, & multos in eandem sententiã citat. & l. Curabit C. de actio. empr. uidetur expressa. Couar. dicit hoc magis licite, quam si retineatur dominium; idque probat, quia emptio, & uenditio est quædam commutatio, cuius iustitia in æqualitate consistit

Sum. Ang.

v. emptio.

Couarr.

lib. 3. Va-

ria. resol.

cap. 7.

ra-

ratione cuius nemo tenetur tradere rem uenditam non soluto eius pretio, si autem tradit, & emptor nōdum soluto pretio, fructus percipit rei emptæ, iustitia requirit, ut pro pretio non soluto satisfaciatur uenditori, usq; ad quantitatem fructuum correspondentem; At si uenditor ita rem tradat, ut etiam dominium transferat, plus iuris, & commoditatis dat emptori, quam si solam rem tradidisset retento dominio, ergo ad saluandam iustitiam commutatiuam multo magis illi satisfaciendum erit pro interesse pretij non soluti, iuxta proportionem fructuum, & cōfirmat l. sicut emptio ff. loca. & cond. adiuncta Glosa, nam lex dicit, Interdum locator non obligatur, conductor obligatur, ueluti cum emptor fundum conducit, donec precium exoluat. Vbi inquit Glosa non est enim obligatus locator, idemq; conductor ad exonerationem mercedis si res perierit, quia post perfectam emptionem, omne commodum, & incommodum spectat ad emptorem; hoc autem esset falsum si uenditor sibi retinisset dominium rei, quia sibi periret; in casu igitur huius legis uenditor transfert dominium rei, & ratione eius fructuum, pro pretio non soluto, ab emptore mercedem recipit. Respondent illi, qui contrariam tenent sententiam, hic iniustitiam committi, quia cum uenditor rei dominium transtulerit, percipit fructus de re non sua.

Pro solutione notandum.

Verum cum hanc sententiam probabilem, & ueram esse credam, ut infirmitatem dictæ responsionis ostendam, simulq; hanc sententiam confirmem, notandum est, quod hæc difficultas ad aliam reducitur, an. s. possit concedi dominium rei, retentis illius fructibus; & certum est posse, nam cum fructus rei fructiferæ distinguantur à re cuius sunt fructus, sicut uenduntur fructus retento dominio rei, ut in locatione, ita etiam potest transferri dominium rei, cum reservatione fructuum, ut aliquando fit in donationibus, & legatis, & etiam in beneficiorum resignatione, nam sæpe resignantur beneficia cum reservatione fructuum; & hac ratione iustificari potest iste contractus, nam uigore iustæ uenditionis, & iustitiæ commutatiuæ in qua fundatur uenditio, non teneor tibi tradere possessionem meam cum omnibus eius fructibus, nisi integrum mihi illius soluas pretium, & si soluendo partem pretij, ut uenditio rei sit completa, tibi illius dominium trado, cum reliqua pars pretij mihi debita, sit, pretium partis rei, & non etiam fructuum ei correspondentium, ante pretij solutionem percipiendorum, & ob eam causam poterim ratione fructuum augere pretium rei, uel fructus, ut meos

meos tibi uendere cum non sit iustum, ut simul habeas rem, illius pretium, & fructus; & non teneor illos tibi donare, nullam tibi iniustitiam facio, si pretium fructuum singulis annis, donec rei pretium soluas à te exigo, uel eorum ratione augeo pretium rei cuius dilationem uoluisti, ut seruetur indemnis. Et si dicas esse usuram, quia concedendo tibi dilationem, perinde est ac si pecuniam mihi debitam, tibi mutuassem, & ratione mutui, & temporis uellem aliquod lucrum, Respondeo hoc esse uerum in uenditione rei non fructiferæ, secus quando uendo rem fructiferam, ut domum, aut agrum, quia donec integrum pretium persoluas, non debentur tibi omnes fructus, & quod interim percipio, non est ratione dilationis, sed ratione fructuum rei mihi pro rata debitorum. Dices sunt fructus de re mea, cum illius dominium habuerim, ergo non tibi debentur, Respondeo, quod illius dominium habuisti uigore perfectæ uenditionis rei ex parte mea, sed quia sicut ego tibi rem tradidi, tu uicissim non tradidisti mihi integrum illius pretium, contra iustitiam est, quod tu habeas rem, & fructus eius, & pretium, propterea ut seruetur iustitia, ita debes habere dominium rei, quod illius fructus pro rata pretij non soluti, mihi debentur; uigore etiam donationum, & legatorum uidemus sæpe fructus rei propriæ, aliis deberi. Dices ego saltem grauior in hoc, quia si res perit, mihi perit, & propterea hac ratione fructus debent esse mei. Respondeo, quod reuera in nullo grauior, nam si tibi perit, est quia uenditio fuit perfecta ex parte mea, ac si pretium soluisses, & beneficium, quod tibi feci dilationem concedendo, non debet esse mihi nocuum, & cum res perierit solues mihi suo tempore solum pretium rei, & liber eris interim à solutione fructuum; nam quo ad illos mihi perit, cum mei, & mihi reseruati essent, grauior eris autem si re perempta, uel in fructifera sine tua culpa reddita, cogereris mihi soluere etiam illorum fructuum pretium.

Sed cum communior sententia sit, quod iste contractus sit usurarius propter rationes à nobis modo adductas, & solutas, dicimus etiam iuxta horum sententiam iustificari posse, nam ad iudicandum de aliquo contractu, potius attendenda est res ipsa, & uis conuentionum, quam uerba, ut docet Abbas, sæpe enim contractus nominatur unius speciei, & in rei ueritate est alterius speciei, etiam cessante omni fraude, quod Conradus quatuordecim exemplis partim ex Sacra scriptura, partim ex doctoribus desumptis ostendit, & Caiet. adducit exemplum de ignorantibus uim cambiorum, qui cum dant suas pecunias

ad

Dubium cum solutionibus.

Ab in c. illo uos de pigno. Contr. de contract. q. 33. Caiet. in tract. de Cambiis cap. ult.

ad cambiendum dicunt se illas dare ad lucrum, & se fructus percipere ex eo, quod camptor usus est eorum pecunia, quorum uerba manifestam usuram exprimunt. similiter, & illorum, qui iuxta communem loci consuetudinem uendunt ad tempus pretio rigoroso, & ignorantes hanc pretij distinctionem dicunt se illud plus exigere propter tempus, qui tamen tanquam simplices, & ignari, non sunt ob id statim damnandi, sed examinanda est eorum intentio, & si dicunt se nolle committere usuram, & quod intendunt lucrari eo modo quo iuste lucrantur campsores, & mercatores uendentes ad tempus, non sunt damnandi, tanquam usurarij, sed docendi, & admonendi, ut proprie loquantur, & ratio est, quia uerba debent inseruire intentioni, & non intentio uerbis; Cum autem isti dicant nō esse usuram percipere fructus si reseruetur dominium, esse autem usuram si nō reseruetur dominium, an re ipsa sit reseruatum dominium, nō solum ex uerbis reseruatiōis, sed etiam ex uendentis intētiōe, & coniecturis sumendum est; nam multi simplices has subtilitates iuris ignorant, & nesciunt, quid referat sibi reseruare, uel non reseruare dominium, unum sciunt esse iniustum, quod emens simul habeat rem, rei fructus, & pretiū, & communiter uendentes res fructiferas dilata solutione, donec soluatur pretium rei, recipere aliquid pro fructibus eiusdem rei; & ita ipsi quoq; petunt sibi interim dari fructus rei uenditæ, clausulæ autem in uenditione de translatione dominij, sunt ordinariæ notatiorum, & aliquando emptores illas fraudolenter apponere faciunt, ut rem cum fructibus, & pretio, iniecto uendentibus scrupulo, habeant, & licet uenditores consentiant, ignorant earum uim, eis in conscientia non nocent, si eorum intētiō est recta; quando igitur occurrit casus, non sunt statim damnandi uenditores, sed interrogentur, quare cum concesserint, dilationem pretij uelint interim fructus; certè respondebunt, quod illos nolunt ratione dilationis, sed quia cum res sit fructifera, & non habuerint pretium, illos ut sibi iure debitos percipiunt; interrogentur ulterius, an casu, quod res pereat ante moram, uelint sibi perire, ex hoc enim, quod pro parte pretii non soluti, uolunt fructus, uidetur quædam locatio; si dicunt se uelle, uerè intenderunt sibi reseruare dominium, licet uerba contrarium sonent, imo si intentio fuisset deprauata, euitandi scilicet periculum perditionis rei, satis est, quod intentionem corrigant, & significant, & protestentur se uelle subire illud periculum, & fructus, ut rei propriæ percipere, ut emptor in casu

pet-

perditionis sciat se liberum à solutione pretij, & sic poterit fructus percipere, & perceptos retinere, nā cū contra iustitiā sit, & emptor habeat rem cum fructibus, & pretio, uenditor per hoc quod iniuste periculum rei transfuit in emptorem, non tenetur remittere emptori fructus rei, sed tenetur, & satisfacit reformando contractum; & hæc iuxta secundam sententiam, quæ contractum istum condemnat. At si uenditor nihilominus asserit rei periculū iure pertinere ad emptorem, quia uenditio fuit cōpleta, & fuit translatū dominium cum reseruatiōe fructuū, ob pretium non solutum, eius intentio non fuit deprauata, sed sequutus est primā opinionē, quæ est probabilis, & contra illam nulla est conuincens ratio, & propterea iuxta illam poterit absolui, ne nimis emungēdo eliciatur sanguis.

De censibus, & conditionibus requisitis.

Cap. XVII.

Census prout in præsentī accipitur, est ius exigendi pensionem ex aliqua re utili, sicut enim res aliqua potest à proprio domino uendi, ita etiam si res illa sit fructifera, poterit dominus retenta illius rei proprietate, eius fructus, uel eorum partem uendere in se, uel in pecunia numerata, in qua taxatis fructibus rei soluitur pretium. Census ergo est ius exigendi hos fructus, & multipliciter diuidi solet, in realem, scilicet, & personalem, in fructuarium, & pecuniarium, in perpetuum, & temporalem, in redimibilem, & irredimibilem, in quibus solebant adijci pœnæ, & multæ conditiones, sed quia modo omnes census constituendi sunt iuxta Bullam Pij V. pro eorum sufficienti cognitione, satis erit conditiones à Pio V. eis appositas in medium afferre.

Prius tamen notandum est, quod non omnes conditiones à Pio V. requisitæ sunt eiusdem iuris specifici, nec consequenter eiusdem conditionis, nam quædam sunt de iure naturali, & diuino, ut quod census non constituatur super re, quæ non sit fructifera, quod non constituatur nisi in re immobili, cum census sit fructus rei fructiferæ, qui sine rei consumptione colligitur. & istæ ligant omnes, quædam non sunt iuris naturalis, ne que diuini, sed humani noui ab eo requisitæ, ad euitandas fraudes, & usuras, & ad præsumendū census usurarios, qui sine illis sunt, ut q̄ pretiū soluatur in pecunia numerata, & coram nota-

G rio,

rio, & testibus, quod non fiat anticipata solutio. quod non apponantur pœnæ; quædam tandem sunt, quæ non sunt iuris naturalis, aut diuini, neq; sunt ad euitandas fraudes usurarum, & ad inducendam præsumptionem iuris de usuraria prauitate, sed requiruntur tanquam rationabiles, & dignæ, quæ in eo seruentur, qualis est, quod censuarius præferatur alijs emptoribus, quod redempturus censum debeat ante duos menses denunciare, & quod facta denunciatione possit infra annum cogi ad restituendum pretiam. Conditiones, quæ sunt de iure naturali, & diuino, necessario, ab omnibus sunt seruandæ, sed dubium est, an quo ad alias conditiones iuris positiuæ, illa Bulla obliget, in Regnis quoad temporalia, temporali dominio Ecclesiæ non subiectis, & dicimus cû Nau. quod illæ, quæ inducuntur ad præsumendum cêsû usurarium sunt ubiq; & ab omnibus seruandæ, tû quia leges Pontificis latæ circa ea in quibus vertitur periculum animæ, etiam si non contineant leges naturales, neq; diuinas debent seruari apud omnes christianos in utroque foro, & ubiq; gentiû, tum quia lex Papæ lata circa spiritualia in utroque foro est ubiq; seruanda, quales sunt leges latæ circa matrimoniû, & contra confidentiã illicitam, & simoniacam; & q̄ cõmuniter dicitur leges canonicas obseruandas esse in foro canonico, & ciuiles in foro ciuili, intelligendû est, quãdo lex canonica nõ fertur circa spirituale, nec circa ea in quibus uertitur periculû animæ, nec spectantia ad religionẽ christianam, sed fertur circa alia profana utriusque foro subiecta. Ex quo sequitur, q̄ aliæ conditiones tertii generis non obligant eos, qui Regibus laicis subiciuntur, contra proprias eorû leges, quod. s. censuarius præferatur in emptione rei sibi per cêsû subiectæ, q̄ redempturus censû debeat uoluntatẽ suã redimẽdi, ante bimestre censuario denunciare. & q̄ post denunciationẽ possit infra annû cogi ad redimendum, quia istæ non declarant aliquid esse peccatum, nec præsumi esse tale; & propterea per illas non intendit Papa derogare legibus, & consuetudinibus aliorum regnorum.

Est secundo notandum, quod Pius V. nihil statuit de pretio censuum, nec ulla reperitur illius à canone, uel ab aliquo Pontifice taxatio, nam uariatur sicut, & pretium aliarum rerum, sed præsupponit Pontifices pretium esse iustû, & cõtractibus cõditiones apponunt, ut euitentur fraudes, & nõ sint usurarij; quod autẽ sit iustû pretium, uidetur difficile, nam cû cêsû sit emptio fructuum rei fructiferæ, uidetur, q̄ pretium cêsû sit pretiû rei super qua est positus pro illa parte fructuum uenditorum, ut si

uen-

uenditur tertia pars fructuum, eorum pretiû sit tertia pars pretij rei, uel pretium debet esse tantum, q̄ illo posset in illa patria, & illo tempore emere aliquam possessionem, quæ deductis laboribus, & expensis, possit tantam possidẽti cõmoditatẽ dare, quantus est redditus cû illa pecunia emptus, & tamen ista regula nõ seruatur, sed longe minori pretio cõmuniter, & ubiq; emitur, nã si attendatur pretiû domorû, agrorum, & uinearû, communiter reddunt 4. uel 5. pro centû, & census super illis impositi, sunt 7. & 8. & etiã 10. pro centum, Nauar. dicit, quod in Aragonia dantur 5. pro 100. in Regno Nauarræ 6. in Regno Castellæ 7. in Gallia, 10. Romæ, 8. & 9. in solutionibus casuum Bononiæ coram Illustrissimo Cardinali Paleotto disputatorum dicitur, quod Bononiæ licite dantur 8. & 9. pro 100. quia sic communiter ibi fiunt census sine, ui fraude, & dolo. Extant etiam duæ Bullæ Martini V. & Calixti III. positæ in tit. de empr. inter extrauagantes communes post lib. 6. in quibus approbantur liciti, quidam census impositi ad rationem decem pro centum, secundum, quod communiter fiebant in illis locis, & in Bullario habetur extrau. Solicitudine Nicol. V. ubi ad instantiam Alphonsi Aragoniæ Regis pro suo Regno approbavit census 10. pro 100. & ita uidetur, quod iustum pretium census sit summendum, non iuxta pretium rei super qua imponitur, sed iuxta communem, & approbatam consuetudinẽ illius loci, nec ob id est iniustum si illa domus, uel ager cuius fructus uenduntur, pluris ualeat. nã ius percipiendi fructus alicuius rei sine illius dominio, & illius dominiû sunt duæ res distinctæ uẽdibiles quarû quælibet habet suum pretium, & pretium cuiusq; rei uendibilis sumitur iuxta cõmunẽ cursum omni ui, dolo, & fraude, cessante, & crescit, & minuitur iuxta copiã, uel penuriã mercium, uel emptorum, ius igitur percipiendi fructus alicuius rei, potest uilius æstimari, quam res ipsa, tanquam quid distinctû, & quia plures sunt uenditores censuum, quam rerum, multi enim cum non indigeant tanta pecunia, malunt census constituere, quam res uendere, quos etiam facilius redimere poterunt. & etiam, quia reuera census in se minus ualeat, quam res super qua est positus, nam qui emit dimidios fructus agri non habet dominium mediæ partis illius agri, & non potest illam partem cultiuare, & ad libitum aptare, & de illa disporre, imo nec ad illam animi gratia accedere, & immorari, & pretium datum tenetur totum, & secundum partes ad libitum uenditoris pro totali, uel partiali redentione census quãdocumq;

G 2 acci-

Nauar. in
Com. de
usuris nu.
106.

accipere, non est ergo iustum, quod pro dimidia parte fructuū in perpetuum percipiendorum det dimidiam partem pretij totius agri, cum illius dominium penes uenditorem remaneat, cū libera facultate redimēdi cēsū quādoquē uoluerit. Ad iudicandū igitur de iusto pretio cēsus, inspicienda est lex, & ubi nō est lex, cōsuetudo, & si in aliquo loco nulla est lex, nec cōsuetudo, debet ille locus se conformare loco viciniore ubi est lex, uel cōsuetudo; poterit etiam stari arbitrio boni, & periti uiri, qui pretium, fructus, & eorum certitudinem, naturam, seu conditiones census, conferat.

Quibus suppositis ponemus cōditiones cēsū à Pio V. requisitas, quarū Prima est, ut census nō cōstituatur nisi super re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit, & ita tollūtur census personales, & census fundati super bonis in communi, qui tamen antea tāquā nō prohibiti liciti habebantur. Res immobiles, quæ nō sunt cōsuetæ locari quales sunt aliqua turres censentur de sui natura fructifera, quia possent ad aliquē usum locari, & per accidens est, q̄ non locētur. & propterea, ut inquit Nau. super illis poterit cōstitui census iuxta illarum pretiū, uel locationē, quæ fieri posset. Secunda est, ut census nō fiant nisi uere, in pecunia numerata, præsensibus testibus, ac notario, & in actu celebrationis instrumēti, nō autē prius recepto integro, & iusto pretio; quæ conditio non est necessaria ex natura rei, sed est ad tollendas fraudes illorum, qui ementes census, male soluebant pretium, in pannis, & alijs mercibus, antea, uel tunc traditis, uel in pecunia numerata ad ludendum, uel in alios malos fines; quas fraudes, ut prædictam conditionem seruare uideantur, contegunt ostentatione pecuniæ, uel ficta traditione; at si cessent fraudes, & integrum, & iustum pretium soluatur, per crediti liquidi recompensationem, uel in mercibus iusto pretio taxatis, quas sine fraude uenditor census emere uolebat, emptor census, ut inquit Nauarr. est in conscientia tutus, quia lex fundata super præsumptione, non ligat aliquem in foro conscientia si contrarium eius, quod præsumitur est coram Deo uerum. Est etiam notandum, quod ista cōditio est de emptione census; & nō de illius extinctione. Tertia, ut solutiones, quæ uulgo anticipatæ appellātur, nec fiāt, nec deducantur in pactū. Quarta, ut non fiant conditiones directe, aut indirecte obligātes ad casus fortuitos eū, qui alias ex natura cōtractus non tenetur. Quinta, ut nō fiat pactū auferēs,

aut

aut restringens facultatem alienandi rem cēsui suppositam, dominus tamen census si illa res uendenda sit, omnibus præferendus est. Sexta, ut non fiant pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, uel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria medio iuramento creditoris liquidanda, aut rem censui subiectam, seu aliquam eius partem, aut aliud ius ex eodem contractu siue aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, quæ si fiant, ex toto irrita sunt, & nulla. Vbi notandum est per hanc conditionem non liberari uenditorem. census ab obligatione damni emergentis, quod patitur emptor ex dilatione solutionis, quia iure naturali est debitum, sed solum prohibetur deduci in pactum ad tollendas fraudes. Non possunt etiam uigore huius conditionis fieri contractus census in forma camera, quia secundum illam formam ad soluendum obligati, pœnas, & incommoda incurrunt si differunt soluere. Septima, ut census nō augeatur, nec nouus creetur super eadem uel alia re, in fauorē eiuſdem, aut personæ per eum suppositæ, pro censibus temporis, uel præteriti, uel futuri. hæc conditio sequitur ex secunda, nam si census debet emi numerata pecunia tempore cōtractus, non potest conueniri, quod ex fructibus census soluendis, uel solutis augeatur, uel creetur nouus census. at si fiat nouus contractus, & noua emptio numerata pecunia iuxta secundam conditionem, potest census constitutus augeri, & nouus constitui. Octaua, ut non fiant pacta continentia solutiones onerū ad eū spectare, ad quem aliās de iure, & ex natura contractus non spectarent. Nona, ut si res super quam constituitur census in totū, uel pro parte pereat, seu etiam in totum, uel pro parte infructuosa efficiatur, census quoq; ad ratam pereat. At si res non perpetuo perit, sed ex aliquo accidenti ad tempus fructus non reddiderit, non ob id pro illo tempore imminuendus est census, quia non fructus, sed ius ad fructus emitur, & si illo anno non fecit, sequenti eo fertilior erit. Obligationes etiam, & hypothecationes, quæ sunt in uenditione census pro pensionis assecuratione, post hanc Pij V. bullam re precepta, aut in fructuosa effecta, nullius sunt roboris, & fideiussores ad nihil amplius tenentur, quod si res non in totum perit, huiusmodi obligationes non habent uim nisi pro rata parte; hanc conditionem intellige quando res perit, uel infructuosa efficitur sine dolo, & fraude domini, qui super ea constituit, & uendit census, nam teneretur, uel resti-

G 3 tuere

Nau. in d.
Com. nu.
113.

Nauarr. in
Com. de
iuris nu.
88. & 121

tuere pretium, uel constituere nouum censum super alia re immobili. Decima, ut ille, qui censum uendit possit illum quandocumq; uoluerit pro eodem pretio extinguere, non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili præscriptione, & nõ obstantibus aliquibus pactis directe, aut indirecte talè facultatem auferentibus; dominus autem census non possit è contra illius uenditorem pro sua uoluntate cogere ad extinguendum censum, & suum pretium sibi restituendum; debet tamen uenditor cæsus, qui traditione pretij illum extinguere uult per bimestre ante, id domino census, cui pretium dandum erit denunciare, postquam denunciationem, nisi censum extinxerit, illius dominus poterit pretium etiam ab inuito repetere; quod si annus elabatur, & extinctio secuta non fuerit, dominus cæsus non poterit amplius cogere uenditorem, ut sibi pecuniam pro census emptione traditam restituat, uenditor tamen semper potest emptorem cogere, ut pro extinctioe census, traditum pretium recipiat, præuia tamen semper dicta denunciatione, & si nec tunc etiam extinxerit, dominus census infra annum pretiũ ab eo etiam contradicente repetere poterit, idq; obseruandum est etiam si pluries factum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset, & in omnibus censibus, non obstante etiam immemorabili præscriptione: & in posterum fieri non possunt pacta continentia pretium census extra prædictum casum ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse. An autem uenditor census possit illum, secundum partes extinguere, Pius v, in hac sua bulla non determinat; Nau. tenet, quod possit, quia iure humano antiquo, & communi creditor potest cogi ad accipiendum partem debiti, quæ ei offertur, nisi cum nimis minutatim offertur, ut tenet Alciat. & Dec. ab eo citati, & quod possit habetur in d. extrauag. Martini, & Calixti de censibus, & si in hoc grauatur emptor census, releuatur in pretio quo censum emit, quia, ut diximus, fructus rei, seu ius ad fructus minoris emit, quam res ualeat, sed credo d. extrauag. non esse intelligendas, quod possit nimis minutatim per partes cæsum extinguere, quia hoc esset cum magno emptoris damno. Vndecima, ut pretium semel censui constitutum nunquam possit ob tempus, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quo ad ultimo contrahentes, minui, uel augeri. Nau. dicit, qd si uere pretium census minuitur ex eo, quod quæruntur, & non ita facile inueniuntur emptores, uel crescit propter uolentium emere multitudinem, in conscientia poterit pluris, uel minoris uendi

Nau. in d.
Com. nu.
101.

Nau. in d.
Com. nu.
112.

uendi, quam emptus fuerit, & ita dicit in urbe fieri; imo subdit, quod cum ista conditio sit ad tollendas fraudes, in foro etiam exteriori intelligenda, & limitanda est, ut non procedat quãdo pretium census creuit, uel decreuit post illius constitutionem, sed solum quando pretium non fuit auctum, nec diminutum. Et quamuis Pontifex constitutionem hanc ad contractus ante eam celebratos non extendat, illos tamen omnes, in quos sub alia forma peruenerunt census, hortatur in domino, ut singulos contractus censuræ bonorum religiosorum subijciant, & animarum saluti cõsulant; contractusq; omnes sub alia forma post hanc constitutionem celebrandos saneraticios iudicat, & uult à fisco posse uendicari. Quam salutiferam sanctionem nedum in censu nouiter creãdo, uerum etiam increato quocumq; tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, & in omnibus seruari uult.

Dubitatur an possit fieri census super re fidei commissio supposita. Et dico, quod non, quia non potest seruari præcipua conditio census. s. quod emens censum percipiat fructus rei suppositæ censui, & nunquam possit repetere pretium; nam mortuo, qui censum uendit res liberè transibit ad illum cui uigore fidei commissi debetur, & censum soluet de proprio fideiussor, uel emptor repetet pretium; Emptor tamen excusatur si quando emit censum credit rem illam esse liberam uendentis, nec tenetur inquirere an sit eius libera, satis est, quod sciat illum habere dominium, uel possessionem, & quod ei contrarium non constet, hoc enim potius pertinet ad fideiussorem, At quando postea scit rem super qua uendit censum non esse eius debet instare, quod illum transferat super rem suam, & liberam, uel pretium restituat, quia non est amplius in bona fide, & si cū bona fide illum emerit, uenditor neutrum uult facere, poterit percipere fructus, quia uere est illius dominus dum uiuit, & fraus uenditoris non debet ei nocere, sed illo mortuo non poterit continuare censum illum cum fideiussore, uel hæredibus, quia est sine fundamento, sed debet instare pro illius census translatione, uel noui constitutione super re, quæ sit hæredis, uel pro restitutione pretij.

De dante certam pecunie quantitatem pro possessione tenenda, uel annuo redditu percipiendo durante ipsius uita, de iusto pretio huius census, & de dante 100. ut recipiat pro dote filie 300. si uixerit. Cap. XVIII.

Solent aliqui dare Monasterio, uel Ecclesie, & etiam priuata personæ certam pecunie quantitatem, ut ab eis recipiant certas possessiones toto tempore uite ipsorum tenendas, uel singulis annis durante ipsorum uita certam, quantitatem frumeti, uini, olei, & etiam pecunie, ita quod post eorum mortem possessiones redeant ad suos dominos, & pensiones non amplius soluantur, & de hoc dubitatur modo an sit licitum Rayn. & Gof. ut citat Sylu. dixerunt istum contractum esse usurarium, quia sic dantes sperant multum uiuere; & amplius accipere de prouentibus, quam fuerit pecunia data, usura autem committitur etiam sola spe. Et confirmatur, quia hæc est emptio annui census durante emptoris, uel uenditoris uita in qua non seruatur forma bullæ Pii V. & consequenter iste contractus est per d. bullam tanquam fæneraticius condemnatus. Et quod non seruentur conditiones bullæ patet, quia datur quis centum aureos, ut recipiat singulis annis durante eius uita decem absque assignatione, & descriptione rei fructifera cuius fructus emanantur.

Communis sententia est in contrarium, quod iste contractus sit licitus si seruetur æqualitas per assignationem iusti pretij, ita tenent Rich. Host. Ang. Sylu. Med. Nau. & alij. Et probatur primo, quia iste non est contractus mutui ueri, uel palliati; nam pecunia non datur reuocabiliter, & in dante non manet actio ad eam, sed solum ad annuam pensionem, & si data pecunia statim moriatur, pecuniam, & pensionem perdit, nec ulla relinquitur ad eam hæredibus actio: quæ omnia sunt contra rationem mutui, ergo nulla hic potest interuenire usura, sed sola iniustitia si non fuit traditum iustum pretium, ut sit æquale utriusque periculum. probatur secundo, quia si iste contractus est illicitus, uel est, quia si dans pecuniam uiuit, spatio octo, aut decem annorum, totam recuperat pecuniam, quam dedit, & toto reliquo uitæ suæ tempore, recipit illius fructus, qui aliquando æquantur sorti principali, & illam etiam excedunt; uel est, quia fructus accipiuntur sine iusto titulo, & contractus tanquam illicitus, non continet iustam causam percipiendi aliquos fructus.

Sed

Sed non potest dici illicitus propter primam causam, tum ratione periculi breui totum perdendi, tum quia etiam in emptio ne celsum, locorum montium, & aliorum reddituum perpetuorum, decem & octo circiter annis recuperatur tota pecunia, qua empti fuerunt, & tamen sunt perpetui, & transeunt ad hæredes. Nec etiam potest dici illicitus propter defectum iusti tituli percipiendi annuam pecunie quantitatem, præsertim quando non fit emptio alicuius rei fructifera, quia iste contractus potest iustificari, ut sit quædam donatio, non libera, sed facta sub modo, & cum conditione, & potest quis licite donare suum conditionate, & cum clausula onerosa, & donatio alteri facta cum pacto reddendi ei duplum si certos annos uixerit, & alia nihil, est licita, & tenet; ita in casu nostro donat quis alicui centum, cum pacto, ut quoad uixerit recipiat ab eo singulis annis decem, quæ donatio licet sit onerosa, & alteri possit esse damnosa, potest tamen etiam esse utilis, quia si ille facta donatione moriatur, nihil soluet, & totum lucrabitur. potest etiam dici iste contractus innominatus, do, ut des. Potest etiam iustificari per uiam emptionis, ut sit emptio iuris exigendi decem singulis annis quoad uixerit, pro quibus persona, & omnia eius bona obligata existant. hac ratione illum Doctores communiter iustificat, sed modo uidetur ob stare Bulla Pij V. per quæ tolluntur census personales, & super omnibus bonis in communi, & uult, quod fundentur super certa re fructifera. Verum si bene consideretur Bulla, & Pontificis intentio, non loquitur, nec intelligitur de censibus quorum solutio pendet ex euentu fortunæ quales sunt isti uitalitij, nec etiam loquitur de censibus per uiam legati, aut donationis constituendis, sed de censibus uendendis, & emendis, quorum extinctio est per restitutionem pretij, in quibus possunt interuenire fraudes usurarum, quæ cessant in censibus uitalitiis, quia nunquam restituitur pretium, & solutio, & extinctio census, pendet ex uita, & morte ementis, & lucrandi, & perdendi periculum, est ex utraque parte.

Sed difficultas est unde sumendum sit iustum pretium census uitalitij, & cum pretium debeat equari rei emptæ, & humanitus sciri non possit, quæ lōga futura sit ementis uita, sed hinc inde sit periculum lucrandi, & perdendi uidetur, quod pretium debeat esse tale, quod æquale constituat utriusque partis periculum, & hæc regula sit assignanda, ut habeatur respectus ad annos quibus ille, qui uitalitium uult emere, secundum naturam communem, cursum, uiuere

Rich. q. 1.
2. q. 23.
Ang. Syl.
V. Usura.
Med. Cod
de reb. p
usu. acq.
q. 23.
Nauar. in
Com. de
Usuris
qu. 128.

uiuere potest, attentis eius ætate, moribus, & complexione, ratione quorum potest de unius uita, magis, quã de alterius dubitari, & illo tempore uitæ probabilis assignato, & medio illius accepto, illud sit iustum pretium talis uitalitii, quod æquiualeat toti summæ in illo tempore medio percipiendæ; Vt si Petrus sit sexagenarius, & attentis eius complexione, & regimine uitæ probabiliter credatur, quod adhuc uicturus sit uiginti annos, quia etiam potest mori ante unum annum completum, sumatur medium huius contingentia, & sunt decem anni, & ita iuxta hanc regulam si uult emere ius percipiendi decem ducatos quolibet anno uitæ residuæ, pretium iustum sit centum ducati, qui æquivalent toti summæ percipiendæ in præfatis decem annis, quia sic æqua est utriusque conditio, cum ambo æquè se periculo, & lucro exponant. Verum ista regula non est uniuersaliter uera, quia alias sequeretur, quod redditus uitalitius, & redditus perpetuus cæteris paribus essent eiusdem pretij, imo, quod uitalitius cæteris paribus esset maioris pretij, quam perpetuus, quod est absurdum; & sequela patet, si Petrus, qui sibi redditum decem ducatorum ad uitam suam uult emere, sit iuuenis uiginti annorum, secundum communem naturæ cursum potest attingere annum octogesimum, & potest etiam ante annum uitam finire; medium tempus inter uigesimum, & octogesimum est, triginta anni, & ita iustum huius uitalitij pretiũ erit 300. ducatorum, nam tota summa percipiendæ 30. annis, est 300. ducatorum, sed pro 300. ducatis posset iuste, secundum communem cursum, & approbatam consuetudinem emi redditus per perpetuus quindecim, & etiam decem, & octo ducatorum. Rich. dicit ad statuendum iustum pretium ex una parte considerandum esse ementis ætatem, sanitatem, uel infirmitatem, & pericula, quæ possunt uitam abbreviare, & ex altera quantitatẽ reddituum, certitudinem, facilitatem, uel difficultatem, & expensas in illis exigendis, uel percipiendis, quibus consideratis debet tale statui pretium, quod non possit facile discerni cuius conditio sit melior, ementis ne, an uendentis, & si pretium sit tale, est iustum, & si emens moriatur antequam sortem recipiat, uendens non tenetur aliquid restituere de pretio, similiter nec emens de fructibus, si tantum uixerit, quod ultra sortem recipiat, at si compensatis his, quæ dicta sunt, liquido apparet, quod notabiliter sit melior alterius conditio, contractus est illicitus, quia corrumpitur illa æqualitas, quam requirit æquitas iuris naturalis in contractu; & si in æqualitas est ex parte ementis, quia

quia dedit pretium nimis paruum, tenetur uel supplere iustum pretium, uel restituere totum id, quod accepit ultra sortem; si uero est ex parte uendentis, tenetur uel reddere id, quod accepit ultra iustum pretium, aut rem emptam dimittere in manu hæredis, qui emerat quousque recipiat sortem; hæc Ricardus, & bene, sed pro prædictorum explicatione subiungit, & ponit casum, seu dubium, quia uidemus uiros, & mulieres uiginti quinque annorum emere redditus ad uitam pro tali pretio, quod infra octo annos recipiunt sortem, & quamuis possent mori infra illos octo annos, tamen clarum est, quod probabilius est, quod uiuere debeant in duplo, & frequentius hoc accidit, & sic clarum est, quod in isto contractu emens habet meliorem partem notabiliter, quia habet in fauorem suum illud, quod accidit frequentius. scilicet quod mulier sana uiginti quinque annorum adhuc uiuat plusquam per octo annos, uendens autem habet in fauorem suum id, quod raro accidit. scilicet quod sana mulier uiginti quinque annorum moriatur infra octo annos, & tamen iste contractus non inuenitur reprobatus in iure, imo ab Ecclesia toleratur, & à multis sapientibus consulitur. Ad quod respondet istum contractum non posse in conscientia excusari, nisi illa iuuenis mulier esset tot infirmitatibus grauata, uel tot periculis mortis exposita, quod non clare uidetur, quid istorum probabilius esset, aut ipsam uiuere per tantum tempus, quod uendens ledatur notabiliter pro exigentia rei uenditæ, aut ipsam mori intra octo annos, uel ubi aliquod periculum esset de impedimento solutionis rei emptæ. Verum Richardus hac sua huius dubii solutione, suum modum assignandi iustum pretium, uidetur reducere ad regulam prædictam, & à nobis impugnatam, nam concedendo, quod illud pretium uidetur iniustum, si emens sit iuuenis, & sanus, tamen contractus quo uitalitium à iuvene, sano tali pretio emitur, quod infra decem annos recipitur fors principalis ex eo licitus apparet, quod res perpetuæ, & ad hæredes transeuntes liberè tali emuntur pretio, quod uiginti, & etiam aliquando sexdecim annis integra recipitur fors cum fructificent ad rationem, quinque, aut sex pro centum, imo census perpetui emuntur ad rationem septem, uel octo, & in aliquibus locis decem pro centum. Quare dicimus in constituendo iusto pretio uitalitij, primo, & ante omnia considerandum esse, quot redditus perpetui illa pecunia tradenda emerentur, uel illi redditus ad uitam, quanti emerentur si essent perpetui; & cum res perpetuæ libere ita emanant, ut communiter 20. annis, uel 25. aut

aut etiam i& integrum recuperetur pretium; uitalitium eo minus emendum est; quantus autem sit faciendus descensus in pretio, uidentum est ex considerationibus quas posuit Richardus, ætas. s. fanitas, & pericula, tam uitæ, quam reddituum. Et pro faciliori regula dicimus uidentam, & seruandam esse communem, & approbatam loci consuetudinem, & si nulla est ibi consuetudo habeantur arbitrio boni, & experti uiri prædictæ considerationes.

In titulo huius capituli aliud tetigimus dubium, non ut hic tractetur, ubi proprius etiam est illius locus, sed ut superius, c. 2. huius libri tractatum fuisse diceremus.

De montibus super certis redditibus constitutis.
Cap. X I X.

Princes, & Respublicæ indigentes pecunijs, solent quosdam ex eorum redditibus constituere mōtes quos uendunt; & montes ab illis ad inueniendam pecuniam constituti sunt in duplici differentia, quidam sunt ex certis eorum redditibus, & habent ueram formam montis, quidam uero non habent certam formam, sed diuersis contractibus assimilantur, & ut de prioribus loquamur, Cum Respublicæ, & Princes multos habeant redditus, ex gabellis, uectigalibus, & alijs impositionibus, antiquis, uel nouiter statutis, pro ut necessitas exigit; quia isti redditus minutim exigendi sunt, quando uolunt aliquam magnam pecuniæ quantitatem facere, uel pro instanti necessitate, uel sine illa, ut eis multi iuentur, & Princes indemnes seruentur, solent certos aliquos redditus assignare, & in illis pensionem tanquam ueros illorum reddituum, fructus singulis annis percipiendam constituere, ut illam uendant; sed quia unus nō posset integram omnium reddituum pensionem emere, ob id habita proportione illius magnæ pensionis ad omnes redditus, illam diuidunt in æquales partes, & in multas pensiones, ut in quinque, uel decem ducatos, secundum, quæ pensiones sunt perpetuæ, uel ad uitam ementis, quæ singulæ sunt fructus illorum reddituum, & uenduntur ceterum ducatis, quæ appellantur loca montis, ipsi uero redditus super quibus hæc loca fundantur, dicuntur montes, qui aliquando ex nomine rerum ex quibus pecuniæ extrahuntur nuncupari solent, ut mons farinæ, mons carniū, aliquando à causa, ut mons redemptionis, fæderis, pacis, aliquando ab instituyente nomen sumunt,

ut mons

ut mons Pius, quæ omnia unius montis loca solent aliquando à multis emi ab ipsomet Principe, seu à suis actoribus, aliquando unus solus illa omnia ab eo emit, quæ postea alijs diuisim uendit. Ex istis montibus aliqui sunt perpetui, aliqui temporales, aliqui redimibiles, & aliqui irredimibiles.

Quo ad horum autem iustitiā dicimus esse licitos quemadmodum etiā, & census liciti sunt, eadē. n. est ratio, cum in utrisque emanantur fructus; sunt tamen aliquot conditiones ad eorū iustitiā necessariæ, quarum prima est, ut redditus super quos fundantur pensiones, & ista loca, uere existant, aliās esset usura. Secunda, ne plura loca uendantur, quam contineat ipse mons, nam aliorum locorum, qui non fundantur in monte, esset ficta emptio, & usuraria. Tertia, ut si mons in totum, uel in parte pereat, pereant etiam pro rata locorum redditus, dummodo mons non pereat ex domini culpa, & dominus non se obligauerit pro capitali, & pro certo locorum redditu, casu, quod mons pereat, sed tunc loca tanto carius emenda essent, propter hanc domini obligationem. Quarta, ut maiores pensiones dentur pro temporali loco, quam pro perpetuo, ut etiā fit. Quinta est, de æquitate, ut montes uocabiles non constituantur sine graui causa, propter multa incommoda, quæ inde sequuntur dum hæredes paternis bonis priuantur.

Conditio
nes requi
sitæ.

De illis, qui coguntur Principi subuenire cum assignatione fructuum. Cap. X X.

Licet Princeps, & Respublica in necessitate existens possit compellere suos ciues, & mercatores, nō solū ad sibi mutuandū gratis absque eo, quod statuatur aliquid ultra sortē dare, sed etiam ad donandū, tamē quia non omnia expediunt, quæ fieri possunt, aliquando ita illos ad sibi subueniendū cogit, ut donec eis pecuniā acceptā restituat, aliquā summā. ut quinque, aut sex pro centenario singulis annis det aliquibus patris, & conditionibus appositis, quarum Prima est, quod ciues irreuocabiliter dent, ita quod nunquam possint repetere sortē, quā dederūt, sed solū pro illa percipere annuos fructus. Secunda, quod ciuitas uel Princeps nunquā teneatur eis restituere sortē principalē, sed bene possit quādocumque uoluerit illā restituendo se ab hoc onere liberare. Tertia, quæ aliquando apponitur est, quod ciuitas pro extinctione illius iuris exigēdi ab ipsa 5. uel 8. pro centum quādocumque uoluerit, non teneatur resti-

restituere integram sortem, sed illud possit extinguere 28. ducatis. & sit libera, ac si restitisset integram sortem centum ducatorum. Quarta, quod quilibet possit ius suum, quod habet exigendi à ciuitate, uel Principe fructus pecuniæ traditæ alteri uendere, & donare eo modo, quo habet. Quinta, ad tollendos omnes scrupulos, & omnem usuræ suspicionem Respublica, seu Princeps declarat se dare illos annuos fructus omni meliori titulo quo potest, non solum ratione damni emergentis, & lucri cessantis, sed etiam si nullum esset interesse, titulo liberè, & spontaneæ donationis, ob beneficium receptum, ut beneficientibus bene fiat, ut sic iustè, & licitè, etiam in consciëntia, & quoad Deum possint recipi, & retineri, sine ulla restituendi obligatione. Ista pecuniarum centenaria data ciuitati, uel Principi, Florentiæ dicuntur præstantiæ montis, Ianuæ sortes locorum, Venetiis sortes imprestitorum, pensiones Florentiæ dicuntur denarij montis, Ianuæ loca. Venetiis imprestita, & dantes Florentiæ dicuntur creditores montis, Ianuæ habentes loca, Venetiis habentes imprestita, & sic percipientes pensionem dicuntur percipere, denarios montis, uel loca, uel imprestita. Et ciuitates, seu Principes pro huiusmodi pensionibus obligant suos redditus, quandoque omnes in communi, quandoque certos in particulari, & quando obligant, & assignant certos redditus particulares, uidentur montes prioris generis de quibus in præcedenti capitulo, sed tamen differunt, nam ad illos, seu illorum loca emendum nullus cogitur, licet emptoribus dentur quædam priuilegia, & illorum pensiones correspondent pretio quo emuntur, & illo secundum iustitiam proportionantur, cum sint etiam instituti propter commoditatem ciuium, unde etiam isti montes sunt securiores; at isti montes posterioris generis cum sint impositi propter necessitatem ciuitatis, uel Principis substantia maiori periculo, amissionis. s. fructuum, & sortis principalis, ut si cresceret Principis necessitas ob quam etiam causam ciues, & mercatores sæpe coguntur ad emendum, & pensiones aliquando sunt minores, aliquando maiores iusto alias pretio, sed quo minores sunt, eo securiores. Sed quando sunt minores, (ut cum dantur quinque pro centum cum pacto extinguendi illud ius 28. ducatis) excusantur ciuitates, & Principes, quia ciues, & subditi tenentur etiam illi donare, cum necessitas exigit, quando autem sunt maiores sicut quando Princeps uult allicere etiam non subditos ad ei dandum, uel non ei expedit cogere suos subditos, excusantur dantes, seu ementes ratione periculi amitt-

si amittendi etiam sortem cum fructibus, si contractus est alius licitus, de quo fuit inter doctores maxima controuersia, & diffuse, etiam usque ad satietatem multorum citatis opinionibus hanc difficultatem tractant Laur. de Rodul. & S. Ant. & tam ipsi quam ab eis citati, præsupponunt hunc esse contractum mutui, & in illius iustificatione multum laborant, multasq; afferunt distinctiones, ut illum ab usura defendant, dicentes uidentur esse an mutuantes ob mutuum uerum patiantur interesse, & an interesse sit tantum, quantum est lucrum, & si nullum patiuntur interesse, an illa donatio sit liberè, & non coacte facta, & an mutuantes intendant illud lucrum; & cum concedatur illis, quod uendant illud suum ius, dubitant de emptoribus, cum non cogantur illud emere, & de eorum dispositione, quia non uidetur quod possint pretendere aliquod interesse, nec quod accipiant fructus, ut libere donatos. Sed pace tantorum uirorum, dico cum Conrado, & Tabienna, quod errant in fundamento præsupponentes istos esse contractus mutui, cum tamen non fiat, sed emptionis, & uenditionis, annui redditus. nec obstat, quod uocantur præstationes, & quod ipsi met dantes, & accipientes uentur nomine mutui, nam appellantes mutuum abusuè loquuntur, & inspicienda est potius natura contractus, & iuxta illam de eo iudicandum est, & non iuxta nomen quo sæpe abusuè nuncupatur, ut superius diximus in c. 16. huius libri. quod autem iste contractus non sit mutui, est certissimum, nam pecunia datur irreuocabiliter, ita quod dantes nunquam repetere sortem principalem, & Ciuitas, seu Princeps nunquam obligatur ad illius restitutionem, quæ sunt contra rationem mutui, dicimus ergo istos contractus licitos esse, & iustificari eo modo quo liciti sunt, & iustificantur census. nam uere sunt emptiones annuorum censuum, qui fundantur super redditibus ciuitatis, uel Principis. Sed oritur hic dubium, nam inter alias condiciones census à Pio V. requisitas est ista, quod census fundetur super certa, & determinata re immobili, quæ suis terminis describatur, isti autem census fundati sunt super omnibus redditibus Ciuitatis, uel Principis. Ad quod responderetur, quod Principes deberent illos statuere super certis eorum redditibus, sed subditi, quia non possunt illis leges præscribere excusantur si non seruata ista conditione illos statuunt super omnibus suis bonis. & non solum, qui coguntur, sed etiam alij tanta consciëntia possunt illos emere, tum quia census, quem quis super omnibus suis bonis in communi fundat, non est de natu-

ra sua

S. Ant. 2.
p. tit. 1. c.
11.Contr. de
contract.
q. 45.
Tab. v. v. 6.
ra. 14.

ra sua illicitus, sed est modo malus, & illicitus, quia prohibitus ad evitandas fraudes; tum quia respectu Principum cessant fraudes ob quas posita fuit illa conditio, ne scilicet census constituantur super re fictitia, & ne percipiantur fructus re perdita, vel infructifera effecta, nam constat Principes habere multos redditus, & quod si eorum pars perierit non soluunt census, etiam si perierint alii, & illi sunt salvi super quibus particulariter, & nominatim sunt fundati census, quia licet de iure hoc casu sint solvendi, tamen subditi illos iuvare tenentur, & contra illos litigare non possunt. Tum etiam, quia e mentes possunt moveri ex charitate, principaliter animo iuvandi Principes, & secundo spe lucri.

At si Principes verè mutuo accipiunt, & ad sibi mutuandum suos subditos cogunt, promittentes eis restituere cum commode poterunt, quod ab eis mutuo acceperunt, & quousque restituant certos eis assignant fructus pro interesse, vel titulo liberæ donationis; hoc casu cum sit verum mutuū, dicimus, quod mutuantes non possunt accipere illos fructus ratione interesse nisi verum patiantur interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, & usque ad illam summam. Ut autem possint percipi titulo donationis, requiritur ex parte Principis, ut donatio sit libera, & non quædam coacta palliatio, ut plures pecunias inveniatur, & ex parte mutuantium, quod intentio principalis non sit lucrum, & secundum aliquos, nec etiam secundaria, sed ut diximus secundaria intentio non constituit usuram, sicut nec simoniam, sed primaria. quæ pura intentio raro reperitur, præsertim cum lucrum certum omnibus mutuantiis proponitur propterea consulendum est, ut montes, seu census constituantur super suis redditibus iusto pretio, cum pacto redimendi.

De monte Pietatis. Cap. XXI.

Mons pietatis est distinctus ab aliis motibus, nam alii reducuntur ad census, iste ad mutuū cum pignore, & ratione excessivæ quantitatis pecuniæ, dicitur mons; de huius montis iustitia, cum sit ad mutuandum, fuit inter Doctores sub Leone X. maxima controuersia, à quo etiam terminata fuit. Est autem iste mons, quædam summa pecuniarum, vel rerum pecuniæ æstimabilium in loco publico existens, quam Princeps, vel Respublica, vel unus, seu multi diuites pietate moti, in usum pauperum deputarunt, ex qua

summa

summa datur pauperibus mutuo pecunia gratis sine ulla spe lucri, pignoribus ab eis acceptis; sed ut mons indemnis seruetur, illi qui mutuo accipiunt pro quantitate accepta, & pro tempore quo eam non soluerint, aliquid exiguum pro quolibet mense solvere debent, pro victu, & salario eorum, qui habent curam dictam pecuniam custodiendi, mutuandi, recuperandi; conferendi, & restituendi pignora tempore oportuno; & si pecuniam ad præstitutum tempus non restituant, pignora sub hasta venduntur, & eorum periculum restituitur dominis, subtracta mutuata pecunia, & ministrorum mercede.

Iste mons licet à Caiet. Soto, & alijs fuerit tãquam usurarius reprobatus, est licitus, & sanctus à Lateranensi Concilio sub Leone X. approbatus, qui proculdubio non approbatur nisi quatenus in dubium uertebatur, propter id, quod exigitur in ministrorum sustentationem. Et quod licite possit à pauperibus mutuo accipientibus aliquid sine usura, & ratione mutui, exigi, patet, quia tota pecunia montis est in fauorem pauperum mutuo accipientium pro cuius, & pignorum custodia sunt necessarij ministri, qui suo etiam periculo illa conseruant, qui etiam mutua re tenentur, quibus de causis necessaria est etiam domus, ubi se re assidue alijs negocijs relictis esse debent, quæ omnes expensæ cum sint necessariæ pro hac pauperum subuentione, ratio postulat, ut aliquid non propter mutuū, sed propter has expensas ab eis exigatur, decet enim mutuāntem seruari indemnem, & qui commodum sentit, debet sentire onus. Sunt autem necessariae quatuor conditiones, ut iste mons sit licitus. Prima, ut id quod accipitur non accipiatur ratione mutui, sed ratione damni emergentis propter necessarios sumptus. Secunda, ut non fiant superflui sumptus. Tertia, ut omnes mutuo accipientes pro rata contribuunt ad hos necessarios sumptus, ne dum ab aliquibus nihil accipitur, eo plus ab alijs exigatur. Quarta, ut ex hoc mutuo nihil profus accrescat monti, sed si quid superest, dandum est pauperibus, & illis præcipue, qui mutuo à monte acceperunt.

Sed iste mons in aliquibus locis à sua primena institutione, & forma desciiuit, & factus est etiam depositarius, ubi multi partim coactè, partim spontè suas deponunt pecunias, & pro fructibus singulis annis à monte quinq; pro certum accipiunt. Vbi uidendum est unde mons habeat istos fructus, quos soluit, & an ista deposita sint licita, & an deponentes pecunias super monte licite percipiant hos fructus, & si iniuste percipiunt, cui sit facien-

H da

Quod sit
licitus.

Quatuor
conditio-
nes.

da restitutio, & à quo quando super eo pecunia coactè deponitur. Quoad primum si mons mutuaret solis pauperibus, & cū pecunia montis non sufficiat, nec inueniat mons, qui ei gratis mutuent, sed benè ex charitate, dummodo saluentur indemnes ob uerum interesse, quod mutuādo patiuntur, res esset clara, nam certum est, quod mons, ut pauperibus subueniat, potest mutuo accipere, & quod mutuantes possunt accipere interesse, quod ob tale mutuum uerè patiuntur, & quod hoc interesse debent soluere pauperes, qui mutuo accipiunt à mōte, aliquid plus soluendo, cum illud mons propter eos, & in eorum utilitatem patiatur, à quibus debet seruari indemnus. Sed dubium est, quando mons accipit deposita, & pro illis soluit quinque pro centum, non pro necessitate pauperum, sed ut diuitibus, & mercatoribus mutuet; Si pauperes propter hoc interesse aliquid amplius soluunt est illicitum, quia non tenentur nisi ad interesse, quod mons propter illos patitur; sed uidetur, quod propter hoc etiam aliquid amplius soluant, nam soluunt quinque pro centum, & pro mensibus non integris quos attingunt, soluunt ac si essent integri, si autem non fierent nisi expensæ propter ipsos solum necessariæ, uix soluerent tria pro centum. illud autem amplius, quod pauperes soluunt non sufficit, & quia etiam ratio postulat, ut diuites mutuo accipientes amplius soluant, quam pauperes, cum propter illos mons accipiat ista deposita, ideo mons ab illis exigit sex cum tertio pro centum, à pauperibus autem nihil amplius exigit, quam ipse pro depositis soluat nimirum quinque pro centum. Quoad secundum notandum est, quod pecunia super mōte dupliciter deponitur, uel liberè, uel conditionatè; si liberè, mons tenetur illam restituere, quando cumq; qui deposuit, & uel ille pro quo deposuit eam uoluerit; si conditionatè, adimpleta conditione, tenetur statim illam soluere. Et quomodocumq; ponatur, mons illam assecurat, ex quo duo manifestè patent, primum, quod pecunia non ponitur super monte in societatem negotiationis, ut quidam imaginatur uolens hac ratione defendere ista deposita, tū quia, ut diximus, mons non est ad negociādum, sed ad mutuum, tum etiam dato, quod negociaretur ille modus ponendi pecuniam super monte, ut. s. possit quando cumq; repeti, si liberè ponitur, uel statim adimpleta conditione, quando cumq; adimpleatur, est contra naturam societatis negotiationum, sicut etiam est contra naturam societatis, & illicitum, quod assecuretur capitale, & certa pars fructuum, ut determinauit.

Sixt. V.

Sixt. V. sed est uerè, & propriè depositum. Alterum est, quod qui sic pecuniam ponunt super monte nō possunt aliquos illius fructus accipere à monte, sed potius tenentur satisfacere monti pro illius custodia, & assecuratione; Et si de hoc dubitas, in duas personam montis, & à te peto, ut mille aureos, quos domi cum periculo, & mortuos habeo, his tribus conditionibus à me accipias. Primum, ut quotiescumq; illos uolueris statim, uel post decem dies mihi restituere tenearis. 2. ut si perierint tibi pereant. 3. ut pro tempore quo penes te reliquero singulis annis mihi soluas quinque pro centum; quod certè dices esse iniustum, cū tibi pro custodia, & assecuratione debeatur merces, quod si respondeam, me tibi concedere facultatem, ut utaris pecunia mea, qua poteris lucrari, & ob hanc causam me uelle aliquod lucrum, dices hac concessione depositum transire in mutuum, & me uelle lucrum ex mutuo, quod est manifesta usura. Quod etiam probatur ex nostra synodo prouinciali Florentina anno 1573. celebrata, ubi in titulo de usuris, c. 7. dicitur. *Deposita, quæ fiunt apud Ecclesiastica loca, & religiosa, unde deponentes annuas summas ultra sortem, qualescumq; accipiunt, illicita omnino sūt. Precipitur igitur quibuscumq; dictorum locorum superioribus, seu administratoribus, ne huiusmodi, contractus celebrare ullo modo audeant, de posteaq; cum eis pactis, conditionibus, aut intentione suscipiant, deponere resq; eiusmodi, si quid ultra sortem ea intentione acceperint, usurarios teneri in utroq; foro.* Ex quo sequitur, quod isti fructus, tanquam indebitè percepti, & usurarij sunt restituendi. Est autem hic distinguendum, nam de illis, qui spontè suas pecunias deponunt, res est clara, sed dubium est de illis, qui eas super monte deponere coguntur, uel à publica potestate, ut sunt pupilli, uel à priuatis personis, ut sunt uendentes, quousque assecurēt pretium. Et dico, quod isti pro tempore quo coguntur, & suas nō possunt repetere pecunias licitè percipiūt illos fructus pro dāno, quod patiuntur, suæ indemnitati consulentes; quod si sunt usurarij, non accipiunt illos à monte, ut ex deposito, sed ut sibi debitos, & assignatos ab illis, qui eas deponere coegerūt, quare illi ad restitutionem tenentur, & sibi imputent, quod illas sic deponunt, uel deponere cogunt, cum potuissent census, uel res frugiferas emere, uel mercatori in societatem tradere. Et confirmatur ex eo, quod dicit Sylu. V. Usura 7. §. 5. de pupillo cuius tutor de illius pecunia multos cōtractus fecit usurarios, quod non pupillus, sed tutor tenetur restituere usuras, licet sint uersæ in utilitatem pupilli, quia potest dicere, quod illa retinet.

H 2 pro

pro lucro, quod ex sua pecunia debet habere, & tutor sibi imputet si illam in possessiones, uel iustam negotiationem non exposuit, ut debebat. Et si obijciatur, quod habens rem alienam etiam si ipse non sit illam furatus, sed bona fide emerit, tenetur illam restituere, quia obligatio restituendi confurgit non solum ex iniusta acceptione, sed etiam ex re ipsa, eo quod est aliena. Respondetur esse differentiam inter rem emptam, & habitum a fure, uel ab usurario ex usura acquisita, qua rei furtiua nullum acquiritur dominium sicut acquiritur rei per usuram acquisita, de quo fufius lib. sequenti, cap. 19. Nec excusatur, qui emit, si dicat, quod soluit pretium, & uult esse securus, quia potuisset illud retinere, & interim soluere fructus rei emptæ, uel constituere censum, uel de consensu uenditoris tradere illud mercatori in societatem, quod si non uult subire hoc periculum, nec fructus soluere de proprio, non emat, non enim cogitur emere, sicut alter uendere, uel a uicino uolente ædificare, uel quia non potest prouidere ruina, quam minatur domus, uel quia indiget parte pecuniæ, si autem illi utile est emere, subeat periculum uel retento pretio, soluat fructus, uel emantur loca montis non uacabilis, cum conditione, quod non possint uendi nisi pro emptione bonorum immobilium, & si mons extinguitur, quod non restitatur capitale nisi pro emptione aliorum locorum alterius montis non uacabilis, uel bonorum immobilium. Idem dicitur de locero nolente tradere dotem genero, sed illam sic deponente ne ipse cogatur pro oneribus matrimonij, illius fructus soluere. Restitutio autem facienda est non monti, quia illos fructus non dat de suo, & ab illis habuit, quibus mutuauit, sed pauperibus, cum propter pauperes sit institutus, & his depositis pauperes grauentur, quia aliàs, ut diximus, non tantum soluerent monti, & si mons facta ei restitutione, restitueret, restitutio ipsi fieri deberet, cum sciat etiam, qui fuerint grauati, si autem non restituit, pauperibus fieri debet, & præcipue pauperibus, nobilibus, & artificibus in dotem suarum filiarum, nam ferè omnes pluries suas suppelleciles monti pro mutuo in pignus dederunt. Nec potest Mons, aut Princeps restitutionem remittere, quia hoc esset in præiudicium pauperum quibus, & non monti facienda est restitutio.

De cambijs, quid, & quotuplicia sint, & de illorum conditionibus.

Cap. XXII.

Quid sit

Cambium proprie est unius rei pro altera commutatio, & diuiditur in cambium pecuniæ numeratæ, & aliarum rerum, & modo loquimur de cambio pecuniæ, etiam ut a vulgo extensum est ad omnem contractum pecuniæ pro pecunia non gratuitum.

Quotuplex sit

Cambium prima sui diuisione, diuiditur in uerum, & reale, & in palliatum, & fictum. Cambium reale est duplex, per minutum, & per litteras. Cambium per minutum (quod proprie cambium dicitur) est illud quo quis cambit præsentem pecuniam, pro præsentem, ut quadrantes pro iulijs, uel iulios pro scutis, &c. & accipit aliquod moderatum lucrum, secundum consuetudinem patriæ pro suo labore, & quia communitati seruit, quod licitum est. & hoc, uoluerunt aliqui non licere nisi personis ex officio à Republica deputatis; sed credimus priuatis etiam licere aliquid exiguum accipere, non ratione cambij, sed ratione alicuius interesse singularis, puta laboris, tædij, & impedimenti. Ad hoc cambium reducitur quartum cambium, quod ponit Nauarrus, nam est aliqua pecunia, quæ minoris ualeat in una prouincia, quam in alia, quam quis potest ubi minoris ualeat emere, uel cambio, seu permutatione cum pecunia, quæ ibi pluris ualeat accipere, quod pertinet ad cambium minutum, & pecuniam illam, ubi pluris ualeat realiter transferre, & cum pecunia quæ in sua prouincia pluris ualeat cambire ad minutum, uel per litteras, in quo calu translatio pecuniæ cambio acceptæ, non est cambium, sed cambium fit in utraque prouincia, uel ad minutum, uel per litteras, quare hoc quartum cambium, & quintum ratione ueri interesse, quæ ponit Nauarrus, non sunt cambia, sed rationes quibus cambiendo possumus lucrari, uel aliquid amplius accipere. Cambium reale per litteras est uirtualis pecuniæ translatio ex uno loco in alium, uel commutatio pecuniæ unius loci cum pecunia alterius loci, uel emptio, seu uenditio pecuniæ absentis, quæ pecunia absens, quia communiter uirtute litterarum soluitur, hoc cambium dicitur per litteras, quamuis etiam fieri posset per

De minuto.

De cambio per litteras.

De condi-
tionibus
requisitis.

nuntium, uel per ipsum campforem, & est iustum, & Reipublice necessarium seruatis tamen tribus conditionibus. Prima, ut seruetur æqualitas ualoris inter pecuniam datam, & accipiendam, cum enim in omnibus commertijs, & contractibus iustitię commutatiuę sit seruanda æqualitas, ut tanti ualeat acceptum, quanti datum, & e contrario, in commutatione pecunię, & cambijs, ut sint iusta tanti debet ualere pecunia danda, quanti accipienda, & ita nullo cambio in quo pecunia pro pecunia datur, potest aliquid accipi ultra ualorem pecunię, quę datur ratione cambij, nisi adiungatur alia iusta causa, aliquid amplius accipiendi, ut interesse, assicurationis, mercedis, prohibitionis, periculorum, nam etiam cambium aliarum rerum, non est iustum nisi seruata æqualitate ualoris utriusque rei campfę. Secunda, ut campfor non accipiat plus iusta mercede, & quando æstimatur pecunia absens nulla sit fraus, sed habeatur ratio periculorum, & uerę, & realis copię, uel penurię pecunię; & dantium, & accipientium; ita, ut cesset omnis fraus monopolij; nam sæpe in nundinis sunt aliqui præcipui campfores, qui inter se conueniunt, & faciunt pretium augere, & minuire pro ut illis expedit, quod est iniustum, & tenentur de damno. Tertia, quod ille, qui dat litteras, sciat, uel probabiliter credat, quod persona cui eas dat, habeat pecunias, uel fidem, & uoluntatem satisfaciendi litteris quas de illis soluendis tradit, per extrau. Pij V. quę conditio est necessaria ex natura rei, quia alias esset cambium palliatum. Quarta conditio, ut neque à principio, neque postea ante terminum solutionis, fiat pactum de certo, & determinato interesse, etiam in casu non solutionis, quę conditio est in eadem extrauag. in qua additur etiam hæc. Quinta ne cambia exerceantur nisi ad proximas nundinas, uel proximos terminos ad soluendum cambia præfigi consuetos: quod cum Nauarro limitandum esse arbitror quoad effectum carius cambiendi ad secundas, uel tertias nundinas, quam ad proximas ob maiorem temporis dilationem, non enim uidentur Pontifex prohibere ne maior dilatio detur debitori, sine ullo maiori campforis lucro, quemadmodum etiam præcedens conditio, ut non liceat pacisci de interesse, non extenditur ad alios contractus, quia à iure antiquo non receditur plusquam exprimitur, & in cambijs restringenda est ad forum exterius, & presumptionem iuris, ne cambium censeatur usu ratum, in foro tamen conscientię quando interesse esset certum,

tum, id liceret, sicut, & in alijs contractibus, & idem Pontifex asserit se has duas condiciones statuisse ad tollendas fraudes.

Quibus modis fiant cambia per litteras, & quibus de causis campfores lucentur.

Cap. XXIII.

HAEC cambia per litteras uariantur ex parte dantis, & accipientis, nam aliquando dantur pecunię campfori, ut eas in alio loco reddere faciat, aliquando è contra campfor dat pecunias, ut in alio loco infra certum tempus restituantur. Variantur etiam ex parte pecunię, aliquando enim datur pecunia unius regni, uel ualoris, ut in alio loco respondeatur pecunia alterius regni, uel ualoris; aliquando datur pecunia pro alia simili alibi danda.

Campforis lucrum duabus ex causis oritur. Prima est ratione proprii interesse, & hæc habet locum solum in duobus casibus, primus, quando accipit pecuniam transferendam, quia locat operas suas, subit locum portitoris, & uiarum pericula, ob quam causam ministros alere eisq; mercedem dare cogitur, & hac ratione lucrum aliquod recipere potest. Nec obstat, quod non reddatur eadem numero materialiter, quia redditur eadem formaliter, uel æquiualentem, id est, secundum eundem ualorem; Nec obstat, quod campfor illam uere, & realiter non portet in eum locum, sed quod ibi propriam habeat, & cum suo comodo soluat, nam hoc est per accidens, & ex eius industria. At si campfor pecuniam acciperet nomine uenditionis, seu commutationis pecunię absentis cū presenti, nihil posset hac ratione interesse accipere, sicut nec in aliarum rerum uenditione, & commutatione, quia nullum est hic eius interesse. ratione etiam huius interesse campfor nihil potest accipere quando alteri pecuniam dat, ut eam in alio loco restituat, quia hoc interesse non ille, sed alius potius patitur, qui pecuniam accipit, cum enim campfor det pecuniam, non potest subire locum portitoris. Sed hoc casu lucratur secunda causa, ratione scilicet emptionis, uel commutationis, de qua inferiur. Secundus casus est, quando cambium pro alio exercet, dando, uel accipiendo, quia tunc locat suas operas, & pro quolibet cambio suam habet mercedem quod iustum est, si non sit excedens, sed quia campfor possit

Vnde oritur
cambij
campforis lu-
crum.

alterius pecuniam alicui ad cambium dare, qui postea non sit soluendo, qui dant pecuniam cambiendam, uolunt à campfore iusta mercede assicurari, pro sorte principali, quod licitum est, dummodo assicuratio sit de sola sorte, & non de fructu, iste enim non est contractus societatis in quo à Sixto V. prohibita est assicuratio, sed est contractus locationis operum campforis, & Papa non loquitur de cambiis, & ita campfor lucratur etiam mercedem assicurationis. Ista causa iuxta primum modum, quia scilicet campfor assumit officium portitoris, est iuxta primam cambiorum originem, de loco, ad locum, quando. scilicet campfor accipiebat pecuniam alibi realiter soluendam, pro emendis mercibus, quam propter pericula uia, secum mercator, portare nolebat.

Sed modo cambia à prima eorum origine deuiarunt, & factum est nouum negociandi genus, cuius merx, & pretium est ipsa met pecunia, diuersis rationibus considerata, quæ hominis industria dum ab uno loco ad alium mittitur, & ad eundem remittitur continuo circulo pecuniam parit, quæ cambia secunda causa iustificatur, quæ est emptio, seu uenditio pecuniæ absentis, uel illius cum præsentis commutatio. Sed dubium est quomodo possit hac ratione Campfor lucrari, cum in emptione, & commutatione, sit seruanda æqualitas dati, & accepti. Respondetur, quod potest lucrari salua æqualitate, propter extrinsecos, & accidentarios respectus. Pro quo notandum est, quod duplex est usus pecuniæ, primarius, & secundarius, sicut, & aliarum rerum, ille est proprius, seu primarius cuiusque rei usus, siue naturalis, siue artificialis, ad quem ipsa rei natura primo ordinatur, ut uestis ad uestitum, panis ad esum, & c. secundarius est quores in quantum talis alteri à primo fine applicatur, ut commutatio tritici cum uino, uel cum pecunia; primarius usus pecuniæ, est illius commutatio pro rebus uenalibus ad uitam humanam necessariis, scilicet tritico, panno, & c. propter quas commutationes inuenta est pecunia, ut sit mensura, & pretium omnium rerum uenalium; secundarius usus est commutatio unius pecuniæ pro alia, ut ducati aurei pro iuliis, & hac commutatio orta est ex inæqualitate, & diuersitate pecuniarum. & cum in commutatione, & emptione sit seruanda æqualitas, ut campfor lucretur debet talis interuenire causa, quæ reddat pecuniam, ut commutabilem, & uendibilem, maioris, uel minoris ualoris se ipsa, ut est pretium. Et octo possunt esse huiusmodi

Duplex
usus pecu-
niæ.

Causæ va-
riantes pre-
tium pecu-
niæ, ut est
uendibilis.

cau-

causæ. Prima est diuersitas metalli. Secunda, diuersitas bonitatis eiusdem metalli. Tertia, diuersitas formæ. Quarta, diuersitas ponderis. Quinta, diuersitas locorum. Sexta, reprobatio totalis, uel partialis. Septima, copia uel defectus omni cessante fraude. Octaua, absentia, uel præsentia: ex eo autem, quod citius, uel tardius traditur, non ualet pluri, uel minoris. Nec obstat, quod auctoritate publica constitutum est pretium pecuniæ, quod priuata auctoritate mutari non potest, quia id intelligitur eo respectu quo pretium est, non autem eo respectu quo est merx campforis, & uendibilis. Et quod prædictæ causæ faciant aurum, & argentum pluri, & minoris æstimari, patet quotidiana experientia in cambiis ad minus eiusdem loci, & temporis, nam ducati aurei propter commoditatem portandi, emuntur argentea pecunia, & propter illam commoditatem, aliquid amplius datur ultra pretium auctoritate publica constitutum, argentea etiam pecunia ex puriori argento, pluri emitur, quam absolute ualeat, tum quia ex illa possunt fieri uasa argentea, tum quia facilius expenditur in aliis locis, tum etiam, quia non est ita periculum, quod prohibeatur, uel eius pretium imminuatur; pecunia etiam in loco in quo non est expendibilis minus ualet, quam in eo ubi expenditur, & minoris emitur, ut ibi portetur, ubi expenditur, & pluri ualet; & sicut copia, & defectus auget, & minuit pretium cæterarum rerum, ita etiam pretium pecuniæ, quatenus est uendibilis propter illius peculiarem rationem. Sed maius dubium est qua ratione, absentia pecuniæ, minuat illius pretium, & supponimus cætera esse paria, ut si centum ducati aurei Venetiis, tantum ualeant quantum centum Florentiæ, & sint eiusdem ponderis, & bonitatis, ita ut nulla sit prorsus differentia nisi diuersitas loci, & ratio difficultatis est, quia res tanti emenda est, quanti ualet in loco ubi est, & assignatur, ut si triticum in uilla existens, ematur ab his, qui sunt Florentiæ, emendum est tanti, quanti uenditur non in ciuitate, sed in uilla ubi est, & assignatur, ergo si Florentiæ emo centum ducatos aureos, Venetiis existentes, pro illis debeo dare centum similes, non plus, nec minus. Et tamen uidemus, quod dantur 98. Ad quod respondetur, quod res absens dupliciter potest emi, & uendi, primo pro loco in quo est, ut ibi assignetur ubi est, & sic tanti debet emi, quanti ibi ualet; secundo, ut conducibilis ad locum, ubi sit contractus emptionis, & uenditionis; & sic minus ualet, propter expensas, & pericula uia,

Dubium,
qua ratio-
ne distan-
tia loci va-
riet pre-
tium.

quan-

quando res tanti ualeat in loco in quo est quanti in loco in quo fit contractus, in loco contractus non est uendibilis nisi, ut conducibilis, uel ut conducta, ut si frumentum tanti ualeat Florentiæ, quanti Romæ, & quis Florentiæ existens uelit uendere frumentum, quod habet Romæ, non inueniet emptorem, nisi illud conducat, & assignet Florentiæ, quod certè non faciet sine expensis, illud autem sic conducibile, facile uendet, etiã cum lucro, seu cum minori damno, quia inueniet qui illud emet, ut deferendum susceptis in se periculis, & expensis uia, quia illud forte uult Romæ consumere, uel ad uiciniorum locum, uel ad alium ubi pluris ualeat, uel etiam Florentiam sine expensis conducere cum habeat proprios mulos, ob quam etiam causam non deducit omnes expensas ad rigorem, quas faceret dominus frumenti, quod autem emens frumentum, illud, sine expensis conducit, uel Romæ consumat, est per accidens, & ex eius industria, nam ex natura sua frumentum sic conducibile ratione expensarum uia minus ualeat, quando ergo dicitur, quod res absens tanti emenda est, quanti ualeat in loco ubi est, intelligitur quando emitur pro illo loco, at quando emitur pro loco in quo est, & pro loco in quo fit contractus simul, minus ualeat, quam in loco ubi est. Et hac ratione iustificatur cæbia per litteras, quando emitur pecunia absens eiusdem generis, ualoris, & bonitatis; sunt. n. aliqui diuites, qui suis pecuniis nolunt emere merces, sed illas ad cambium tradere, & sic cambièdo lucrari; habet V. g. Petrus campfor pecunias Florentiæ, Romæ, & Lugduni, si Florentiæ inuenit indigentem pecunia, & uolentem uendere 100. ducatos quos habet Romæ, emit, & pro illis dat 98. idem facit per suos ministros Romæ, & Lugduni, si ibi inuenit uolentem uendere certam quantitatem pecuniæ, quam habet Florentiæ. Et si aliquis Florentiæ indigeat centum ducatis, & non habeat in alio loco pecuniam, quam uendat, accedit ad campforem, qui non uult ei Florentiæ pecuniam mutuare, sed mutat gratis centum ducatos, quos habet Lugduni, & illos ab eo emit. 98. quos tunc exburfat, ut dictos centum, reddat Lugduni (de quo inferius in tertio dubio) & cum ibi non habeat unde soluat, campfor Lugduni ei gratis accomodat 100. ducatos quos habet Florentiæ, & illos ab eo similiter emit 98. & sic Campfor Florentiæ indigenti pecunia, & non habenti alibi creditum mutat pecuniam Lugduni existentem, & illam ab eo emit, & Lugduni, ut possit soluere.

Quomodo
fiat
cambia.

pri-

primum cambium ei mutuat pecuniam, quam habet Florentiæ, & illam ab eo emit, qua soluit cambium Lugduni completum, sed ut Florentiæ possit soluere aliud cambium ei iterum accomodat pecuniam Lugduni existentem, & ab eo emit, & sic continuis circulis donec ille in effectu exburfet pecuniam sibi traditam; ubi in quolibet cambio campfor lucratur unum, uel duo pro centum quando plus, & quando minus, iuxta paucitatem, uel multitudinem dantium, uel recipientium, & cum in anno multa fiant cambia, & recambia (campforis enim pecunia est uelut pila ludentium, quæ nunquam quiescit, sed illa recepta statim fit nouum cambium.) illius lucrum in fine anni multum crescit. Cum autem pretium pecuniæ, ut campforis multipliciter uarietur, cambia etiam sunt multis modis, & pro diuerso pecuniæ genere, & pro eodem, & partim pro eodem, partim pro diuerso, & aliquando datur minus, ut alibi plus recipiatur, ut 100. pro 102. & aliquando datur plus, ut minus recipiatur, ut 100. pro 98. aliquando pro equali, nam ducatus V. g. Florentinus, & ducatus Venerus ex se sunt eiusdem ualoris, & absentia, & copia, & penuria, modo unum, modo alium facit maioris, uel minoris estimationis, & ducatus Florentinus, & Neapolitanus ex se non sunt eiusdem estimationis, nam Florentinus pluris estimatur, & tamen ut campforis copia, & penuria efficere potest, quod Neapolitanus tanti, & pluris etiam ualeat. (non me carpât campforis in exemplis, nam ut inquit Arist. exemplorum non requiritur ueritas, satis est, quod res intelligatur.)

Facile intelligitur illorum cambiorum iustitia, & ratio in quibus minus datur, ut plus recipiatur, quia pecunia absens minus ualeat, & propterea campforis illam emunt, ut lucrentur. Sed non ita facile intelligitur iustitia, & ratio illorum cambiorum in quibus campfor plus dat, ut minus recipiat, quia ista uidentur fieri cum damno. Et aliquando fiunt cum dano, quia campfor cogitur, quandoque mittere pecuniam suam ad certum locum, & non inuenit, qui illam uelit, & etiam quia licet non cogatur illam eo mittere, tamen sperat se magis lucraturum in recambio, quia credit futuros paucos, qui dent, & multos qui uelint, in quibus etiã seruatur iustitia, nã copia uendentium, & defectus ementiũ, minuit pretium mercium, ut per se patet. Sed adducamus exemplum, quod adducit, sed non bene ponderat Sotus. Cum in Flandria propter continua bella, sit maxima pecuniæ penuria in genere, dat quis Metinæ alicui

De ratione,
& iustitia
cambiorum.

Sot. de iur.
st. & iure
lib. 6. q. 12
ar. 2.

alicui quadringentos, & decem denariolos, seu quatrinos (ponamus gratia exempli nullam aliam esse monetam, ne fiat uis in auro, uel argento) ut in Flandria ei restituantur, cui in Flandria non dantur nisi trecenti, & sexaginta, qui si è conuerso det in Flandria quadringentos, & decem quadrantes, pro illis Metinæ dantur quadringenti, & septuaginta quinque, & ita plus lucratur in remittendo pecuniam Metinæ, quam perdidit ex Metina in Flandriam transmittendo, perdidit enim quinquaginta, & lucratur sexaginta quinque. Sotus primum cambium quo pecunia datur Metinæ, ut restituatur in Flandria dicit esse licitum, quia quadringenti, & decem Metinæ, ubi affluentior est pecunia, non pluris habentur, quam trecenti sexaginta in Flandria, ubi pecuniæ penuria laboratur, & dat exemplum de uino, & oleo quorum Metinæ est tanta copia, ut centum dari non pluris, imo minoris habeatur, quàm sexaginta in Flandria, & propterea potest quis Metinæ maiorem mensuram olei cum minori apud Flandriam habere, & è contra potest quis pauciores Metinæ ulnas lini habere, pro pluribus soluendis in Flandria, ubi maior est copia. Ex quo probat cambium non posse iustificari per uiam emptionis pecuniæ absentis, quæ minoris ualeat, quia sic ille, qui Metinæ pecuniam numerat, ut recipiat in Flandria, minus deberet Metinæ dare, & plus in Fladria recipere, & tamen hic totum oppositum uidetur. Secundum autem cambium, quo in remittendo pecuniam Metinam maius est lucrum, quam fuerit iactura in transmittendo in Flandriam, dicit esse illicitum, quia non seruatur æqualitas, nam si pro 410. datis Metinæ, recipiuntur in Flandria 360. pro 360. datis in Flandria, recipiendi sunt Metinæ 410. Sed eo modo quo Sotus hæc cambium iustificat, campsores illis nunquam lucrarentur. Eodem modo fiunt nunc in Italia cambium per Lugdunum, & Bisuntium, nam cum prius centum ducati auri de Sole, æquialeret centum currentibus Florentiæ. Florentiæ dabantur 98. pro recipiendis 100. Lugduni, modo propter defectum pecuniæ, qui est Lugduni, Florentiæ dantur centum, & quinque, pro centum de Sole Lugduni recipiendis, & Lugduni dantur centum de Sole, pro centum, & septem Florentiæ recipiendis. Sic etiã fiunt cambium Romæ per Neapolim, & è contra, sed diuersa ratione, nam pro centum ducatis argenteis Romæ datis, Neapoli recipiuntur V. g. centum, & octo, & pro centum Neapoli datis Romæ nõ datur nisi 92. uel 91. & ratio huius differentie non est penuria pecuniæ, sed quia moneta Neapolitana

mi-

minoris ualeat extra Regnum, cum in Regno plus ualeat, quam in ea sit argenti, ne asportetur. Et dicimus ista cambium, & recambium, posse iustificari per uiam emptionis, nam in Fladria 360. quadrantes, æquialent 415. Metinensibus, sed quia pecunia absentis minoris ualeat, ob id 360. in Flandria existentes, emuntur Metinæ 410. & sic campsores lucratur quinque, in recambio autem lucratur alia quinque, nam in Flandria 360. emuntur 420. Metinenses. & error Soti consistit in hoc, quod credit 360. Flandrenses, æquialere 410. Metinensibus, & ob id dari in Flandria 360. pro 410. Metinensibus, & Metinæ dandos esse 410. pro 360. Flandrensis, ut distantia nihil operetur. Sed hoc est falsum, nam 360. Flandrenses æquialent 415. Metinensibus, & distantia, tam in cambio, quam in recambio propter expensas, & pericula uia tollit quinque, quæ lucratur campsores, similiter etiam de Cambio Lugdunensi, Bisuntino, & Neapolitano, nam 100. Lugdunenses de Sole, æquialent 106. Florentinis, sed ratione absentie, 105. Florentinis, emuntur 100. Lugdunenses. & 100. Lugdunensibus emuntur 107. Florentini. Quod autem recambium possit esse carius, & quod eodem tempore quo Florentiæ pro Lugduno accipitur unum pro centum, possint Lugduni accipi duo pro centum pro Florentia, potest sine iniustitia licite accidere, nam quamuis sint eadem uia, eadem expensæ, & eadem pericula, tamen possunt Florentiæ esse multi, qui dant, & pauci qui accipiant, & Lugduni è contra, multi qui accipiant, & pauci qui dent, nam copia, & defectus pecuniæ, dupliciter potest accidere. Primo, uniuersaliter, propter bella, uel aliam causam, ratione cuius 415. Metinenses, æquialent 360. Flandrensis, & 100. ducati de Sole Lugdunenses, 106. Florentinis currentibus. Secundo, stante prædicta differentia, potest accidere etiam differentia ratione dantium, & accipientium, nam dum sunt multi Florentiæ, qui dant, & pauci, qui accipiunt, possunt Lugduni esse multi, qui accipiant, & pauci, qui dent, & è contra, similiter etiam in cambio Neapolitano, stante prædicta differentia ratione ponderis, potest uariari cambium, nam dum Neapoli multi dant pro Roma, Romæ possunt esse pauci, qui dent pro Neapoli, & multi, qui uelint accipere. Idem etiam accidit in illis nundinis, quæ fiunt pro solis cambiis, nam uideri posset, quod Bisuntii tot sint dantes, & accipientes in recambio pro Florentia, quot fuerunt Florentiæ, in cambio pro Bisuntio, cum pecunia prima uice cambio accepta,

tandem

tandem post multos circulos soluatur Florentiæ; sed potest contingere, quod soluatur Bisuntij ad euitandum recambium, & quod campfor pecuniam Florentiæ receptam, nolit per recambium remittere Florentiam, sed in alium locum.

Ex quibus facile potest cognosci iustitia omnium cambiorum realium, siue fiant pro nundinis, siue pro aliis locis, ut Romæ, pro aliqua Ciuitate Hispaniæ in qua non fiant nundinæ, & sit iste casus Romæ quotidie ferè occurrens, ubi Hispanus cõsecutus beneficium pro bullarum expeditione, accipit centum ducatos, ut in Hispania de fructibus sui beneficij post octo menses, reddat centum, & octo. S. Ant. dicens hunc contractum esse usurarium, loquitur de mutuante, uel de illo, qui ratione dilationis datæ ad soluendum, aliquid ultra sortem accipit, quod colligitur ex dilatione octo mensium, & ex eo, quod inquit eandem pecuniam pluris ualere Parisijs, quàm Romæ, ratione cuius præsupponit campsores sui cambii iustum pretium percepisse, qui non est casus nocuus, nos enim loquimur de iis, qui aliquid ultra sortem accipiunt, non ratione mutui, uel dilationis, sed ratione emptionis pecuniæ absentis, uel ratione interesse lucri cessantis, uel damni emergentis, quibus de causis iustificari potest iste casus.

S. Ant. 2. p.
l. i. c. 7. §.
30.

De cambijs fictis, & de dubijs circa cambia occurrentibus. Cap. XXIIII.

Quæ sint
cambia
ficta.

Cambia ficta sunt illa, quæ uerè nõ sunt cambia, sed sũt ficta, & solo nomine dicuntur cambia (licet aliqui uocauerint cambia ficta, illa omnia cãbia, in quibus campfor prius dat, quã accipiat, etiam si sint uera, & realia) & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca, cambire simulent, ad quæ loca, ij qui pecuniam recipiunt litteras quidem sui cambii tradunt, sed non mittuntur, uel ita mittuntur, ut transacto tempore unde processerant inanes referantur, aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuit celebratus, nam inter se dantes, & recipientes usque à principio ita conuenerant, uel certe talis fuit intentio. Et quod peius est, fit etiam aliquando hoc cambium cum recambio, nam ita contrahentes conueniunt, ut si tempore, & loco statuto ad quem mittuntur litteræ non soluatur accepta pecunia, cũ alio cambio in eo restituatur loco, ubi accepta fuit. Aliquando etiã

con-

cõtractus cambii fit pro eodem loco in quo datur pecunia, sed secundum ualorem cambiorum illius, uel alterius loci, quæ omnia cambia ficta, tanquam ficta, & usuraria meritò à Pio V. reprobata, & damnata fuerunt.

Sed notandum est, quod si omnes fraudes, quæ in his cãbiis latent, procul remoueantur, possunt etiam hæc cambia recta cõtrahentium intentione excusari, & licita fieri, tunc enim nõ ficta, & ficta, sed uera, & realia erunt, ut si uerè cambia fiant pro aliis locis, ad quæ mittuntur litteræ, quia creditur in illis locis receptis litteris pecuniam soluendam esse, quæ si præter cõtrahentium intentionem non soluatur, meritò ibi restituetur pecunia, ubi accepta fuit; & si pecunia recepta danda erat ad cambium, soluendum erit lucrum cessans, & ille, qui cambio pecuniam dat pro certo loco in quo uerè credit sibi restituendam esse, potest securitatem petere, & assicurari, ut si in eo loco non reddatur, per recambium in illo reddatur in quo accepta fuit, sicut per recambium remittenda erat. Et si quis uerè cambio reali ad proximas alterius loci nundinas suam pecuniam daturus erat, & ut amico subueniat hoc lucro priuetur, merito poterit ratione lucri cessantis ei mutuare, cum pacto, quod ei detur lucrum ad rationem cambii, quod facturus erat; iuxta ea, quæ diximus, cum ageremus de mutuo.

Pro maiori prædictorum, & cambiorum explicatione, aliquot subiiciemus dubia, quorum primum est de cãbiis ad proxima loca eiusdem regni de quibus sunt duæ sententiæ. Prima est Soti, qui duas ponit conclusiones. prima, quod si syncere, & candidè fiant sunt licita, uerum subdit in illis lucrum esse adeo exiguum, ut apud mercatores, nullius sit considerationis, & propterea secundam subiungit conclusionem, quod pro cambiis intra regnum soluendis, nulla potest æquitate pretium recipi, & illam declarat de pretiis tantæ æstimationis, quanta campforibus in usu esse solent, ne contrarietur primæ. Secunda sententia est Nau. quod ex se sint licita, & subdit, quod licet in aliquibus locis propter fraudes, quæ in illis committuntur prohibeantur, ex eorum tamen prohibitione, plus detrimenti prouenit, quam utilitatis. Cum ista cambia non sint à Papa, nec aliqua uniuersali lege prohibita, nisi sint ex se mala, Doctores non debent illa simpliciter damnare, sed fraudes, & pericula ostendere; propterea uidentur est, an licita sint ex natura sua, & prima fronte uideri possent ex se illicita, quia in illis uidentur desciscere duæ causæ præcipuæ, quæ cætera cambia iustificat, quia

Quomodo iustificari possint.

Dubium de cãbiis ad proxima loca. Sententiæ.

Ratio difficultatis.

scilicet

Solutio.

scilicet emitur pecunia alterius generis, & quia emitur pecunia absens, at in eodem Regno pecunia est eiusdem generis, & distantia est adeo parua, quod habetur, ut præsens; accedit, & possunt fieri fraudes, nam mercatores illius Regni, cum illis expeditur uidebitur, poterunt eò deferre maximam copiam pecuniarum, & pretium ad libitum augere, & minuere. Verum fraudes possunt fieri etiam in alijs, & modo loquimur de natura rei, scilicet fraudibus, & dicimus, quod ista causa, & etiam alia, quæ alia iustificat cambia, hæc licita reddunt, nam licet in eodem Regno sit eadem pecunia ratione formæ, est tamen diuersitas in materia, proximitas etiam loci non tollit, sed minuit pretium, quod in istis etiam augetur, & minuitur ratione copiarum, & penuriarum pecuniarum, & accipientium, & dantium, ex quibus omnibus simul, pretium tantum crescere potest, ut campsores lucrentur sicut, & cambijs ad loca distantia alterius Regni; quod ex cambijs ad minutum apparet, etiam in locis in quibus non sunt nundinae, ut Romæ ubi pretium auri propter illius penuriam sæpe notabiliter crescit, & ego sæpe habui à campforibus 4. & 5. baiochos pro scuto, quando scutum dedi pro argentea moneta. at si cambia ad proxima loca fierent pro simili moneta, haberetur ratio solum distantia, quæ non est tanta, ut ita possit eorum augere pretium; ex quo sequitur, quod cambia Bisuntina quorum nundinae modo sunt in Italia, quandoque in una ciuitate, quandoque in alia, & modo sunt Placentia, sed nihilominus retinet nomen bisuntinum à loco, unde translatae sunt istae nundinae, ex parte sunt licita, & ex parte illicita. Cambia enim, quæ fiunt V.g. Florentia pro Bisuntio, id est Placentia iustificatur, quia eis emuntur scuta aurea, non quæcumque, sed quinque formarum, iuxta conuentionem, quia si illa scuta aurea ibidem ad minutum emerentur tanti fere uenderentur. at cambia, quæ ibidem è contra fiunt pro Florentia, non ita iustificatur, quia illis emuntur ducati currentes, cuiuscumque monetae, unde non uidetur, quod possit esse tanta penuria pecuniarum absolute, ut notabiliter augeatur pretium, & cum in illis non sit alia differentia nisi solum loci, & distantia sit breuis, expensæ, & pericula uia, quæ in se recipit campfor, non possunt esse tantæ æstimationis, quare cambijs pro Florentia deberent similiter emere scuta aurea. Vnum etiam est in istis cambijs, quod non intelligo, nam Florentia dantur V.g. 105. ducati pro 99. quinque formarum, & Bisuntii (id est Placentia, aut in alia ciuitate Italiae, ubi sunt nundinae bisuntinae) dantur 99. pro 108. Florentia recipiendis, in illis

in illis autem locis non est tanta penuria pecuniarum in genere, sicut est V.g. in Flandria, propter continua bella, ut diximus, sed centum placentini æquivalent centum Florentinis, & propterea in utroque cambio deberet dari minus, ut plus recipiatur, centum. s. pro centum, & uno. Bisuntij quando ibi fiebant nundinae erat forte illa penuria, ut 100. æquivalent 108. unde signum est, quod campsores in statuendo pretio, non respiciunt naturam cambiorum, quæ faciunt, & qua ratione iustificentur, sed quod tantum lucrentur, & sic modo fiunt, sicut olim fiebat pro Bisuntio, quod est illicitum, nam licet uocentur Bisuntina, modo illæ nundinae sunt Placentia, & subest alia ratio.

Secundum dubium est quare distantia temporis non iustificet cambia, sicut distantia loci, & an per accidens aliquid operetur. Respondetur esse maximam differentiam inter temporis, & loci distantiam, nam res in tempore futuro danda, non est deterioris conditionis ex hoc, quod absens à præsentem, reducenda est ad præsens, nec subiacet periculis, & expensis, sicut res in loco distante existens, ut ad præsentem reducat, nam ipsum met tempus illam reducit, nisi forte dicatur eam perditionis periculo subiaccere, quia debitor mori potest, ut pauper fieri, sed hoc periculum pro nihilo reputari, ex eo patet, quia raro accidit, & si accideret, creditores tuti sunt effecti, & etiam, quia propter huiusmodi periculum, nec in mutuis, nec in commutationibus, & uenditionibus aliquid plus exigitur; & quia breuitas, & prolixitas temporis sunt differentia temporalis distantia, consequens est, ut nec in cambijs, nec in alijs commutationibus, & uenditionibus ex quantitate temporis aliqua conditio rei commutanda, & uendenda per se accidat, ex qua uilior, aut prætiosior æstimari possit. Dixi per se, quia per accidens contingit res æqualis bonitatis, eodem, uel breui tempore assignandas, diuersa notabiliter habere pretia, non propter temporis breuitatem, & prolixitatem, sed propter incidentes euentus, ut propter illarum copiam, uel inopiam, propter paucitatem, uel multitudinem emptorum, & huiusmodi. Ex quo infert Caietanus, quod propter hos incidentes euentus, non est sufficiens signum usurarum minus dare pro multo iateriacente tempore, usque ad nundinas, & plus dare quando sunt proxima, quia licet id prima fronte uideatur fieri ratione temporis intermedij, potest tamen accidere propter inuentionem, uel non inuentionem campforum tenentium loca quasi emptorum, uel pro-

Quare distantia temporis non iustificet cambia sicut illa loci, & an aliquid operetur.

pter eorum multitudinem, aut paucitatem V. g. 100. scuta de Sole in proximis nundinis omnium Sanctorum Lugduni, solue da Florentiæ, mensibus Augusti emuntur 103. Septembris 104. Octobris 105. uel ponamus, quod 100. ducati Lugdunenses æqui ualeant 100. Florentinis, 100. Lugdunenses emuntur Florentiæ, mense Augusti 96. Septembris 97. Octobris 98. nam mensibus Augusti, & Septembris non inueniuntur emptores, & sunt multi uenditores, & propterea minuitur illorum pretium, sicut, & aliarum rerum, & ista scala non est ratione temporis, sed tempus intermediū est occasio, quod inueniantur emptores, & uenditores, ita quod multum tempus intermedium est occasio multorum uenditorum, & paucum tempus multorum emptorum, & hoc non in fraudem, ut uenditores minuant pretium, sed (ut ipsi dicunt) quia cum damno emerent, quare? quia interim illis duabus mensibus intermediis possent illam pecuniam dare ad cambium pro aliis locis, & lucrari, non enim patiuntur campsores suas pecunias in manibus propriis, nec aliorum, uel minimum quiescere. Et sic breui fors principalis duplicatur, & triplicatur, nam licet modicum, quid accipiant pro quolibet cambio, tot sunt in anno cambia, & recambia etiam de cambiorum præcedentium fructibus, ut lucrum in fine anni multum excreseat, & anno superiori reddiderunt 20. pro 100. Non reprehendo doctrinam Caietani. Sed uolo campsores docere modum quo cambiando longe magis lucrentur; in statuendo pretio pecuniæ absentis, omnes causas, quæ illud augere possunt simul coniungant, uiz. scilicet expensas, & pericula, quod scuta auri soluenda sint unius formæ, & supremi ponderis, & quo magis crescant expensæ uiz, singula cambia fiant pro decem scutis, ita ut in quolibet cambio considerentur decem tantum conducenda, his omnibus rationibus simul coniunctis pretium cambij centum ducatorum erit ad minus 10. aut 15. habeantque cursores, qui litteras cambij, & recambii continuo portent, & nunquam quiescant, & tanta sit distantia, quod uno die fiant cambia, & sequenti recambia, & sic quotidie, ut nullus mediet dies. nam infra septem, aut decem dies, fors principalis duplicabitur, & cum fructus etiam fructificent, centum ducati in fine mensis excedent mille ducatos, & in fine anni, in tantum excreseat, ut uix supputari possint, fundamēta omnia, sunt realia, quod enim inter cambium, & recambium sit parua, uel longa temporis distantia non uariat pretium; si suam possunt explere sitim, & uni-

co hauſtu ad se accedentes absorbere, ut quid longiori conſi- ciunt tabe? quod certe non sine maximo animi dolore dico, salua reuerentia eorum, qui moderato contenti sunt lucro, quantum autem debeat esse hoc lucrum dicam inferius. cæteri caueant ne dum egentium pecunias abſorbūt, ipsorum quo- que omnes pecuniæ, & bona omnia una die in hac uita, & in al- tera animæ ab inferno abſorbeantur.

Tertium dubium est, an liceat accipere ad cambium à seipſo pro alio, qui in loco pro quo ſūt cābia, nō habet pecuniam, nec creditum, & uidetur, quod liceat, cum sic quotidie publicè mul- ta fiant, & licita credantur, De hoc genere cambiorum Doctores non loquuntur, sed illius meminit Sotus d. lib. 6. q. x. & di- cit huiusmodi cambia esse usuraria, sed non satis probat, cuius ſententiæ me ſubſcribo. Dico igitur, quod campſor poteſt ac- comodare creditum ſuum egenti pecunia, ut ab alio pecuniam ad cambium uirtute illius crediti accipiat, sed quod illi accom- odet, cum hoc, quod nomine illius à se ipſo ad cambium acci- piat, credo esse illicitum, & uſurariū, & probo primo, quia cam- bia per litteras hac ratione iuſtificantur, quia illis emitur pecu- nia abſens, uel cum præſenti commutatur, ut diximus, unde cā- pſor dans egenti creditum abſens, quod habet, ut pro illo fiant cambia, ei mutuatur pecuniam abſentem, quæ cambiis, & recam- biis ematur, ut autem illam ei mutuatur, ipſe uult pro eo cambiū facere, & illam à se illius nomine emere, ut sic lucretur, & non uult aliter illam ei mutuare, quod est uſura, quia nō mutuatur gra- tis, & uult uel mutuatur cambia facere, & lucrari, ut patet ex c. Na- uiganti ext. de uſuris, & ex definitione uſuræ, & his, quæ dixi- mus de uſura. Secundo, ſi hoc licet campſori, multo magis ſimile licebit Mercatori pannorum, nam petēti ab eo mutuatum, pote- rit dicere non esse ſibi cōmodum ei mutuare, sed quod ei uen- det petiam panni, & illam ab eo ſtatim emet numerata pecunia, quo conſentiente ei uendit petiam panni pretio rigoroſo ad tē- pus trium menſium, & illam ſtatim ab eo emit numerata pecu- nia pretio pio. in termino trium menſium cum non habeat pecu- niam, quam reſtituat, idem Mercator iterum uendit illi pe- tiam panni pretio rigoroſo ad tempus trium menſium, & illam ſtatim ab eo emit pretio pio, & accipit pro extinctione prioris debiti, sed accenditur nouum, quod ſimiliter in fine trium men- ſium noua emptione, & uenditione extinguitur, & fit aliud. Si mercator ſic contraheret, omnes contra eum exclamarent, &

An liceat accipere ad cābiū à se ipſo pro alio.

Cōtra ſū- mam au- ditiatē lu- crandi cā- pſorum.

dicerent esse illicitum, & in fraudem usurarum. & tamen hoc ei magis licet, quam campfiori, quia mercator non mutuatur, sed solum uendit, & emit, sed quia statim emit pretio pio, quod uendidit pretio rigoroso, præsumitur uirtuale mutuum, & usura palliata, & nihilominus cessare possunt omnes fraudes; at campfior mutuatur egenti, pecuniam absentem, & uult illam ab eo emere, & pro ea cambia facere, ubi mutuum non est præsumptum, sed expræsum, & consequenter usura non est palliata, sed manifesta. Dicent campfior accipit ad cambium à seipso nomine illius; sed accipiendo à se ipso illius nomine, ei quidem commodum facit, & ipse multum etiam lucratur, & propter hoc lucrū ei mutuatur pecuniam absentem. Dicent saltem hoc poterit, quando accipit pro uno, & dat pro alio, quia est merus utriusque minister, & sic proprie non accipit pro Paulo à se ipso, sed à Petro cuius pecuniam cambit. Sed nec etiam sunt licita hoc modo, quia licet campfior mutuatur Paulo pecuniam absentem Petri, quā ipse cambit, Campfior tamen minister Petri non uult illam ei mutuare nisi sit etiam minister Pauli accipiendo pro eo ad cambium; & Petrus uult, quod campfior pecuniā, quam ei dedit, cambiat, & non mutuatur gratis, pro cambijs inter alias personas sine ullo suo lucro faciendis. Dicent qua ratione alius potest pro eo facere illa cambia eadem poterit etiam ille qui dedit ei suū creditum cum non sit deterioris conditionis. Respondetur esse diuersam rationem, quia alius non ei mutuatur pecuniam absentem ut pro eo faciat cambia, at iste illam ei mutuatur, & ut mutui uult hoc lucrū. mutuare alicui cum pacto, ut ad suum accedat mōlendum iusto pretio dato, secundum omnes est usura, & non erit usura Campfiori mutuare egenti pecuniam absentem cum pacto, quod illam ab eo cambiando emat? Scio aliquos religiosos, & doctos absoluerunt, & dicere hoc non solum campfioribus licere, sed esse etiam opus charitatis, ut sic egentibus subueniant, rationes tamen in contrarium non soluent, quæ me magis mouent, quam eorum auctoritas. hortor ergo Campfiores, ut in dicto casu egentibus suum creditum accomodent, ut ab alijs campfioribus pro illis cambia fiant, quod non est, nisi solum nomen præbere, cum sint securi; si enim non essent securi, ipsi cambia pro illis non facerent, si autem non solum nolunt pecuniam effectualiter exbursatam eis mutuare, sed nec etiam solo nomine mutuare, sine ulla unquam futura exbursatione, nisi ad effectum, quod pro eis ipsi met cambia efficiant, & lucrentur,

non

non uideo hanc charitatem, nec intelligo quomodo non committant usuram.

Cum hæc imprimerentur quidam mihi dixit Pium V. per suum Breue ad campfiores Bononienses approbasse hoc genus cambij, nam campfiores Bononienses miserunt ad Summū Pontificem quædam capitula continentia modos cambiendi ab eis usitatos, inter quæ est istud genus cambij his formaliter uerbis. *Et possa ogni persona ancora dare à cambio, & fare, che siano recapitate le lettere sopra di essi datori, & così tenerli su li cambijs sino che saranno rimborsati da chi harà preso il denaro.* Et quod Pius V. approbavit omnia, & singula illa capitula. Non uidi Breue, si hoc cambium approbatur, campfiores tuta conscientia tanta auctoritate illud exercent. & ego non contradico, sed cum determinationem, & approbationem non uiderim, interim rationibus animum meum mouentibus ago; paratus subdere, & captiuare intellectum meum Pontificis determinationi, non solum cum uniuersam Ecclesiam docet suis uniuersalibus Bullis, & determinationibus, sed etiam cum particularibus tranquillitate eorum conscientiarum respondet; licet maxima differentia sit inter utrumque modum, nam cum particulariter respondet, possunt per subreptionem aliqua ab eo obtineri non ei narrata re sicuti est, & ita decipi potest, quod non contingit cum uniuersam docet Ecclesiam. Nunc ille idem rediit ad me, & attulit non copiam illius capituli, ut prius, sed ipsum Breue Bononiæ impressum, quod legi, & dico per illud non confirmari hoc cambium, nam ibi ponuntur omnia illorum capitula, & ferè omnia sunt de iurisdictione consulum, de Mercatorum, & illorum, qui dant eis suas pecunias ad cambiendum priuilegijs, de executione facienda contra non soluentes, & alia huiusmodi, quæ sine Principis confirmatione sunt nulla; & credo capitulum illud fraudulenter fuisse ab eis positum, ut cum cætera confirmantur, illud genus cambij à Theologis damnatum, censetur approbatum; Pontifex autem confirmat illa omnia capitula ad effectum conferendi priuilegia, & iurisdictionem in foro exteriori, & non ut aliquam dirimat controuersiam de subsistentia, & realitate cambij, quod ab illis exercetur, ut patet legenti, & confirmatur etiam ex illis uerbis, *Præinserta capitula, ac prout illa concernunt omnia, & singula in instrumento, seu instrumentis, &c. contenta, & inde secuta quæcumq; licita tamen, & honesta, &c.* nihil igitur approbat, quoad realitatem cambij, & ita approbatio non cadit super illud capi-

pitulum, quod est de huius cambii realitate, sed illud relinquit in sua natura; si licitum est potest exerceri, sin minus non potest, & Breue non concedit quod possit nisi quatenus est licitum, an autem sit licitum non determinat; quare in eadem quam tenui persisto sententiâ, & dico istud cambium esse usurarium.

Quartum
dubium.

Quartum dubium est, an in cambiis realibus de quibus in precedenti capitulo, seruentur conditiones bullæ Pij V. nam uidetur, quod litteræ cambij inanes remittantur, cum recambio, quia nulla fit exbursatio in locis pro quibus datæ fuerunt. Respondetur illas nihilominus seruari, quia in istis cambiis apud Mercatores reales solutiones fiunt sola scriptura, sicut etiâ sepe fiunt extra cambia, & secundæ litteræ sunt secundi cambij nam primum suam habuit perfectionem. Dubitatur etiam de illis, qui dant pecuniam campforibus ad cambiendum, an committant usuram, nam cum non intelligant naturam cambii, ita loquuntur ac si illam deposuissent, & accipiant fructus depositi uel mutui. Respondetur, quod si illorum intentio est dare suâ pecuniam campfori, ut pro ipsis illa licite lucrentur, sicut lucratur propria, sufficit, uerba enim debent inferuire intentioni, & non intentio uerbis. Dubitatur an campfores possint accipere ad cambium, ut postea dent, quando sperant pretium minuentum. Respondent campfores hoc lucrum esse industriæ, concedo, sed male, & ad monopolium tendentis.

Aliud du-
bium.

Concludo hanc materiam cambiorum, & dico (surdo forte canendo fabulam, pro Dei tamen gloria, & ut campfores in excusabiles sint) cambia realia esse licita, qualia non sunt illa in quibus campfor accipit ad cambium à seipso, propter rationes dictas, sed illa in quibus ille, qui accipit, habet in loco pro quo fiunt, proprium creditum, uel sibi accomodatum, sed nō ab eo, qui pro se cambia facit. Cambia etiam realia sunt licita dummodo lucrum sit mediocre, cuius mediocritas non est attendenda solum in singulis cambiis, sed in fine anni, nam licet parum accipiatur in quolibet cambio, tot in anno fiunt cambia, & recambia, ut lucrum sit excessiuum, & breui ad mendicitatem reducantur, qui accipiunt ad cambium; nam anno superiori cambia reddiderunt 20. pro 100. considerent terram, & domus, quæ quinque, aut sex pro centum reddunt, considerent etiam alios mercatores, qui industria, continuis sudoribus, & laboribus lucrantur decem, aut duodecim pro centum, & illi à quibus lucratur habent eorum merces; campfores autem quiescendo, & omnia

Quantum
debeat ef-
se lucrum
cambiorum

com-

commoda accipiendo, sine labore lucratur, & qui cum illis tractant, his cambiis, & recambiis, in rei ueritate non habent nisi uerba, & tantillum cartæ, & præter pecuniam eis primo datam nihil realiter in eorum manibus uenit, sed tota realitas est tandem in euacuatione eorum crumenz, & in uenditione domorū & possessionum, ut cum sorte principali soluant hos cambiorū fructus, qui breui æquant imo duplicant, & triplicant sortem principalem, cum semper cambiatur fors cum fructibus precedentium cambiorum, unde illorum lucrum omnibus computatis, in fine anni non deberet excedere. 7. aut 8. pro cētum, nec etiâ percipere deberent fructus fructuū; ex quo concludo artē campforiam, ut modo exercetur, non pro transferendis pecuniis, iuxta primam suam originem, sed pro continuis emptionibus, & uenditionibus pecuniæ absentis, esse ualde periculosam, quia non fit ad subueniendum egentibus, ut uidetur, sed ad absorbendas egentium facultates, & non attenditur mediocritas lucri, sed eius immoderatus excessus subtilibus ad inuentionibus, quæ licet speculative sint ueræ, morali tamen æquitati propter excessiuum lucrum in fine anni repugnat, ut diximus in secundo dubio. Istæ etiam cambia licet communitati aliquam, commoditatem afferant, plura tamen sunt incommoda, quæ ex illis sequuntur, nam præter superius dicta, omnes ferè uolunt cambiis potius, quam mercatura lucrari, quia lucrum est maius, & sine ullo prorsus labore, & sic relinquitur mercatura qua Mercatores ita lucrantur, ut pauperes etiam sustentent. Et uere summa laude dignus est ditissimus quidam noster campfor, qui contēpto amplo cambiorum lucro, relicta arte campforia suas omnes pecunias mercaturæ paniorum, lanæ, & setæ, exposuit, hac de causa motus, ut det multis pauperibus occasionem panem lucrandi, & sicut uoces eorum, qui cambiis, & recambiis expoliantur, & ad mendicitatem reducuntur uindictam apud Deum clamant, ita contra feruentēs pauperū orationes, cælestes thesauros illi impe-
trabant.

Cambia
partim u-
tilia par-
tim dam-
nosa.

SECUNDAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER SEXTVS.

De Simonia, & Restitutione.

De Simonia.

*Simonia unde dicatur, & quid sit; quod duplex sit spirituale,
& quod vendere spirituale naturale, quales
sunt scientia, non sit simonia.*

Cap. Primum.

Quare di-
catur si-
monia.



SIMONIAE vitium non ideo dictū est a Si-
mone Mago, quasi ab illo initiū sūperit, nā
ante illum, & in ueteri testamento, ut Ba-
laam, & Giezi, & in nouo, ut Judas hoc ui-
tium notantur, sed quia in illo fuit perfectis-
sima huius uitii ratio, in ceteris autem
aliis est potius uirtualiter, nam hoc uitium
consistit in emptione, & uenditione gratiæ

Spiritus Sancti, quæ cum sit gratia, & donum gratis datum,
uendi non potest; alioquin si esset uendibilis, non esset gratia:
& non solum ipsa gratia, sed nec etiam eius effectus, & quæ
ad ipsam ordinem habent, uendi possunt, quia esset uendere,
uel emere ipsam gratiam. Alii omnes non uendiderunt, nec
emerunt ipsam gratiam, nec emere tentarunt, sed effectus gra-
tiæ, & ei annexa quatenus sunt temporale commodum, nam
Balaam uoluit uendere donum arcendi hostes per maleditio-
nem, Giezi donum sanitatis, quæ sunt gratiæ gratis datæ, Ju-
das uendit quidem Christum auctorem gratiæ, non tamen
ut donum, sed ut morte puniendum, alii emunt, & uendunt,
quæ relationem habent ad gratiam, uel tanquam illius causa,
ut sacramenta, uel tanquam illius effectus, uel illi annexa.

At

At Simon uoluit emere ipsammet gratiam Spiritus Sancti, san-
ctificantem, imo & ipsam personam Spiritus Sancti, ut uende-
ret, propterea Ecclesia, ut significaret, quam execrandum es-
set hoc uitium, quia uendere spiritualia, & spiritualibus anne-
xa, est uendere gratiam Spiritus Sancti, a Simone Mago deno-
minari uoluit, & simoniam appellauit.

Est autem Simonia studiosa uoluntas (ideest libera, & ex ele-
ctione procedens, ad excludendos primos motus, & ad deno-
randum, quod etiam sola uoluntate committitur) emendi,
uel uendendi spirituale, uel spirituali annexum, quod spiritua-
le censetur, pro temporali pretio; & nomine emptionis, &
uenditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, qua-
les sunt etiam permutationes. transactiones, & redemptiones
uexationum, iuxta inferius dicenda, Nomine etiam pretii intel-
ligitur non solum pecunia, sed etiam quicquid pecunia æstima-
ri potest, ut sunt obsequia, laudes, adulationes, preces.

Omniū ferè difficultatum, quæ in hac materia occurrunt
solutiones, ex duobus pendent. Primum, ut intelligatur, quid
sit id, quod in spiritualibus, & annexis, uendi non potest, nam
in eis reperiuntur etiam quædam temporalia, quæ uendi pos-
sunt. Secundum, quando, & quomodo detur aliquid pro
pretio spiritualis, nam si alio titulo detur, non erit emptio,
aut uenditio, nec consequenter Simonia, quæ breuiter expli-
cabitur, & postea ad particulares casus descendemus, ut
in materia satis confusa, meliorem quem possumus ordinem
seruemus.

Quoad primum, ut quæ sit propria materia Simonia expli-
cemus, distinguendum est spirituale, & spirituali annexum;
non enim quodcumque spirituale ad simoniam pertinet. Vbi
notandum est, quod spiritus idem est, quod animalium hali-
tus, quæ aspirando, & respirando uiuunt, & inde per simili-
tudinem significat quemcumque uenti flatum, & quia uentus,
& spiritus sunt inuisibilia, translatum est nomen ad significan-
dum quæcumque inuisibilia, & corporum expertia, ut Deum,
Angelos, & Animam, & etiam accidentia spiritualia. Et
quantum ad præsens attinet, duo sunt spiritualium genera,
primum est naturalium, quæ scilicet naturaliter a nobis acqui-
ri possunt, ut sunt scientiæ, & uirtutes humanæ. Alterum est
supernaturalium, ut sunt gratia, sacramenta, & eis annexa.
Multi crediderunt omnia spiritualia, tam prioris, quam poste-
rioris generis, esse materiam Simonia, & ita uendere scientias
esse

Vnde dif-
ficultates
omnes.

Quatu-
plex sit
spirituale

An possit
uendi scien-
tiæ, & con-
silia.

esse Simoniam cum Prou. 23. dicatur, *Noli uendere Sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.* & S. Aug. in lib. de Magisterio dicat, Spiritus Sanctus est, qui interiori homines edocet scientias, etiam naturales. Vnde Glosa 11. q. 3. in cap. Non licet, inquit non licet Doctori uendere consilium sine studij labore præstitum, innuens id esse simoniam. & Host. Card. & Abb. in cap. Quia nonnulli. de Mag. dicunt committere Simoniam illos, qui docent aliquam scientiam pecunia, si habent, unde se aliunde sustentent, quam sententiam tenuerunt etiam aliqui Theologi. Sed dicimus cum Soto, & ab eo citatis, & cum Nauarr. scientias naturales posse sine Simonia, pretio doceri, & diuites etiam posse sua consilia uendere, etiam si sine studij labore illa dent. imo quo quis est doctior, & minus consulendo laborat, eo plurius uendit sua consilia, quæ etiam plurius ualent, si sint de scientia præstantiori, uel quæ in maiori pretio habeatur, ut quotidiana experientia docet, non ergo simpliciter Doctor locat suas operas, nec habetur solatio laborum, sed sua consilia uendit. Nec obstat illud Prouer. 23. ibi enim dicitur Veritatem emere, & noli sapientiam uendere, ac si dixisset, tanti est pretii, ut qui non habet illam emere debeat, & qui habet nunquam uendere, id est nunquam illa priuari, & Glos. illa cap. Non licet, contrariatur textui, ibi enim dicitur licere aduocato uendere iustum patrocinium, & iurisconsulto rectum consilium. Ad argumentum autem ex S. August. concedimus scientias naturales esse se donum Dei, & omnem ueritatem esse a Spiritu Sancto, aliter tamen, quam supernaturales, ut Sacræ Scripturæ mysteria, nam acquiritur proprio studio per generalem concursum, & si ob hanc causam non possent uendi, nihil posset uendi, quia omnia sunt dona Dei, non igitur omnia dona Dei pertinent ad materiam Simoniam, ut uendi non possint, sed illa, quæ supernaturalia sunt, & gratis à Deo dantur habentibus, ut gratis communicentur non habentibus. Matt. 10. *Gratis accipitis, gratis data.*

Sed peculiariter dubitari posset de Theologia, quia uidetur per specialem influxum supernaturaliter esse à Spiritu Sancto, nam Sacræ Scripturæ per Theologiæ principia, tanquam per donum Spiritus Sancti exponantur, & omnes concedunt Euangelii prædicationem non posse pretio uendi, sine simonia, quæ tamen nihil aliud est, quam Theologiam de suggesto docere. Ad quod respondetur Theologiam scientiam, sine si-

mo-

Sot. lib. 9.
de iust. &
iur. q. 5.
sr. 1.
Nauar. in
Man. c. 23
nu. 100.

An theologia, & prædicatione, & quæ ratio differentie.

monia posse pretio doceri, etiam si sine labore, & expensis doceatur, hæc enim sunt accidentaria, nam licet fides, & mysteriorum fidei reuelatio, sint donum Dei, scientia tamen Theologica humano sudore acquiritur. At illam concionando uendere est simonia, & ratio differentie est, quia Theologia, ut scientia, tantummodo intellectum erudit, sicut, & aliæ scientiæ, at prædicatione per se fit ad animarum salutem, & eleuanda corda in Deum, quæ pertinet ad donum prophetiæ, quod Apostolus inter alia dona Spiritus Sancti connumerat, & nemo potest prædicare nisi missus tanquam Dei minister. Concludamus igitur, quod spirituale in definitione simoniæ non accipitur pro naturali munere, sed pro supernaturali, & ideo relicto primo genere spiritualis, secundum prosequemur.

Quod spiritualia supernaturalia quedam sint instituta à Deo, quedam ab Ecclesia, & quod simonia spiritualium ab Ecclesia sit contra ius diuinum. Quid in beneficiis sit spirituale, & quid temporale, & quod eorum uenditio sit simonia contra ius diuinum.

Cap. I.

Spiritualia supernaturalia primo diuiduntur, quia quedam sunt à solo Deo immediate creata, uel instituta, quedam sunt instituta ab Ecclesia. A Deo creata, uel instituta sunt in triplici differentia. Primo, sunt essentialiter spiritualia, ut gratia, & uirtutes, sub quibus intelliguntur alia spiritualia dona, ut sunt dona Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datæ. Secundo, sunt spiritualia causaliter, quæ sunt sacramenta, quæ licet sint materialia, sunt tamen à Deo instituta, ut sint causa gratiæ spiritualis, & consequenter uirtutum. Tertio, sunt spiritualia per causam, tanquam procedentia à spirituali dono, & disponentia ad spirituale, quales sunt actus ex spirituali gratia, & sacro officio, uel quocumque spirituali dono procedentes, ut baptizare, diuinum officium celebrare, miracula facere, & huiusmodi. Spiritualia ab Ecclesia, potestate supernaturali sibi tradita sunt illa, quæ dicuntur spiritualibus annexa, quia ab Ecclesia sunt superaddita spiritualibus diuinitus datis. Et sunt in duplici differentia,

Spirituale supernaturale quod triplex.

Spiritualibus annexa.

tia, quædam sunt spiritualia antecedenter, quia sunt ab Ecclesia ad diuinitus spiritualia ordinata, & non præsupponunt aliud spirituale, quam Christianismum, qualia sunt ius patronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad beneficia, uasa sacra, uestes sacræ, sacramentalia, consecratio, & benedictio Ecclesiæ, altaris, cæmeterii, ius sepulturæ; quædam sunt dependenter, seu consequenter, quia ultra Christianismum requirunt aliquid spirituale, qualia sunt beneficia, decimæ, & officia Ecclesiastica, quæ non competunt nisi clericis.

An omnis
simonia sit
prohibita
iure diuino.

Prima sententia, quod non.

Secunda, quod sic.

Prædicta distinctio requirit, ut antequam ad casus simoniacos descendamus, hic quæstionē illam examinemus an omnis simonia sit prohibita iure diuino, & naturali, uel aliqua sit prohibita iure diuino, aliqua iure Ecclesiastico, ut prima sit prohibita, quia mala, alia sit mala, quia prohibita. Glosa in cap. ex parte 1. de offi. deleg. prædictam distinctionem affert, & ita tenet aliquam Simoniam esse tantum iure humano prohibitam, quam etiam sequuntur multi canonistæ, & Theologi, cui uidetur fauere distinctio, quam fecimus spiritualium, quia quædam sunt ex diuina institutione, quædam ex institutione Ecclesiæ. Durandus, 4. s. d. 25. q. 5. dicit omnem simoniam esse contra ius diuinum, & nullam contra ius merè posituum, & probat duplici ratione. Prima, quia circa id, quod non est ex se malum, nisi quia prohibitur, non contingit peccare nisi peccato simplicis inobedientiæ, nam in talibus tota ratio peccati est ex transgressione prohibitionis, & non ex natura facti, ergo si uenditio simplicis beneficii non est de se simoniaca, impossibile est, quod ex prohibitione iuris sit ibi nisi sola inobedientia. Secunda, quia simonia est uenditio rei spiritualis pro temporalis, sed prohibitio iuris non mutat naturas rerum, ut de temporalis faciat spirituale, uel è conuerso, ergo ubi non est simonia ex natura rei, non potest esse ex prohibitione iuris; Subiungit tamen Durandus quod cum prædicta distinctio in iure notetur per iurisperitos, ne uideatur totaliter eam reprobare, sic exponi potest, ut id, quod non est simoniacum de se, dicatur simoniacum ex prohibitione, non quidem quo ad culpam, quia ibi non potest esse culpa simoniæ, sed ratione inobedientiæ quo ad pœnam, quia faciens contra talem prohibitionem iuris, simili pœna punitur, ac si esset uerè simoniacus, & quia simili pœna punitur, simili etiam nomine appellatur.

Sen-

Sententia Durandi, quod illa scilicet, quæ de se nõ est simonia nisi quia prohibita, non sit propriè simonia, sed sic dicatur, quia, ut simonia prohibetur, & punitur, & non hac solum ratione, sed etiam, quia ut talis, ut inquit Palud. iuris reputatione, & ordinatione habetur, ac proinde sit etiam quo ad culpam, est uerissima, sed tam ipse, quam alii, in huius explicatione, & probatione deficiunt, ut ex dictis, & dicendis patet; & tota huius rei difficultas consistit in duobus. Primo, quomodo possit dici uerè, & propriè simonia ex natura sua contra ius diuinum, & naturale, illa quæ ex sola institutione, & ordinatione Ecclesiæ dependet. 2. si illa etiam, quæ ex ordinatione Ecclesiæ, est natura sua Simonia, contra ius diuinum, quomodo potest dici alia quæ Simonia, quia ab Ecclesia prohibita, & non ex natura sua. Cum primi rationem, & secundi differentiam multi non aduertierint, allucinati sunt.

In quibus
consistit
difficultas.

Pro quorum solutione sit. Prima Conclusio, Simonia illorum spiritualium supernaturalium, quæ a Deo immediate ordinata sunt, est ex se mala, contra ius diuinum, & naturale: quod sit contra ius diuinum patet. Mat. 10. *Gratis accipistis, gratis date.* Act. 8. ex historia Simonis. Num. 22. ex historia Balaam. 4. Reg. 5. de Giezi. & in huius figuram Christus Io. 2. eiecit de templo ementes, & uendentes columbas, quod sit etiam contra ius naturale, probatur primo, quia uenduntur ea, quæ nullo terreno pretio æstimari possunt. Secundo, quia illi quibus committuntur, sunt ministri, & non domini. Tertio, quia gratis accipiuntur, ut gratis administrantur, & dentur, ex quibus sequitur, quod sit contra rationem illa uendere, aut emere.

Simonia
spiritualium
supernaturalium
est
contra ius
diuinum.

Secunda conclusio. Vendere, aut emere illa spiritualia, quæ instituta sunt ab Ecclesia, potestate sibi diuinitus tradita, est simonia contra ius diuinum, & naturale. & ratio est, quia licet sint facta spiritualia ab Ecclesia, sunt tamen facta uirtute potestatis diuinitus traditæ, & ut spiritualia sunt, non habent pretium temporale; diuino cultui sunt dicata, & gratis dantur; & illa uendere perinde est simonia, ac si à Deo immediate instituta essent, quam Ecclesia tollere nõ potest. Exemplum habemus de Matrimonio, cuius impedimenta sunt ab Ecclesia, quæ in habiles dispensat, & tamen Ecclesia Matrimonium, quod uirtute illius dispensationis contractum fuit, non potest annullare, tanquam indissolubile de iure diuino, & naturali, idem dicimus de Simonia, Ecclesia potest quidem benedi-

Simonia
spiritualium
ab Ecclesia
est
contra ius
diuinum.

cere

cere calicem, portam aliquam ordinare ad significandum cæli ingressum, & illam benedicere, & consecrare, ut sunt portæ Sanctæ Iubilei, beneficium ecclesiasticum instituere, non tamen potest facere, quod in uenditione calicis aliquid amplius accipiatur ratione benedictionis, quod ingredientes portam sanctam aliquid soluant, & quod uolentes beneficium, pretium tribuant, quia horum spiritualium ab Ecclesia institutorum uenditio, est simonia contra ius diuinum. & sequenti conclusione magis probabitur.

Simonia beneficiorum emptione est contra ius diuinum.

Tres sententia.

Duo explicanda.

In beneficiis, quid ex iure diuino, & quod ex ecclesiastico.

Tertia conclusio. Simonia, quæ committitur in emptione, & uenditione beneficiorum ecclesiasticorum, est iure diuino prohibita, Ista conclusio comprehenditur sub secunda, sed quia multi de ea magis dubitant, & indiget maiori declaratione, illam distinguere, & particularem facere uoluimus. Caietanus in tractatu de Simonia omnes de ista difficultate sententias, ad tres reducit. Prima est extrema, quod Simonia in beneficiis uniuersis, sit tantum prohibita iure positiuo, & hanc sequitur Glos. in c. 1. de Sim. Secunda sententia extrema est communiter Theologorum, quod Simonia in omnibus beneficiis Ecclesiasticis sit prohibita iure diuino. Tertia est media, quod in quibusdam beneficiis sit prohibita iure diuino, scilicet in habentibus administrationem ordinis, uel executionem clauium, in aliis uero committatur tantum iure humano, quæ sententia est Abbatis, in c. 1. de Sim. Sed tenenda est sententia Theologorum à qua non credo Abbatem discrepare, cum de reliquis specificet hospitalia, & alias administrationes temporales. Et ut rem plenius explicemus duo partim cum Caiet. uidebimus. Primo quid in his ecclesiasticis beneficiis sit ex iure diuino, & quid ex iure positiuo. 2. an id, quod est in eis ex iure positiuo, sit ex se uendibile, uel ex sola Ecclesiæ prohibitione sit, quod uendi non possit, & consequenter Simonia, quæ in beneficiis committitur, sit ex sola prohibitione Ecclesiæ.

Quoad primum in Ecclesiastico beneficio duo considerantur, clericatus ad minus, & titulus beneficii, seu præbendæ, clericatus præsupponitur, & ei annexitur beneficii, & nullus est capax alicuius ecclesiastici beneficii, nisi sit saltem clericus, clericatus autem, est quid spirituale à Deo institutum, & est omnino inuendibile, Beneficium autem duo dicit, stipendium, scilicet clericale, & certam determinationem talis, & tanti stipendij particulariter determinati, & consequenter in titulo beneficii, seu præbendæ quatuor considerari possunt. 1. ius stipendii. 2. sti-

pen-

pendium. 3. ius tali, & tanti stipendii, in tali loco, &c. 4. ipsum tale, & tantum stipendium. Ius stipendii est, quid spirituale ex iure diuino, quod sequitur ex officio clericali, ex hoc enim, quod aliquis est diuinis addictus mysteriis, ius habet, ut sustentetur à populo pro quo Deo ministrat. Ipsum autem stipendium est quidem res temporalis, sed iure diuino est debitum, iniquum enim esset, quod assistentibus Deo pro nobis, oportuna non daretur, unde tribus Leui, quia ius hoc habebat, partem inter fratres suos non accepit, & 1. Cor. 9. dicitur, *Qui altari deseruiunt, de altari participant, Quis militat suis stipendiis unquam?* At ius talis, & tanti stipendii, & quod stipendium sit tale, & tantum, prouenit ex iure positiuo, quod quidem ius positiuum in hoc, non est distinctum à iure diuino, sed est illius determinatio, sicut etiã, & in multis aliis uidemus. nam Sacerdotes iure diuino possunt audire Confessiones, sed Ecclesia dat illis subditos super quos habeant iurisdictionem; iure diuino tenemur confiteri, communicare, dies aliquos Deo dicare, ieiunare; sed Ecclesia determinat tempus quando quoties, & quomodo, cum ergo Ecclesia constituit aliquod beneficium, seu præbendam, illud ut stipendium ordinis, seu curæ, & administrationis spiritualis determinat, & assignat, uigore iuris diuini, ratione cuius, deputatis diuino cultui gratis debetur stipendium, & eis competit ius ad illud, & consequenter stipendium sic ab Ecclesia determinatum gratis dandum est clerico cuius est stipendium, & est contra ius diuinum, quod illi uendatur, nam quando illi datur beneficium, non dantur illi primo, & per se fructus, sed ius ad percipiendum illius fructus, quod est spirituale soli clerico, & gratis debitum. Verum cum determinatio, ut diximus sit ab Ecclesia, potest Ecclesia redditus beneficii Ecclesiastici augere, & diminuere, & eorum partem à titulo beneficii separare, & illos redditus etiam laicis, ut res merè temporales, & uendibiles ad tempus, uel in perpetuum cedere, imo potest etiam titulum, alicuius beneficii penitus tollere, & omnes fructus alteri pij operi tamquam temporales applicare, ut hospitali, uel in alimentum pauperum, uel in stipendium militum pugnantium contra fidei hostes. at quod illos Ecclesia relinquat sub titulo beneficii, & uendantur illi cui datur beneficium, est contra ius diuinum, quia uenderetur beneficium, quod est stipendium iure diuino gratis dandum clerico. Sicut etiam ex hoc, quod ad Ecclesiam pertinet determinare tempus, & modum, quando, & quomodo sint obseruanda Dei præcepta, quæ indeterminate

tra-

tradidit, & benedicere, & sanctificare ea quibus diuinus cultus augetur, potest determinata mutare, alios dies festos, ieiunii, confessionis, communionis, relictis prioribus, instituire, & benedicta profanare; at quod stante eius determinatione, benedictione, & consecratione, dies illi habeantur tanquam non deputati ad diuinum cultum, & executionem mandatorum Dei de ieiunio, confessione, & communionem, & quod benedicta, & consecrata, habeantur, emantur, & uendantur, tanquam non benedicta, sed ut profana, non potest facere, quia esset contra ius diuinum, licet ista determinationes fuerint ab ea, quia ita sunt ab ea, ut sint determinationis iuris diuini. Et si obijciatur, quod redditus beneficiorum sunt res temporales uendibiles, & uendi possunt, & uenduntur à beneficiatis, ergo poterunt etiam uendi à Papa illis quibus dat beneficia, cum sit dominus beneficiorum, imo, & à quocumque qui illa conferre potest. Respondetur negando consequentiam, est enim maxima differentia, nam fructus beneficii iure beneficii sunt beneficiati, qui illos uendere potest, quia sunt merè temporales, & illos uendens nihil spirituale uendit, non beneficium, nec ius ad illud, ut per se patet, sed rem suam temporalem illi datam pro sui sustentatione ex spirituali iure, quod habet. At dare illi beneficium cum pacto quod emat aliquot illius fructus, uel illos danti beneficium, uel alteri tribuat, est iniustitia, & simonia; iniustitia quidem, quia uenditur clerico, quod suum est, nam per hoc, quod confertur alicui clerico beneficium, omnes beneficii fructus sunt illius, iure spirituali ipsius beneficii, & illos percipiendo exercet ius spirituale, quod habet, & prius intelligitur habere titulum, qui dicitur gratis dari, quam illius executionem; simonia uero, quia propter hanc fructuum emptionem, uel cessionem datur ei beneficium, & illius titulus, quod consequenter non datur gratis, sed emitur, quod ut diximus est ius spirituale, quod nec etiam Papa uendere potest. Sed quo ad Papam diximus, quod potest fructus beneficiorum imminuere ex causa, & ita potest constituitur pensiones, imponere decimas, & etiam legem statuere, quod in expeditione ballarum pro sua, & curiæ iusta sustentatione soluantur redditus primi anni, uel eorum pars, & non committit simoniam, quia illos fructus ex iusta causa separat à titulo beneficii, & beneficium gratis concedit, ad quos fructus, stante dicta separatione, beneficiatus nullum ius habet ratione beneficii.

Obiectio.

Solutio.

Quod

Quod sit quedam simonia ex sola Ecclesiæ prohibitione, in officiorum uenditione, beneficiorum permutatione, & resignatione in pensionum extinctione, & quomodo tollatur, & de Papa, & Curia an possint committere simoniam. Cap. II I.

Quarta conclusio. Datur etiam aliqua simonia ex sola prohibitione Ecclesiæ, & hæc committitur in officiis Ecclesiæ, quæ licet de se non sint spiritualia, Papa tamen, cum sint de rebus Ecclesiasticis temporalibus, prohibet illa uendere, & in permutationibus beneficiorum, & etiam in extinctionibus pensionum, quæ simonia purgatur, & tollitur in manibus Papæ, & per relationem ad Papam suspenditur. Primo committitur simonia, quia prohibita in uenditione officiorum Ecclesiæ, quæ de se non sunt spiritualia, & etià à laicis possunt exerceri, ut officium Oeconomi, Vicedomini Defensoris, Aduocati, Procuratoris, Dispensatoris, quorum emptionem, & uenditionem, Urbanus, & Conc. Calcedon. prohibuerunt & simoniacæ esse dixerunt. 1. q. 3. c. Saluator. non quod sit simonia ex natura rei, sed ratione prohibitionis Ecclesiæ. 2. committitur sic simonia in beneficiorum permutationibus, nam Sacrorum permutationes, nec iure diuino, nec naturali prohibentur, in eis enim non militant illæ rationes, quæ in emptione, & uenditione, quia, scilicet spiritualia nullo terreno pretio aestimari possunt, nã spiritualia spiritualibus æquiparantur, & illud Christi Gratis acceptis, gratis date, proprie intelligitur de pretio, & non de commutatione, & mutua spiritualium administratione, undè calix potest permutari cum calice, uel ueste sacra, & si Sacerdos alterius sacerdotis audiret confessionem, cum pacto, quod ille etià audiat suam, ut inquit Sotus, non esset simonia. Ecclesiæ tamè beneficiorum permutationes, & pacta, quæ in eorum permutationibus, & renunciationibus fiunt, prohibet tanquam simoniaca, & si contra Ecclesiæ prohibitionem fiat, committitur simonia; Vnde, qui renunciat beneficium suum in fauorem alicuius, ut ille, uel alius renunciet aliud in fauorem suum, uel alterius, uel sibi, aut alteri aliud impetret ab Episcopo, uel alio collarore, uel suffragatur alicui in aliqua electione, ut alius suffragetur alteri, est simonia, quia id Ecclesiæ prohibet tanquam simonia; cuius prohibitionis rationem assignat Nau. quia in his omnibus datur, uel relinquatur ius spirituale, cum onere, ut aliquid fiat, quasi pro pretio rei spiritualis, uel causa principali eam habendi. Quare autè Ecclesiæ magis prohibeat benefi-

Simonia ex sola prohibitione Ecclesiæ committitur.

Primo in uenditione officiorum Ecclesiæ.

Secundo in beneficiorum permutationibus.

Ratio prohibitionis

K cio-

ciorum permutationes, & earum pacta, quam aliarum rerum, spiritualium permutationes, est quia ratione redditum, in eis est maius periculum simoniæ iure diuino prohibitæ.

Sed quia sæpe huiusmodi permutationes, & renunciationes, non solum magis expediunt, sed sunt etiam necessaria, Ecclesia pia mater, modum adhibuit quo fieri possint, etiam cum indemnitate beneficiatorum. Pro quo est primo notandum, quod beneficiati non possunt permutare sua beneficia sine auctoritate

Omne pactum in beneficiis est simoniacum

Quas permutationes possit Episcopi admittere.

Ab. in ca. quantatum de rer. perm.

Conuenticio simplex de beneficiariorum permutatione purgatur in manibus Episcopi.

Superioris, quia permutationem quando ab eis tractatur, præcedit pactum, & omnè pactum in beneficiis est ab Ecclesia tanquam illicitum, & simoniacum prohibitum, cap. fin. de pactis, cap. Quæsitum de rer. perm. Est secundo notandum, quod Episcopus ex officio potest beneficiariorum permutationes facere, & admittere, quando iudicauerit expedire d. c. Quæsitum. Sed nõ illas, quæ fiunt cum aliquibus pactis, & conditionibus, quia huiusmodi pacta simoniã inducunt, quæ suspenditur per relationem ad Papã, in cuius manibus purgatur, à quo solo huiusmodi permutationes, & renunciationes in alicuius fauorem admitti possunt; Sed cū omne pactum in beneficiis sit simoniacum, & simonia purgetur in manibus solius Papæ, Host. & Io. An. vt citat Ab. dixerunt; quod beneficiati nõ possunt tractare inter se de permutatione fienda, sed permutatio debet fieri ab Episcopo; dat autem Host. remediũ habenti causã permutandi, ut conferat se ad Episcopum, & narret causã permutationis, supplicando ut dignetur sibi prouidere in aliquo loco, cui etiã potest dicere, quod suũ beneficiũ cõpeteret tali personæ, & illius beneficiũ sibi; Sed ut inquit Ab. ista opinio est periculosa, quia pauci sunt, qui prius ad inuicem nõ habeant tractatũ, non tamen reddit rationem quare possint habere huiusmodi tractatũ in ordine ad Episcopum, cū sit simoniacus; quã nos reddemus distinguendo de pactis, nã quando pactum est de pura, & simplici beneficiariorum permutatione, sine alia conditione, istud pactum purgatur per relationem ad Episcopum, à quo tollitur ista simonia ex Apostolica cõcessione, quæ concessio habetur in c. unico de Rer. perm. in 6. & in Clem. unica eod. tit. per hoc, quod Papa determinat Episcopum beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, nõ posse cõferre aliis, quam ipsis permutare uolentibus, ex quo uerbo uolentibus, infert Glo. in d. Clem. quod tractatus permutationis inter partes præcedere potest, dummodo ipsa permutatio expediatur superioris officio. At alia pacta reddentia permutationem, seu resignationem conditionatã, ut de dãda pensione, de cõferendo beneficio alicui certo, ut

ne-

nepoti, & nõ alteri, ista pacta nõ purgantur nisi per relationem ad Papã, à quo solo tollitur ista simonia, & cõsequenter possunt admitti permutationes conditionatæ, & renunciationes in fauorem alicuius. Ratio autem ob quã Papa cõcessit Episcopis, quod tollat simoniã ex pacto simplicis permutationis, & nõ ex pacto permutationis conditionatæ est, quia simplices permutationes uidentur potius fieri propter cõmodum Ecclesiarum, quã beneficiariorum, & Episcopus nõ potest ita uigilare, ut omnibus per se ex officio prouideat; & permutationes etiã beneficiariorum cõtra uoluntatem ipsorum beneficiariorum, non potest ex officio facere, nisi ob maximã, & urgentem causã. At permutationes conditionatæ, & renunciationes in alicuius fauorem, fiunt potius propter priuatũ cõmodum, & propterea illas Papa sibi reseruauit, & etiã quia ex causa aliqui separandi sunt fructus à titulo beneficii, per assignationem pensionis, uel cõcedenda est facultas uedendi aliquã possessionem Ecclesie, ut quando permutatio fit in perpetuũ, & permutatur beneficiũ, quod habet multos redditus cū alio tenui, cap. Ad quæstiones de rer. perm. ut sic permutantes, & resignantes ex Apostolica benignitate seruentur indemnes, quæ solus Papa facere potest. Sed notandum est, quod licet renunciatio facta in fauorem alterius in manibus Episcopi sit simonia, non est tamen simonia si liberè fiat ea intentione, ut conferatur nepoti, uel alii nulla conditione, uel pacto expressis, nec etiam mentalis iuxta Glof. S. Ant. & Nauarr. licet Abb. & Dec. dicat committi simoniam mentalem. Imo Rota (ut citat Nauar. ex Cassi. in decis. 2. de Simo.) declarauit mandatum datum ad renunciandum beneficium in manibus Ordinarii liberè, & ad petendum ab eo post renunciationem liberam, ut prouideat illi, uel illi, non esse simoniacum, & renunciationem uirtute illius factam, & collationem ad petitionem mandatarii consecutã, esse ualidas. & tamen certum est ex illo mandato colligi intentionem renunciantis fuisse, ut cõferretur nominato per eum, sed quod id nõ fuit positum sub pacto uel conditione, nõ fuit simonia. Est tertio notandum, quod si aliquod pactum fiat, nõ exprimendum Papæ, uel si fiat cū hoc, quod exprimitur, & postea non exprimitur, est simonia, Si autem omnes cõventiones, & omnia pacta exprimitur Papæ, & Papa non admittit permutationem, uel resignationem, nõ propterea sunt simoniaci, quia sic cõuenerunt casu, quod Papa cõuentio est admittat, & approbet; quod intellige dummodo pacta sint talia, quæ possint purgari in manibus Papæ. Sed de hoc etiam uide interius c. 10. dubio 6.

Tertia pars cõclusionis est, quod Simonia, quia prohibita cõmit-

K 2 titur

Conditio nata conuentio, & resignatio purgatur in manibus solius Papæ, & quare.

Glof. 9. 2. in c. ordinationes S. Ant. 2. p. t. 1. c. 5. §. 11. Nauar. in Man. c. 23. nu. 107.

Si aliquod pactum non exprimitur Papæ non purgatur illius simonia.

De extinctione pensionum

tiur etiã in extinctione, seu redẽptione pẽsionis, sine auctoritate Papæ, de qua est inter Doctores controuersia, ista quæstio est quotidiana, & nõdũ satis explicata. Caiet. dicit nõ esse simoniã, quia ius pẽsionis est tẽporale, q̃ cõceditur etiã laicis, quia respicit solos fructus beneficii Ecclesiastici, vnde nõ obligat ad officiũ, idẽ tenet Hier. Gig. Sot. in eodẽ loco sibi cõtradicens tenet cũ Caiet. nã dicit, q̃ pẽsiones functionibus spiritualibus ad iudicatã, nõ possũt pretio redimi, secus de illis, quæ sub seculari titulo cõcedũtur; cõtradictio autẽ cõsistit in explicacione, nã prioris generis dicit esse illas, quæ datur coadiutoribus Episcoporũ, & Curatorũ, cũ non possint soli satisfacere muneri suo, & in hoc bene dicit; posterioris generis dicit esse illas, quæ datur in cõmutationibus, & simplicibus renũciationibus, quæ possũt pretio redimi; at dicit, q̃ si pensio daretur seni, & benemerito Episcopo, aut præsbitero propter exhaustos labores, si quia uires ad seruiendũ deficient, uellet renũciare suũ sacerdotium. i. beneficiũ (sic. n. sæpe illud appellat) ista pẽsio esset prioris generis, & nõ posset pretio redimi; & in hoc sibi cõtradicit, nã si pensio in renũciacione cõcessa, est quid tẽporale pretio redimibile, parũ refert, q̃ cõcedatur iuueni, aut seni, ob hãc, uel aliã causam, imo ampliori priuilegio concedenda est seni benemerito. Contraria sententia est Nau. qui etiã citat Maiorẽ, q̃ sit simonia & probat primo, quia pẽsio nõ est portio fructuũ beneficii, sed ius spirituale ad illã pẽsionẽ, seu spirituali annexũ. 2. quia istud ius est spirituale, uel spirituali annexum, non antecedenter, ut ius patronatus, sed dependenter, aut consequenter instar beneficii, & per cõsequẽs multo minus potest uẽdi, quam ius patronatus, potest addi. 3. ratio, quia habẽtes pẽsionẽ tenẽtur modo recitare paruum B. Virginis officium, & nõ recitantes nõ faciũt fructus suos, per extrau. Pij V. concedit tamen Nau. q̃ de licentia Papæ redimi potest, has Nau. rationes plus nimio dilatat auctor casuum, qui Bononiæ coram Illustrissimo Cardinale Paleotto disputati fuerunt. Quare Doctores omnes huius quæstionis decisionem tanquam ad proprium principium ad hoc reducunt, an ius pẽsionis sit spirituale, uel temporale.

Sed dicimus istud ius esse tẽporale, & nihilominus esse simoniã pẽsionẽ pretio extinguere, sine auctoritate Papæ, & sic cõuenimus, cũ secunda sententia, in cõclusionẽ, sed nõ in fundamento, & cũ prima in fundamento, sed non in cõclusionẽ. Si fundamentũ tenentiũ esse simoniam, esset uerum, quia. i. ius pẽsionis est spirituale, saltem tanquam spirituali annexum dependenter

scut

sicut beneficium, sequeretur, quod nec etiam auctoritate Papæ istud ius posset pretio extingui, & uendi, sed esset simonia iure diuino prohibita, licet pensio sit à Papa, nam ut diximus, quamuis Papa possit benedicere, & beneficium constituere, & rem sacram, seu ius spirituale facere, non tamen potest facere, quod res, ut benedicta, & sacra, uendi possit, & quod ius spirituale possit uẽdi, & pretio extingui; & ita omnes cõcedunt, q̃ licet possit diuidere, & diminuere fructus beneficii, & eorũ partẽ aliis dare, imo & titulũ, seu beneficiũ suppressere, & auferre, ut non sit amplius beneficiũ; nõ potest tamẽ beneficium uendere, nec cõcedere, q̃ uendatur, quia est, seu importat ius spirituale; si ergo ius pẽsionis est spirituale, seu spirituali annexũ dependẽter, instar beneficii, nõ poterit pretio auctoritate Papæ extingui, quia esset simonia cõtra ius diuinũ, quã ipse tollere nõ potest, ut etiã patet ex 2. & 3. conclusionẽ. & tamen omnes concedunt, quod de licentia Papæ pẽsiones possunt pretio extingui, & quotidie extingui uidemus. Quod autem istud ius pẽsionis ad fructus alicuius beneficii percipiendos, non sit spirituale, manifestum erit si consideremus, quod sit ius spirituale ad fructus temporales, seu Ecclesiasticos percipiendos, non enim omne ius percipiendi fructus Ecclesiasticos est spirituale, nec omne id, quod depẽdet ex spirituali, est spirituale, & inuendibile, nam fructus beneficii dependent ex beneficio, cuius sunt fructus, quod est spirituale, & tamen sunt quid temporale uendibile, & si beneficiatus uendit fructus sui beneficii ad uitam suam, emens durante illius uitã, habet ius illos percipiendi, quod ex illorum emptionẽ oritur, & tamen istud ius non est spirituale, quia non oritur ex spirituali iure, sed ex emptionẽ. Sed illud ius percipiendi fructus dicitur spirituale, quod est institutum ab Ecclesia, ut stipendium ministrorum Dei iure diuino debitum, quælia sunt beneficium, præbenda, decimæ, primitiæ, & huiusmodi, ut diximus; pensio autem est quidem ius percipiendi fructus Ecclesiasticos, sed Ecclesia non instituit istud ius, ut stipendium, iure diuino debitum, diuino cultui deputatis, sed Papa iuxta facultatem, quam habet, super fructibus beneficiorum, eorũ portionem separat à beneficiato soluendam, illi cui assignauerit, ut benemerito, aut propter aliam iustam causam, uigore cuius assignationis ille habet ius exigendi portionem sibi assignatam, quæ assignatio non fuit facta à Papa uigore iuris diuini, ut illius determinatio, sed remunerationis, uel pietatis causa; & propterea istud ius, licet depẽdeat ex beneficio sicut, & fructus

Nõ omne ius percipiendi fructus Ecclesiasticos est spirituale, & q̃ sit illud.

Prima sententia.
Caiet. o-
pusc. 31.
resp. x.
Hier. Gig.
de pẽf. q.
87. Sotus
lib. 9. de
iust. & iur.
q. 7. ar. 2.

Secunda
sententia.
Nauar. in
Man. c. 23
ad 13. nu.
111.

Auctoris
sententia.

non tamen depêdet à iure supernaturali, propter quod est fundatum beneficium, nec est illi annexum, sed est ab eo separatum, & factum quid temporale, laico etiam concedibile, & nō potest dici spirituale, nec antecedenter, nec consequenter; non antecedenter, quia non ordinatur ad aliquod spirituale supernaturale, sicut ius patronatus; non consequenter, quia non est uigore iuris supernaturalis, tanquam illius determinatio, & executio, sicut est beneficium, sed spirituali annectitur tanquam, quid temporale, sicut fructus beneficij; quemadmodum etiam, & de decimis dicit S. Tho. quod Papa, cum concedit laicis Ecclesiarum decimas; non intelligitur concedere ius spirituale decimarum, sed temporalem actionem circa fructus decimarum, ita & in proposito, quando concedit pensionem, non concedit ius spirituale beneficij, sed ius temporale percipiendi aliquos beneficij fructus. Verum quia pensiones sunt de fructibus beneficiorum, & illas communiter Papa concedit resignantibus sua beneficia, uel aliis, ut benemeritis Ecclesiarum, uel studii causa, ut Ecclesiarum profint; uoluit esse ad instar beneficij, & requirit clericalem tonsuram, & quod recitetur paruum B. Virginis officium, etiam si illas non concedat, ut stipendium clericale iure diuino debitum, sed ut quid tēporale, & quia illas non concedit, ut beneficium, non obligat ad Horas Canonicas, nec ad aliquid faciendum in illis Ecclesiis, & quamuis sint quid temporale, prohibuit etiā ob easdem causas illas uendere, & pretio redimere, sine eius licentia, & earum uenditionem uoluit esse simonicam, si non ex natura sua, uigore saltem prohibitionis, sicut diximus de quibusdam officiis temporalibus Ecclesiarum, quorum uenditionem, Papa simonicam esse uoluit. r. q. 3. c. Saluator. Et pensionarum extinctionem Papa facile concedit, quia sic beneficiorum onera tolluntur, & ita seruat stilus Romanæ Curia. De aliis autem pensionibus fructuum beneficiorum, aut decimarum, quas Papa facit laicis, & non propterea requirit, quod primam accipiant tonsuram, & ut aliquod officium recitent, credo non esse eandem rationem, & huiusmodi onera, ex sola partium conuentione redimi posse.

Quinta conclusio, Papa non potest committere simoniam ab eo prohibitam, sed potest illam, quæ est ex se simonia, tanquam prohibita iure diuino, & naturali, nec ob id incurreret in Ecclesiasticas pœnas, & censuras. An autem cum eo simoniace contrahentes illas incurrant est opinio, & probabilior sententia est, quod cum illis quoad pœnas ab eo inflictas, dispense-

per

per hoc, quod scienter sic contrahit. In hac conclusione non est nobis immorandum, certum enim est Papam non ligari suis legibus, & ligari legibus iuris naturalis, & diuini. Sed notandum est contra detractores, qui dicunt in Curia simoniam committi, dum pro expeditione bullarum soluntur annata beneficiorum, & pro dispensationibus sunt compositiones, nam in his Papa nullam simoniam committit, & de beneficiis quidem diximus, quod potest pro suis, & aliorum necessitatibus ex iusta, & pia causa, beneficiorum fructus à suis titulis separare, & sibi, & aliis applicare, ad tēpus, & in perpetuum prout iudicauerit expedire, & hac ratione in expeditione bullarum, uult solui fructus, uel eorum partem primi anni, non pro iure, seu titulo beneficij, sed pro sustentatione Curia. Sed quo ad dispensationes, quæ gratis fieri debent, maior uidetur difficultas. Verum in his etiam nullam committit simoniam, nam dispensationes gratis concedit, & quicquid exigit, alio iusto titulo exigit. pro quo notandum est, quod quando absolutiones, & dispensationes petuntur pro foro tantum conscientia, nihil prorsus pro illis soluitur, nec etiam pro scriptura, sed omnino gratis conceduntur, & dantur à Sacra Pœnitentiaria, & ministri Pœnitentiaria aliunde suum habent salariū, ut gratis suum ministerium ad eam pro exoneratione conscientia accedentibus exhibeant at si absolutiones, & dispensationes petuntur etiam pro foro exteriori, si ita gratis expedirentur, sicut fiunt, omnes ferè dispensari uellent, & semper infestarentur aures Papæ, & daretur materia delinquendi, & frustra fierent leges, & facile committerentur peccata; quare Papa ad comprimendam hominum malitiā, & ad retrahendum eos à petitione huiusmodi dispensationum, postquam illas uolunt etiam pro foro exteriori, & propter proprium commodum temporale, & non pro sola exoneratione conscientia per uiam Pœnitentiaria; non pro absolutionibus, & dispensationibus quas gratis concedit, sed in pœnam uult fieri pecuniariam compositionem in expeditione, etiam pro foro exteriori, & pro eorum temporali commodo faciēda, & hac rationem partim tetigit Rebus. in Prax. benef. Reg. 46. de dispens. in grad. prohib. Glosa 5. nu. 14. Et confirmatur, quia sicut sine usura potest pœna pecuniaria induci, qui mutuum accepit ad restituendum debito tempore mutuum, secundum omnes: ita etiam eadem pœna poterit cohiberi hominum malitia, & poterunt etiam contineri homines in obseruatione Ecclesiasticarum institutionum. Sed has compositiones Episcopi face-

De curia.

De cōpōsitionibus.

S. Th. 2. 2.
q. 100. ar.
4.

Quam si-
monia Pa-
pa cōmit-
tere pos-
sit.

re non possunt, sicut nec etiam annatas exigere in expeditionibus litterarum beneficiorum.

Quid intelligatur nomine pretii, de collatione facta ob consanguinitatem, ob antidora, ob metum, & de duplici diuisione simoniæ. Cap. IIII.

ANtequam ad aliam spiritualium diuisionem ueniamus, postquam uidimus simoniam esse uenditionem spiritualium, aut spiritualibus annexorum, & ex spiritualium diuisione duplicem esse simoniam, alteram ex natura sua, alteram quia ab Ecclesia, ut simonia prohibetur, & utramque exemplis ostendimus; ut meliori quo possumus ordine, ad uniuersales regulas, & particulares casus descendamus, uidentur quibus modis contingat aliquid dare pro spirituali, nam non est simonia nisi detur, ut pretium, & quid nomine pretij intelligatur. Multis igitur de causis potest aliquid dari pro spirituali. scilicet pro ministrorum sustentatione, gratis ex liberalitate, pro elemosyna, quia lex uel consuetudo ad id obligat; tanquam causa inductiua, & remota, pro redimenda uexatione, quibus modis non incurritur simonia, quia non datur, ut pretium, uel ut causa principalis spiritualis; sed tunc solum committitur, quando id, quod datur, uel fit pro spirituali, significat pretium, uel causam principalem immediatam, etiam si sit, quid paruum, & minimum, nam quod principaliter uendens intendit est pretium, & quod offertur, ut causa principalis aliquid habendi est pretium; quod autem secundo, & minus principaliter intenditur, non habet rationem pretij, nec empti, uel emendi. in quo errauit Sotus lib. 9. de iust. q. 8. ar. 1. dicens pretium non esse sumendum ex principali intentione, sed ex obiecto, nam eadem res potest dari ut pretium, ut donum, ut elemosyna, & modus dandi, & intentio distinguit. Pretij nomine non intelligitur sola pecunia, sed etiam quicquid est pecunia æstimabile, ut munus à manu, ab obsequio, & à lingua, quando obsequia, uel laudes, aut preces, quæ sunt munera linguæ, dantur, uel accipiuntur pro pretio, & causa principali, & immediata rei spiritualis, uel ei annexæ, ut si Episcopus precibus alicuius conferat beneficium, ea principali intentione, ut rogantis fauorem caperet ex quo sibi possit aliqua prouenire utilitas ratione illius collationis, uel famulo Regis beneficium conferat, ut eum apud Regem laudibus efferat, & sic pinguiorem Ecclesiam adipiscatur.

Multis de causis datur aliquid pro spirituali.

Quid nomine pretij.

tur, at si solis precibus, & laudibus moueretur, & nullum ex eis quæreret proprium commodum nisi gratiam, & amicitiam, non esset simonia, sed tunc est quando eis principaliter aliquod emolumentum temporale pretio æstimabile quærit, cuius indicium est quando collatio fit indigno.

Sed dubium est an consanguinitas, antidora, & metus, sint pretia, ut beneficiorum propter illa collatio sit simoniaca, nam qui propter aliquam ex prædictis causis confert, non uidetur gratis conferre. Et ut prius de consanguinitate loquamur, quorundam sententia fuit esse simoniam conferre beneficia ratione consanguinitatis, sed dicimus cum Soto, & Nau. non esse simoniam conferre beneficium consanguineo ratione consanguinitatis; si confertur indigno est quidem peccatum mortale, sed non simonia, si digno non est peccatum mortale, imo aliquando nec ueniale, sed est laudabile, quia consanguinitas est de genere bonorum sicut amicitia; & ratio est, quia in collatione ob consanguinitatem nihil emitur, aut ueditur, sed collatio fit gratis, & non aliquo pretio, licet non pura intentione. Idem dicendum est de collatione, quæ fit ob amicitiam. De conferente etiam beneficium ei cui est obligatus tantum ad antidora, animo se liberandi ab illa obligatione, idem cum Nau. credo esse dicendum, licet Innoc. in c. tuam de ætate, & qualitat. dicat esse simoniam, ea ratione motus, quia idem est remittere, quod dare, & remittere obligationem naturalem, quæ est ad antidora, est remittere. Sed si res bene ponderetur, obligatio ad antidora nullam inducit civilem obligationem, nec civile debitum, nisi interueniat pactum; & obligatio pecunia æstimabilis, est civilis, & hanc obligationem remittere, est idem, quod donare. Et confirmatur à simili, nam quod in temporalibus est usura, in spiritualibus est simonia, & quod excusat ab usura, excusat à simonia, sicut enim Christus dixit, *Gratis accepistis, gratis date*, ita etiam dixit. *Mutuum date nihil inde sperantes*. Sed mutuare alicui propter consanguinitatem, & propter amicitiam, non est usura, nec etiam est usura mutuare alicui propter debitum antidorale, quia. si ille ad recompenandum beneficium receptum ex naturali, & amicitie debito tenebitur ei indigenti remutuare, dummodo non deducatur in pactum, & civilis obligatio nõ requiratur, ut 2. 2. q. 78. ar. 2. inquit S. Tho. & superius suo loco diximus, nec consequenter est usura remutuare, quia sic liberabitur ab antidorali debito, quod sine civili obligatione habebat, ergo etiam eadem ratione non erit simonia ob eandem cau-

De collatione ratione consanguinitatis.

De conferente, ut libeter ad obligationem ad antidora.

sa beneficium conferre, aut etiam expectare: posset tamé hic esse usura, & simonia mentalis, si intentio principalis sit lucrum, uel Ecclesiasticum beneficium, quæ repugnat debito amicitia, secus si id minus principaliter, & secundo intendatur, ut etiam dicemus.

De collatione ob metum.

De collatione autem ob metum facta, uidentur esse an ille metus habeat respectum lucri, si sit metus mundanus relatus ad lucrum simoniam inducit, ut si Rex, uel eius aulicus comminaretur Episcopo, quod nisi conferat beneficium tali personæ, Regis gratiam amittet, & nunquam fiet Cardinalis, aut Papa, qui enim tali metu beneficium conferret, id ad Cardinalatû uenandum faceret. At si ei incuteretur metus amittendi uitam, uel temporalia bona, quæ possidet, non esset simonia, quia sic metuens nullum habet respectum lucri, & dare metus causa, non est dare pretio. quo ad peccatum autem, si beneficiû datur ob talem metum indigno, est suo genere mortale, non quidem simonia, sed iniustitiæ, & infidelitatis; nam cum sit contra ius diuinum, & naturale, mortem potius pati debet, at si datur digno non est genere suo mortale, est tamen aliqua culpa, quatenus collatio non fit debito fine.

Duplex si monia diuisio.

Cum autem non omne, quod datur pro spirituali, detur ut pretium, & inducat simoniam, hinc oritur duplex diuisio simonia, & multiplex subdiuisio. Prima est, quia quædam simonia est tantum quoad Deum, quædam tantum quoad Ecclesiam, quædam quoad Deum, & Ecclesiam. nam cum Ecclesia non iudicet de occultis, quando contractus simoniacus coloratur, & apparenter fit gratuitus, nõ potest detegere simoniacam prauitatem, & quando uidet aliquid dari pro spirituali, & indicia sunt, quod detur ut pretium, non potest nisi iudicare esse simoniam, quæ tamen quoad Deum, qui est scrutator cordium forsam non est. Secunda diuisio, Simonia est triplex, mentalis tantum, conuentionalis tantum, & realis. Simonia mentalis est simonia tantum mente concepta citra omnem conuentionem expressam, uel tacitam, siue res tradatur, siue non, & est duplex altera, quæ neque ad conuentionem, neque ad dationem peruenit, altera quæ peruenit ad dationem, citra omnem conuentionem, & ista est triplex, quædam tantum ex parte dantis, quædam tantum ex parte recipientis, quædam ex parte utriusque, quod enim bona intentione datur, potest accipi mala, & è contra. Simonia conuentionalis tantum, est simonia conuenta expressè, uel tacitè nondum ab utraque parte executâ, & est duplex, al-

tera neutra parte executâ, altera ex una tantum parte executâ. Simonia realis est simonia conuenta expressè, uel tacitè ex utraque parte completa, saltem quo ad aliquam partem promissorum utriusque partis.

Quòd spiritualia quædam sint pura, & quædam mista, & quæ ratione in aliquibus eorum dicatur temporale præeminere, & octo generales conclusiones ad dignoscendam simoniam.

Cap. V.

VT ad particulares casus descendamus, notanda est alia spiritualium diuisio, quâ hoc loco reseruauimus, nam res spirituales sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt merè spirituales, ut uirtutes, dona gratuita, gratia, sacramentales effectus, & ius spirituale uinendi ex altari, habendi decimas, & Ecclesiastica beneficia, quædam sunt compositæ ex spirituali, & corporali, ut omnia sacramenta, & sacramentalia Missæ, Consecrationes Virginum, Ecclesiastica beneficia, Ecclesiasticus cultus, & huiusmodi. In aliis uero è contra temporale præeminet, ut calices, cruces, & officia Ecclesiastica.

Sed dubium est qua ratione in aliquibus spiritualibus temporale præeminet, & in aliquibus spirituale, nam cum spiritualia temporalia excedant, uidetur, quod spirituale semper debeat præeminere. Ad quod respondetur, quod semper spirituale præeminet tanquam diuinum, unde non potest uèdi, nec ulla pecunia estimari; dicitur autem in aliquibus temporale præeminere, quia eis spirituale quodammodo annectitur, & sunt fundamentum spiritualis, & nõ prærequirunt aliquod spirituale cui annectantur, & propterea possunt ex natura sua, ut materialia tanquam priora, seclufa spiritualitate considerari, & tractari. Vnde uidemus, quod huiusmodi spiritualia non requirunt necessariò certam materiam certæ qualitatis, & consequenter rationi consonum est, ut cum crux ita possit fieri ex ligno sicut ex auro, & lapide præcioso, quod habeatur peculiaris ratio materiæ, & materia per se tractari possit, & uendi, quod non derogat diuino cultui, sed potius in eius augmentum cedit, quatenus sic homines etiam excitantur ad faciendum huiusmodi spiritualia ex præciosa materia, qui aliàs sæpe retrahere

Que ratio ne temporale præeminat.

rentur. In aliis autem dicitur spirituale præminere, nõ quod in eis sit parum temporalis, nam sunt multa beneficia, quæ habent amplissimos redditus, sed quia ex spirituali dependent, & tanquam, quid essentialiter spirituali annectuntur, & propterea illa materialia, ut spiritualibus annexa, non possunt seclusa spiritualitate considerari, & tractari, ut ablutio aquæ sub præscripta forma, non potest considerari nisi, ut materia baptismi, & actiones illæ humanæ, quæ fiunt in Missa, in consecratione Ecclesiarum, Virginum, & huiusmodi, ut tales ceremonias exercentes non possunt considerari nisi, ut quid intrinsecum Missæ, benedictionibus, & consecrationibus, quia considerantur, ut partes essentialiter, in quarum consideratione essentialiter includitur relatio ad totum; alia autem temporalia, quæ non ita intrinsicè concurrunt, possunt etiam in his per se considerari, sicut priuatio libertatis, longum iter, & huiusmodi, ut dicemus. Similiter etiam in beneficiis habentibus multos redditus, spirituale in eis est stipendium iure diuino debitum, quod essentialiter debent esse temporales fructus, & stante, quod amplissimi sint, ut stipendium pro executione iuris diuini determinati, illi, cui datur illud stipendium, fructus non possunt uendi, sed omnes gratis dari debent, quia ut eius stipendium considerantur, ipse tamen poterit postea, ut suos illos uendere, & Papa etiam cuius est limitare stipendium, potest aliquos eorum à ratione stipendij eius, & ab illa spiritualitate separare, & alteri dare; at si omnes fructus in ratione stipendij relinquit, beneficium cum omnibus suis fructibus gratis dare debet, ut diximus.

His suppositis octo generales conclusiones ponemus, quarum sex priores sunt Caietani, dubia autem, quæ circa illas occurrunt postea explicabimus, ne dum nimis exacti esse uolumus in explicandis singulis propriis locis, propter casuum similitudinem, confusionem pariamus. Prima conclusio sit nulla res spiritualis, quatenus spiritualis est, potest uendi, uel emi. Secunda. Nulla res composita ex spirituali, & corporali, sic ut illius principale sit spirituale, potest absolute uendi, uel emi, quod nõ absolute tractari, secundum suum principale tractari cõsetur. Tertia. Res quæcumque composita ex spirituali, & corporali, sic ut principale in illa sit corporale, potest absolute sine uitio simoniæ uendi, uel emi, quia secundum suum principale, quod est corporale tractari cõsetur, dummodo non pluri uendatur ratione spiritualis, uel ex positio iure uendi non prohibeatur.

Quarta, Stipendium sustentationis exercentium spiritualia licitum

aitum est uelle, & accipere, & etiam in articulo necessitatis pacisci, sed quia hoc habet speciem mali, est à positio iure prohibitum, & ob id spiritualia prius gratis exerceri debent, & postea laici Superiorum auctoritate cogi possunt, ut dent eleemosynas, & quæ ex laudabili consuetudine in Sacerdotum sustentatione, dari solent, etiam si aliunde uinere possint. ext. de Simonia, cap. Ad Apostolicam. Quinta. Locare operas suas ad exercitia spiritualia, quæ principaliter spiritualia sunt, per se non est licitum, quia spiritualia locari, & conduci intelliguntur, & locatio est quædam uenditio; per accidens tamen licitum est illas locare, propter libertatem. s. & alia temporalia illis adiuncta; & ita multi Sacerdotes locant operas suas ad officium aliquam Ecclesiam per annum, menses, uel toties in hebdomada; quamuis enim non liceat Sacerdoti locare operam suam ad celebrandum Missam, licet tamen eidem locare libertatem suam contra quam toties debet se occupatum, & impeditum tenere. Et in huiusmodi annuis, mensuris, & hebdomadariis obligationibus, tot temporalia concurrunt, ut quisque facile intelligere possit, non spirituales aliquam rem, sed temporalia locari, & conduci. Sexta. Licitum est locare operas suas in illis spiritualibus exercitijs, quæ principaliter corporalia sunt, ut patet de officiis, Vicarij, Sacristæ; Prælatus tamen non potest uices suas sub annuo censu committere, nam hoc est eis prohibitum, quia esset uendere officia spiritualia. Septima. Non est simonia dare pecuniam pro redimenda uexatione in re spirituali, c. Di-

lectus 1. eod. tit. dummodo constet de euidenti in iustitia. Octaua. Ad euitandum simoniam contra Deo, & in conscientia, sufficit, quod quis non intendat pro spiritualibus, uel eis annexis aliquid temporale recipere quasi pretium uel pro eorum commutatione.

Etiam si aliis causis aliquid temporale recipiat.

Quinta conclusio.

Sexta conclusio.

Septima conclusio.

Octaua conclusio.

De

De quibusdam dubiis, & casibus particularibus.

De differentia inter mercedem operum, & stipendium sustentationis, & quibus hoc stipendium iure debeatur, & quomodo. Cap. VI.

Primum
dubium.

Differen-
tia inter
mercedē
operū, &
stipēdium
uictus.

Circa quartam, & quintam conclusionem multa occurrunt dubia, quorum Primum est, quia non uidetur differentia inter stipendium sustentationis, & mercedem operum, nam stipendium refertur ad operas, & est propter operas, sed merces habet rationem pretii, ergo etiam stipendium. Respondetur, quod stipendium simpliciter sumptum, est merces, & pretium operum, at stipendium sustentationis, est quidem necessarium propter operas, sed non est merces, & pretium operum, sed operæ gratis exhibentur. & nihilominus stipendium sustentationis propter illas iure debetur. differentia hoc exemplo manifesta erit, sint duo artifices, quorum operæ dignæ sint magno pretio, qui sic cum Domino cōueniāt unus dicit, da mihi uictum, & omnes operas meas tibi impendam, quantumque fuerint pretii dignæ, alius dicit iuxta operū ualorem tantum mihi solues; quod primus petit non est propter operas, sed uictus causa, quod autem secundus, est pretiū operum. Sed quod gratis exhibens operas, iure possit petere uictum, & petendo non propterea non exhibeat gratis, probatur, quia soli uiuentes operantur, & qui uult alicuius operas gratis exhibendas, debet ei impendere uictum, & quæ necessaria sunt quod autem ille aliunde habeat unde uiuat, est per accidens, & non propterea priuatur iure suo petendi stipendium uictus, nā cum debeat virtute harū operum exhibendarum, alia bona quæ habet, potest ad alios usus referuare. quod autem nō propterea non exhibeat illas gratis, probatur, quia stipendium uictus respicit subsistentiam, & commoditatem subiecti, & non operum ualorem, & remunerationem; quod si diues non uult etiam hoc stipendium uictus, plus quam gratis operatur, quia remittit, quod gratis operando iure exigere potest. quod etiā iure diuino debeat diuinis ministeriis addictis, superius probauimus.

Secun-

Secundum dubium est, qui nam possint petere hoc stipendium sustentationis. Pro plena huius dubii solutione, & ut magis innotescat stipendium sustentationis pro spiritualibus exercendis, nullo modo haberé rationem pretii, sed ita esse debitū, ut etiam gratis detur; aliquot gradatim procedendo subiicemus dicta, quorum primum sit. Stipendium pro spiritualibus ministeriis non debetur laicis, quia eorum non est ministrare diuina. Secundum, Nullus laicus tenetur fieri clericus, & ad sacros Ordines promoueri, sed Ecclesia si aliquos diuinis ministerijs uult applicare, absque coactione, eis stipendia offert, Ecclesiastica. s. beneficia, illos autem quibus non dat beneficia ut ordinentur, quī uolunt ad ordines promoueri, si idoneos reperiunt, & habent unde uiuant libenter admittit, & recipit, qui tamen per hoc nullum acquirūt ius petendi ab Ecclesia aliquod beneficium, quia tam ipsi, quam etiam illi, qui tenui cōtenti beneficio ordinari uoluerunt, sponte id elegerunt, & si indigent sibi imputent. Tertium. Ecclesiastica beneficia gratis dantur, & debitum oritur ex gratuita electione, & assumptione, quam facit Ecclesia, ex eo enim, quod aliquos eligit, & deputat diuinis ministerijs, si hanc gratuitam electionem acceptare uolunt, eis prouidere debet unde uiuant; ex parte igitur assumpti est gratia, & ratio debiti, eā supposita, est ex parte solius assumētis. Quartum. Ecclesia sufficienter omnibus prouidit, & prouidet pro spiritualibus necessitatibus, deputando Episcopos, & Parochos, quibus beneficia contulit, & confert, ut sibi subditis spiritualia gratis administrent, absq; eo, quod teneantur eis aliquid dare; quod si aliquorum Episcoporum, & Curatorū redditus sunt tenues, confidens de laicorum benignitate, & charitate, quod illos, ut Patres iuuabunt, non cogit eos, ut certos redditus, pro illorum sufficienti uictu constituent, ex primitiis, & decimis, sicut facere potest, & aliquando facit. Quintum, Ecclesia ministrorum deputatione, qui ab ea sustentationis stipendia recipiunt, non potest prouidere, & satisfacere in spiritualium administratione, piis omnium desideriis, nam multi uolunt pro se particulariter Missam celebrari, Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequenter, quibus impossibile est Parochum posse satisfacere, ob quam causam Ecclesia pia Mater Ministros suos ad exhibendum necessaria spiritualia subsidia obligat, ad ea autem, quæ sunt supererogationis horrat, & ad sacros ordines etiam admittit eos, qui licet non habeant beneficia, (dummodo sint idonei) promoueri uolunt, qui ab ordinarijs

Secūda
dubium.

Ius stipen-
dii uictus
pro spiri-
tualibus,
quibus cō-
petat octo
dictis.

ap-

approbati, poterunt etiam esse in Curatorum auxilium ad satisfaciendum piis subditorum desideriis, Sextum, qui non tenentur ex officio aliis ministrare Diuina, & pro aliis celebrare, licet sint approbati, & debitam licentiam habeant, possunt id non facere, si autem sponte faciunt non uocati, nil possunt petere, & alii nihil tenentur eis dare. Si uocati faciunt, gratis debent celebrare, & diuina ministrare, sed qui uocarunt pro eorum sustentatione tenentur eis aliquid dare, non iuxta eorum necessitatē, sed iuxta laudabilem consuetudinem, & nisi dederint illi Sacerdotes poterunt eos in iudiciū coram Ordinario uocare, ut cōpellantur, cap. Ad Apostolicam ext. de Simonia etiam si non indigeant; hoc enim est per accidens, ut diximus. Septimum, Parochi licet ex officio teneantur sibi subditis ministrare diuina, & ab Ecclesia habeant beneficium possunt nihilominus accipere eleemosynas, & alia, quæ eis sponte, & liberè dantur, nihil tamen possunt petere pro spiritualium administratione, at si iuxta laudabilem consuetudinem aliquid eis debetur, ut pro exequiis, & sepultura, possunt etiam in iudicio postea petere. d. c. ad Apostolicam. Octauum. Inter stipendium sustentationis ab Ecclesia datum beneficiorum collatione, & datum à laicis, dum pro particulari actu Diuino, Sacerdotes uocant, seu à Ministris Ecclesiæ, uocantibus alios Sacerdotes in suum auxilium, est maxima differentia, nam Ecclesia deputat Ministros perpetuos, quos aliorum facit, etiam pro corporalibus necessitatibus, patres, protectores, defensores, & auxiliares, fauore, auxilio, & opibus, & propterea multis eorum dat amplissimos redditus, & honores, & stipendia ab ipsa data dicuntur beneficia, & à dignitatibus etiam Ministrorum denominantur, ut Abatia, &c. Alij autem respiciunt particulares actus, cito transeuntes, non dignitatem operis, sed labores, & tempus, & propterea dant modicum quid, & quod dant dicitur potius eleemosyna ad sustentationem. Si autem uolunt perpetuam obligationem, ut quod certis diebus pro ipsis celebrentur Diuina officia, faciunt etiam perpetua legata, ne Sacerdotes & Religiosi defraudentur debitis eleemosynis pro eorum sustentatione.

Stimēdiorum differentia.

An eleemo-

An eleemosyna consueta, & debita possit deduci in pactum, & an Moniales possint pacisci de dote, & utensilibus pro puellarum receptione.

Cap. VII.

Tertium dubium est, an hoc stipendium, seu eleemosyna possit deduci in pactum, & an Moniales possint pacisci de dote, & utensilibus pro receptione puellarum. Communis sententia est, quod eleemosyna dari solita non possit prius pacisci, sed prius esse ministranda spiritualia, & postea petenda, & nisi detur, Episcopum ad illam dandam cogere posse, & debere, & probatur per d. cap. Ad Apostolicam, & etiam, quia iura, omnia pacta in spiritualibus damnant, & puniunt; Caietanus autem dicit non esse illicitum ponere hoc stipendium sustentationis sub pacto. Et probat primo, nam ex hoc, quod stipendium istud cōcurrit, ut necessariū, sine quo non potest minister salua sui status honestate, diuina exercere officia, sequitur, quod potest poni sub pacto, non minus, quam reliquorum opportunorum ad diuina seruitia prouiso, ut calicis, sacrarum uestium, & huiusmodi; & sicut Sacerdos celebraturus ad instantiam alicuius, potest pactum facere, quod uocans eum prouideat de calice, altari, uestibus sacris, & huiusmodi, sine quibus non potest celebrare, ita potest ponere sub pacto sustentationem suam, sine qua non potest in Sacerdotis ministerio deferuire, & nulla erit simonia. Secundo, quia uelle stipendium sustentationis, non est uelle temporale pro spirituali, ergo uelle ex pacto tale stipendium, non est uendere spiritualia, quia pactum non mutat materiam actuum, eadem enim est materia donationis, & uenditionis, si uas argenteum donatur, uel uenditur, & propterea si absolute uelle stipendium sustentationis, non est uelle temporale pro spirituali, illud uelle ex pacto, non erit sic uelle, quod sit uendere, & consequenter istud pactum non erit illicitum; nam si esset illicitum, ea ratione esset illicitum, quia esset simonia, uelle, scilicet temporale pro spirituali, ergo sublata hac malis ratione, non est illicitum. Subdit autem, quod hoc pactum non possunt facere nisi pauperes; Sed si est ex se licitum, est etiam licitum diuitibus; nam hoc stipendium debetur, quia ministrantur diuina, & non quia ministrantes non habent, unde alius uiuant, & per accidens est, quod sint diuites.

Tertium dubium,

Comunis sententia.

Caiet. sententia 2. 2 q. 100. ar. 3.

L Ar

Quod ista
pacta non
sint ex na-
tura sua
mala, sed
tanquam
scandalosa
fugienda.

Argumenta Caietani probant istud pactum non esse de natura sua illicitum, est tamen prohibitum, quia habet speciem mali, nam paciscendo uidetur, quod principalis intentio sit temporale, & quod sit quædam contractatio ad modum emptionis, & uenditionis, & clerici debent carere omni etiam suspitione simoniæ. Si autem benè ponderetur d. c. Ad Apostolicam, inuenimus non esse ita uniuersaliter prohibitum pactum de soluendo prius stipendium sustentationis, quin liceat in aliquo casu. nam loquitur de clericis, qui pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus pecuniam exigebant, & nisi daretur, impedimenta ficticia fraudulentè opponebant, & prohibet has prauas exactiones fieri, & statuit, quod Ecclesiastica Sacramenta liberè conferantur, & postea petant, quod eis ex laudabili consuetudine debetur. Vbi non prohibet, quod dari consueta, prius recipiantur, sed ne prius exigantur, & uidetur principaliter loqui de illis clericis, quibus ex officio incumbit Sacramenta, & alia diuina ministrare. Vnde initendo rationi, æquitati, & intentioni canonum, dico, huiusmodi pacta esse fugienda, & punienda, cum habeant speciem mali, & sint scandalosa, & prohibita, licet de rigore non sint mala, ut probant rationes Caietani, potest tamen dari aliquis casus in quo cesset species mali, & scandalum, & licetè prius peti possit consueta elemosyna. Et propterea distinguendum est de Sacerdotibus, nam aut tenentur ex officio ministrare illa spiritualia, quæ ab eis petuntur, aut non, si tenentur, non possunt prius pro illis aliquod pactum facere, sed debent liberè petentibus ministrare diuina, & si illi cum possint, nolunt postea dare id, quod ex laudabili consuetudine debent, Episcopus illos coget, at si paupertas illos impotentes reddit, excusantur, & Parochi non debent ob id eis denegare diuina. Si autem non tenentur, nihil etiam prius debent exigere, sed uocati, celebrent ad processiones, & mortuorum exequias accedant, & postea consuetam elemosynam petant, at si illi à quibus uocantur, sunt pauperes, uel litigiosi, ita quod ab eis non sperant aliquid se postea habere posse, uel quia sunt pauperes, uel quia in iudicium illos uocare debent, quod nolunt facere, si illis dixerint, quod prius uolunt consuetam elemosynam, sin minus alios uocent, non puto eos esse condemnandos, aut agere contra d. c. Ad Apostolicam, quia non faciunt prauas exactiones, aut extorsiones.

Et hac ratione excusandæ sunt Moniales, quæ nolunt recipere

Ex causa
cessante
scandalo
potest pri-
us exigi.

re puellas, nisi prius, uel in earum ingressu, dent Monasterio certam elemosynam pro earum uictu, & secum mobilia portent, quæ earum usui necessaria sunt. Pro quo est primo notandum, esse simoniam aliquid dare, uel recipere pro ingressu Religionis, ca. Quam pio 1. q. 2. cap. de regularibus, & cap. quoniam de Simon. & ratio est, quia Religio est status spiritualis, ex Diuina institutione, nam est status seruientium Deo, in perpetua Castitate, Paupertate, & obedientia, Votis Deo promissis, ut sic melius contemplationi uacent, & Christum imitentur, quibus consequenter iure diuino, & naturali, debentur necessaria uictus, ita tamen, quod eorum uoto paupertatis non repugnet, hæc autem necessaria ex elemosynis habere debent, non tamè repugnat eorum statui, quod eis fiant, & ipsi recipiant rã largas, & amplas elemosynas, ut perpetuos redditus sibi constituent, dummodo sint Monasterii in communi, & non alicuius in particulari, non enim eis ratione uoti prohibetur habere in communi, sed in particulari, ut proprium. imo uoto paupertatis professi, non amittunt iura hæreditaria, sed cum sint in capaces proprii, pro eis succedit Monasterium. Est secundo notandum quod status Religionis est aliquo modo similis statui clericali quoad admissionem, & ius sustentationis, nã Ecclesia libèter omnes idoneos, & quos utiles fore sperat, qui clerici esse uolunt, ad Ordines promoueret, sed quia illis providere debet necessaria uictus, iuxta possibilitatem suam acceptat, & promouet, nec ob id alios idoneos, & utiles excludit, ex eo, quod non habet beneficia, quæ eis conferat; sed dicit, quod habeant unde uiuant, & si se habere ostendunt illos ordinat. ita etiam Religio omnes eam ingredi uolentibus, si idonei fuerint libenter amplectitur, tamen non nisi iuxta possibilitatem suam admittit, aliis autem dicit, ut portent unde uiuant. & qui hac ratione dant aliquid Monasterio in eorum ingressu, nihil dant pro ingressu, sed pro uictu. Sed quia hoc habet speciem mali, nam cum sit pactum, quod non aliter recipiantur, nisi dent certam summam Monasterio, uidetur dari, & recipi pro ingressu, & quia facile auaritia induceret, ut etiam hac ratione aliquid petatur, ideo canones hoc prohibent tanquam simoniacum, etiã si pre-textu paupertatis aliquid exigent. quæ quidè canonum prohibitio, est uera prohibitio quoad recipientes, & dantes pro ingressu religionis, etiam si recipiatur sub pre-textu paupertatis, quia est simonia, quo ad alios uero, qui nõ pro ingressu, sed pro ingredientium uictu aliquid exigunt, inducit solam præsum-

De monia-
libus.

Aliquid
dare pro
ingressu
est simo-
nia.

Dare pro
uictu non
est simo-
nia.

ptionem iuris contra illos. & hoc patet ponderando uerba, d. cap. Quoniam, quæ sunt ista. *Quoniam simoniaca labes, adeo ple- rasque moniales infecit, ut uix aliquas sine precio recipiant in sorores, paupertatis prætextu, &c.* ubi precio recipere, & paupertatis prætextu palliare, significant, quod pro ipsa receptione precium exigebant. quod autem pro uictu possint potius aliquid exigere, quam pulsantibus ianuam claudere, ratio, & pietas docet, & est communis sententia.

Differētia
inter Reli-
giosos, &
Religio-
sas.

Est autem maxima differentia inter Religiosos, & Religio-
sas, nam Religiosi cum possint de loco ad locum transire, & non
retineantur clausi, & in Episcoporum, & Curatorum auxilium,
populo seruiant, Verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum
administratione, non præmuntur tanta necessitate, quanta Mo-
niales, quæ semper in clausura retinentur, & sunt minus aptæ ad
sibi in necessitatibus prouidendum, nec eis ita abundant elec-
mosynæ, imo etiam, ut plurimū à propriis parētibus deserūtur,
qui earū quidem protectionē sumunt, non ut in necessitatibus
adiuuēt, sed ut seditionem, & cōfusionē in Monasteriis excitēt,
si ut insolentes corriguntur, & puniuntur; ob quā causam Reli-
giosi non ita facile pro ingrediētium uictu aliquid exigere de-
bent, & in illis præsumptio simoniacæ prauitatis esset uehemen-
tior, & ita uidemus eos nihil prorsus exigere. At Monialibus
ob dictas rationes hoc magis licet, imo etiam possunt taxare,
& exigere totum id, quod pro ingredientium uictu est necessa-
rium, iuxta facultates Monasterii, & quia earum paupertas est
continua, quo ad illas potest laudabili consuetudine introdu-
ci, sicut introductum est, quod omnes illæ, quæ in sorores re-
cipi uolunt, pro earum uictu taxatam eleemosynam afferant.
Sed apud Doctores dubium est quando Monasterium est locu-
ples, ut possit alere illas quas recipit, an sit simonia aliquid exi-
gere, & Doctores uidētur dicere, quod sit simonia, sed dicimus cū
Soto opulentiā Monasterii nihil prorsus facere, ut quæ in paupe-
re nō erat simonia, sit in diuite, nam simonia sortitur speciem
ex obiecto, quia scilicet, uenditur spirituale, puta ipsa profes-
sio, & locus in Religione, si autem hoc cauetur, & pecunia
non detur, nec recipiatur nisi pro uictu, etiam si Monasterium,
illo subsidio nullatenus egeat, poterit quidem esse peccatum
auaritiæ, non tamen simoniæ. Et confirmatur, quia ex lauda-
bili consuetudine, aliqua Episcopis, & Parochis debentur pro
eorum sustentatione, dum aliqua spiritualia ad eorum officiū
spectantia exercent, ut Episcopis uisitantibus procuratio; id est

necef.

necessariorum sumptuum exhibitio. Et Parochis pro funera-
libus iuxta diueritas diuersorum locorum consuetudines, Sa-
cerdotibus etiam pro aliis celebrantibus, ad Processiones, &
funera accedentibus, debetur secundum laudabilem consue-
tudinē aliqua eleemosyna, & illi ad quos spectat, dare tenen-
tur, & si recusant cogi possunt d. cap. Ad Apostolicam de Sim.
Et Episcopi, Parochi, & alij Sacerdotes possunt dictas consue-
tas eleemosynas recipere, & contra nolentes dare, in iudicio
petere, etiam si sint diuites, nam hoc est per accidens, & iusto
titulo sunt introductæ, scilicet sustentationis; quod aliis est li-
citur, quare non erit etiam licitum Monialibus? Dico igitur
attendendam esse consuetudinem Monasterii, si consuetudo est
quod tunc petant quando egent, & non petant quando non
egent, cum non egent nihil possunt petere. Si autem consue-
tudo est, quod omnes secum certam eleemosynam pro earum
uictu portant, illam petere, & recipere possunt, etiam si Monia-
les non egeant, quia iusto titulo petunt, & recipiunt, & per acci-
dens est, quod nō egeant, idque eo magis eis licet, quia facile possunt
ad paupertatē deuenire, cū tanquā mulieres, & clausæ, ut pluri-
mū ab illis, qui cū eis tractāt, & à propriis ministris decipiātur,
& damnificentur, si autē consuetā eleemosynā uolunt ante in-
gressum, uel in ingressu, est ad euitandas lites, & inimicitias.

At si maiore eleemosynam uellent ab ignobilibus, esset simo-
nia, similiter etiam si Moniales ex eo, quod diuites sunt, uellent am-
pliores dotes, quam ratio uictus exigat, esset simonia, quia hoc
respicit ingressum, & habere locū inter illas. Si autē aliquis, uel
aliqua, facit largas eleemosynas alicui Monasterio, ut facilius
recipiatur, si illas facit, quia aliās tāquam ignobilis non recipe-
retur, & uellet potius esse inter illas, uel illos, quia sunt omnes
nobiles uidetur simoniacū, quia uidetur dare pro pretio ingres-
sus; at si facit ex deuotione, quam habet ad illud Monasteriū si-
ne pacto, & recta intentione, ut facilius recipiatur, secundum S.
Tho. non est malum, sicut nec è conuerso malum est aliquem
prouocare ad deuotionem Monasterij, per temporalia benefi-
cia, ut ex hoc inclinetur ad ingressum Monasterij.

De societatibus laicorū statutū habētibus, quod qui ingredi vo-
lunt promittāt aliquid annuatim soluere, & qui nō soluunt de
societate cassentur; dico cum Sylu. non esse simoniam, quia illa
fraternitas non est religio, sed congregatio ad aliquod bonum
opus eleemosynis faciendum, & ad tractandum conueniunt
de salute animæ, quod est bonum, & laudabile.

De socie-
tatibus la-
icorum.
Syl. v. vsu-
ra q. 15. d. 1
c. 7.

An in spiritualibus actionibus liceat uendere laborem, & locare operas. Cap. VIII.

Cate. 2.2.
q. 100. 21.
3.

Quartum dubium est, An in spiritualibus actionibus liceat uendere laborem personalem, & locare operas suas sub pacto pretij; & ut inquit Caietanus difficultas est ex vtraque parte, nam quod liceat probatur, quia labor corporeus, & opera corporea non sunt de genere spiritualium, sed temporalium; uendere autem, & locare temporalia non est malum, & confirmatur, quia si hoc est illicitum ex genere suo, non erit licitum in aliquo spirituali, & in alio nō, sed in toto genere spiritualium hoc erit licitum, aut illicitum, at experientia constat in multis spiritualibus hoc esse licitum, nam Sacerdotes locant operas suas ad celebrandum ter in hebdomada, & laborem eundi in uillam ad celebrandum ponunt sub pretio. Quod autem non liceat probatur, quia cum omnia Ecclesiastica, quæ spiritualia dicuntur, ut Sacramentorum administratio, sacrificium Missæ, prædicatio, diuinus cultus, cōstent ex spirituali, & temporalis, si licitum est hæc uendere, aut locare ratione actionis humanæ, absolutè loquendo omnia ecclesiastica essent uenalia, ita quod sicut licitum est uendere calicem ratione materie, ita proportionaliter licitum erit uendere omnia huiusmodi spiritualia ratione actionis humanæ. Et confirmatur ex definitione Simonie in qua ponitur etiam uendere spiritualibus annexa, at constat, quod simultanea magis annexa sunt spiritualibus, quam illa ad quæ spiritualia se habent antecederet, sed actio humana in istis est simul cum spiritualibus, ergo est magis inuendibilis, quam beneficium ecclesiasticum, quod dicitur omnino inuendibile, quia spirituale ad illud antecedenter se habet.

Pro huius dubii solutione sicut superius distinximus de rebus spiritualibus mixtis, ita nunc distinguendum est de actionibus spiritualibus, nam sunt mixtæ ex spirituali, & temporalis, & in aliquibus temporale non potest considerari nisi, ut intrinsicè cum ipsi spirituali, & si quid temporale secluso spirituali adhuc consideratur, nullius est ferè momenti, in aliquibus uerò secluso temporali intrinsicè ipsi spirituali, adhuc consideratur temporale annexum notabilis estimationis, distinctum à spirituali; qua distinctione supposita, fit Prima Conclusio, Actio humana, & eius labor intrinsicè ipsi spirituali actioni, non potest uen-

di,

di, aut locari, nec cōsequenter de eo pacisci, ut de labore, & actionibus in celebrando Missam, consecrando Ecclesiam, & huiusmodi, sic enim esset uendere ipsam Missam, & celebrationem, nam sunt ipsamet actiones adiunctis uerbis sacris; accedere autem, & parum expectare si locus non est distans, nullius ferè sunt considerationis. Secunda conclusio. Si illis actionibus sacris ab aliquibus requiratur adiuncta ars temporalis non necessaria, usus illius artis in illis actibus potest pacisci, & uendi, hac ratione musici, organistæ, & alia instrumenta musica tangentes, possunt locare operas suas, & de illas pacisci. Tertia conclusio. Si illis actionibus sacris adiunguntur temporalia distincta notabilis estimationis, illorum ratione potest fieri pactum, & operum locatio, ut diximus de Sacerdotibus, locantibus operas suas ad celebrandum per mensem, uel annum, nō enim illas præcisè locant ad celebrandum, sed quatenus sic detinentur occupati, & propria priuantur libertate, ut alia eis interim occurrentia relinquere cogantur, idem de Sacerdote cui eundem est in locum ualde distantem ad celebrandum, nam potest pacisci de labore itineris. Sed dubium est de Prædicatore, quia & studendo, & prædicando ei multum laborandum est, an possit uendere istum suum laborem; & respōdetur, quod non, quia est intrinsicè ipsi prædicationi, & per se requisitus, & prædicatio est opus spirituale, & Prædicator est quasi instrumentum Spiritus sancti ad purgandum, illuminandum, perficiendumque homines, secundum gratiam adoptionis, unde nullus potest prædicare, nisi missus iuxta illud Rom. 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Et sic prædicationis functio duplici de causa uendi non potest, & quia est res spiritualis, & quia est diuina delegatio. nihil igitur per modum pretij, sed solum per modum stipendii sustentationis, & elemosynæ accipere potest. Non est autem simonia si Prædicator uult potius accedere ad illum locum, ubi scit taxatam esse maiorem elemosynā, quam alibi, sed hoc pertinet ad defectum charitatis, quo quis magis temporalium, quam spiritualium profectui intendit.

An possint uendi uasa sacra sepultura, Ecclesia, & eius patronatus. Cap. IX.

Post dubia de stipendio sustentationis, & locatione operum, mouenda sunt etiam aliquot dubia de uenditione ipsorum spiritualium, seu annexorum, licet ex dictis eorum solu-

L 4 tio

De prædicatoribus

Quintum dubium. De uasis sacra.
 tio patere possit. Circa tres priores igitur Conclusiones est Quintum dubium. An possint uendi uasa sacra, sepultura, capella, Ecclesia, & ius patronatus. Certum est, quod ista non possunt uendi quatenus spiritualia sunt; an autem possint uendi, & quomodo ratione materiæ, de uasis sacris habemus expressum in iure, & idem de aliis iudicium facere poterimus; uasa sacra in sua forma uendi possunt, sed non nisi alteri Ecclesiæ, quia non possunt conuerti in alium usum, 10. q. 2. cap. Ea. §. hoc ius, at contra possunt etiam uendi laicis, quia non sunt amplius Sacra. 12. q. 2. cap. aurum. Idem dicimus de capella, & Ecclesia, Ecclesia in sua forma perseverante non potest conuerti in profanos usus, ideo sic non potest uendi laicis, ut de illa ad libitum disponant, poterit tamen uendi ratione materiæ religiosis, qui eam uolunt non ad profanandum, sed ad celebrandum diuina. laicis autem in sua forma simpliciter uendi non potest, quia non possunt esse simpliciter domini Ecclesiæ, aut capellæ; possunt tamen habere ius patronatus alicuius Ecclesiæ, uel capellæ, & hac ratione poterit uendi materiale Ecclesiæ, seu capellæ, idest parietes, ligna, picturæ, &c. laico, ut illam restauret dotet, & sic illius habeat ius patronatus.

De sepultura.

De sepultura autem canones uidentur prohibere illam uendere, cap. Abolendæ de Sepul. & cap. Cum in Ecclesia. de Simonia. Sed S. Thom. 4. d. 25. q. 3. ar. 2. ql. 3. dicit, quod de uenditione terræ sacræ in sepulturam, est similis ratio sicut de uenditione sacrorum uasorum, quia cæmeterium consecratum potest uendi ratione terræ in necessitate Ecclesiæ, sicut calix ratione materiæ, non autem potest uendi ratione consecrationis, ut scilicet aliquis pro pecunia ibi sepeliatur. Hæc S. Th. doctrina est uerissima, & sacris canonibus consona, ut deduximus de uasis sacris, quibus autem possit uendi non dixit, nos autem ad hoc idem, quod de Ecclesia, seu capella dicimus, nam laicus licet non possit habere proprietatem domini sepulturæ, potest tamen habere illius proprietatem quoad usum, ut ibi ipse, & sui sepeliantur, & extraneus ibi eis inuitis sepeliri extra casum necessitatis non possit, & hac ratione terra sepulturæ poterit uendi laico, ut illius proprium usum habeat. Et ut sacris canonibus, qui contrarium determinare uidentur, cum Soto lib. 9. de iust. & iur. q. 7. ar. 1. respondeamus, eorumque sensum aperiamus, notandum est, quod locus necessarius sepulturæ uendi non potest, & esset simonia pro eo pretium

tium exigere, ut si clerici nollent mortuum in loco sacro sepelire, nisi aliquid daretur pro terra, & hoc prohibent canones. At si aliquis non uult sepeliri in sepulchro communi aliorum, sed uult in Ecclesia, uel cæmeterio habere locum honoratorem, & ibi pro se, & suis facere proprium sepulchrum, non est simonia si aliquid exigatur pro illo loco, & si consuetudo sit, quod uolentes proprium locum, dent certam summam pro fabrica Ecclesiæ, potest concedi cum tali pacto, licet Host. contrarium asserat, quia non uenditur, nec emitur ipsa consecratio, & pro hac sententia facit, quod secundum communem possunt uendi uasa sacra ratione materiæ, & pars Ecclesiæ laico uolenti in ea edificare capellam, & illius ius patronatus acquirere, cum quo etiam potest fieri pactum de illius constructione, seu dotatione.

Quo ad ius patronatus cum sit spirituale uendi non potest, potest tamen uendi illud temporale in quo fundatur, cum quo transit ius patronatus, & si plus uenderetur ratione huius iuris esset simonia, unde si quis uendens uillam in qua est ius patronatus, dicit uendo tibi uillam, & ius patronatus, quod in ea habeo, est simonia, & uenditio non ualet iuxta communem, quia illud ius uendi non potest, sed debet uendere simpliciter uillam, cum qua transit ius patronatus. Similiter, qui habet ius patronatus alicuius capellæ potest uendere parietes, & picturas illius capellæ, quæ sunt, quid materiale in quo fundatur illud ius patronatus, non tamen potest amplius accipere pro ipso iure.

De iure patronatus.

*De pactis, quæ in beneficijs sunt, quæ sunt simoniaca
 & quomodo suspendatur, & purgetur eorum Simonia.
 Cap. X.*

Extum dubium est. An omnia pacta in beneficiorum collatione, renunciatione, & etiam in electione, & presentatione, & huiusmodi sint simoniaca. De hoc superius locuti sumus, in capit. 3. conclus. quarta, ut ostenderemus esse aliquam simoniam ex sola prohibitione Ecclesiæ, hic autem generaliter loquemur de omnibus pactis, licet ex superius dictis omnia hic dicenda patere possint. Et ut quantum fieri potest methodicè, & scientificè proceda-

Omne pactum est simoniaci.

Pactum quod inest, eo modo quo inest, non inducit simoniam.

cedamus, dicemus quatuor, quæ erunt uelut fundamenta, ex quibus omnes casus facile decidi poterunt. Primum est collationem, impetrationem, renunciationem, permutationem, electionem, & præsentationem, liberè, sine aliquo pacto, & conuentione fieri debere, & in eis omne pactum esse tãquam simoniacum prohibitum, uel quia est contra ius diuinum, uel quia est contra prohibitionem Ecclesiæ, d. c. fin. de pactis, & c. quæsitum de rer. permut. & patet etiam ex 3. & 4. concl. cap. 2. & 3. Secundum, exprimere, quod inest, eo modo quo inest, ita ut nõ amplius, nec aliter exprimat, non inducit simoniam in spiritualibus. Ista doctrina est Abb. in c. Olim. de rest. spol. & Felini, in cap. Ad audientiam 2. quam à Feli. satis probatam præsupponimus, & ratio est, quia requirere, & conuenire de eo tantum quod debetur ex natura rei, uel de iure, eo modo quo debetur non est malum. Diximus de eo tantum, quod debetur, & eo modo quo debetur, ut prædicta regula sic declarata nullam patitur exceptionem, nam si conuentio de eo quod inest est simoniaca, est quia amplius, uel aliter quæritur, quam inest. V. g. electio sepulturæ si fiat ex pacto in loco ubi alias de iure sepeliri debebat, est simonia, non quia requiritur id, quod de iure communi debetur, sed quia requiritur amplius, quam iure debeatur, nam ius sepulturæ, quod est concessum à iure nõ est firmum, sed uariabile, casu. s. quod alibi sepulturam non elegerit, cum sepultura liberè eligi possit ubicumque, at illud pactum est, quod ibi sepeliatur, & alibi sepulturam eligere non possit. Similiter etiã deducere in pactum obligatorium obligationem ad antidora in spiritualibus est simonia, quia alio modo requiritur, quam prius in esset, nam prius erat obligatio tantum naturalis, & requiritur obligatio ciuilis, at si deduceretur in pactum eo modo quo debitor est obligatus, non esset illicitum, ut etiam ex Car. & Ana. inquit Fel. Et ut ad exempla in materia beneficiorum descendamus; duo Hispani quorum unus est Roma alter in Hispania inter se conuenerunt, ut existens in Hispania moneret de uacantibus alterum residentem in curia, & iste impetret a Papa illa, & postea diuidantur ex æquo utilitas, & impensa, per renunciationes, permutationes, uel pensionum constitutiones, ista conuentio est simoniaca, at si sic conuenirent, ut ille moneret, & iste impetraret utriq; uel utri eorum uellet, & iste pro se impetrat, & postea liberè resignat, uel consentit pensioni, non esset simonia, ut inquit Nau. in Man. c. 23. nu. 107. & ratio differentia est, quia in posteriori casu conuentio est iuxta obli-

obligationem naturalem ad antidora, quæ est, ut beneficienti beneficiamus, sine aliqua ciuili obligatione, & consequenter est solum expressio eorum, quæ tacitè insunt, & Romæ existens in sua libertate relinquatur, at in priori casu ultra obligationem naturalem, requiritur etiam obligatio ciuilis ex conuentione, & pacto particulariter obligante, quod autem non possit in iudicio conueniri, ex eo, quod præter uerba nulla extat scriptura est per accidens, nam uerba ligant homines. Episcopus beneficium conferre debet, quod obligat ad residetiam, uel cuius Ecclesia indiget restauratione, quam tenetur facere beneficiatus, & cum petente illud beneficium conuenit, quod resideat, uel Ecclesiam restauret, uel aliud beneficium incompatible, quod habet resignet, & eo promittente ei beneficium confert, nulla est simonia, quia est expressio eorum, quæ tacitè insunt, & facere tenetur, at si uellet, quod in Ecclesia faceret restaurationem non necessariam ad quam non tenetur, uel si patronus cū teneatur restaurare Ecclesiam, ut aliquem ad illud beneficium præsentet, uult quod promittat se illam restauraturum, est simonia, quia non est pura, & gratuita collatio, seu præsentatio, & pactum non est eorum, quæ tacitè insunt, & patronus præsentationem uendit, cum uelit, quod præsentandus promittat se facturum expensas quas ipse facere tenetur.

Tertium dictum sit. Pacta eorum, quæ tacitè non insunt, & consequenter sunt simoniaca, si fiant cum hac conditione, quod Papæ fideliter exprimantur, & si ei placuerint, non sunt illicita, nec inducunt simoniam etiam mentalem, dummodo sint talia quæ purgari possint in manibus Papæ, id est solo iure positio sint prohibita, ut de resignatione cum reservatione pensionis. & probatur cum Fel. in d. ca. Ad audientiam de rescrip. quia uideamus, quod in manibus Papæ quotidie fiunt renunciationes, & conceduntur reservationes pensionum ipsis renunciantibus, sciente Papa, quod ambæ partes de hoc prius tractauerunt, & expediuntur literæ, imo datur eis forma per regulas cæceterie, puta, quod non ualeat concessio pensionis nisi de consensu illius, qui beneficium habebit, unde si auctoritas Papæ non operaretur plenam securitatem super hoc, etiam in foro conscientia, nunquam tolerassent, nec tolerarent Pontifices ista, neque eis formam dedissent, & darent, quod etiam probatur ex his, quæ superius diximus in cap. 3. concl. 4. de resignatione causa permutationis in manibus Ordinarij.

Quartum dictum Simonia pactis, & conuentionibus contra-

Pacta est conditione si Papæ placuerit, si ei fideliter exprimatur nõ inducunt simoniam

Simonia
pactis con-
tracta nõ
tollitur
per clau-
sulam ge-
neralem
bullæ, sed
debent ex
primi fal-
tè tacitè.

Defendit-
tur casus
aulicorũ
quos tan-
quã simo-
niacos Na-
uarr. con-
demnat.

Et non tollitur per clausulam in bullis apponi solitam, quod obstantiæ habeantur pro expræsis, quia illa clausula non tollit inhabilitatem, nec inducit dispensationem, sed necessarium est, quod pacta, & conventiones, cum hac conditione fiant si Papæ placuerint, & quod ei exprimantur, & sufficit, quod tacitè exprimantur, nam ut inquit, & probat Rebuf. in prax. benef. tit. de disse. inter priu. resc. & mand. nu. 18. quando exprimitur id, quod tacitè intelligitur, tunc uerba nihil operantur. Ex quo sequitur melius esse declarandos quotidianos aulicorum casus, quos ponit Nau. & simoniacos esse dicit, inquit enim in Man. c. 23. nu. 107. realem simoniam committi ab eo, qui habito ab Hispania nuncio de aliquo beneficio uacanti, cõuenit cum aliquo Papæ familiari, ut impetret illud ab eo pro se, & quod ipse consentiet certæ pensioni à Papæ constituendæ, & postea familiaris illud pro eodem impetrat monitore, qui consentit prædictæ pensionis constitutioni, & expediunt litteras, nulla mentione facta Papæ de conuentione pensionis constituendæ; & etiam ab illo, qui habito nuncio de uacante beneficio in Hispania, notum facit illud alicui familiari Papæ, qui obrinet ab eo gratiam conferendi illud cuilibet hispano quem ipse nominabit, & postea nominat illum monentem, facto pacto, quod certæ pensioni annuente Papa consentiet, & ad securitatem eius, necessaria faciet & postea nominat illum, & ille consentit pensioni prædictæ, nulla de pacto prædicto facta mentione Papæ, quia est conuentio simoniaca completa ab utraq; parte, & non purgata auctoritate eius, qui de illa nihil nouit, secus si nullo pacto præcedente, nominaret eum, & ille consentiret, quia nulla conuentio illicita interueniret. Verum si in his casibus committitur simonia iuxta Nau. dicendum erit omnes familiares Papæ esse simoniacos, quod uidetur durum; & propterea aliquam hic distinctionem adhibendam puto, ut alia sit ratio familiarium Papæ, alia aliorum, nam Papa uult suis familiaribus beneficia, & pensiones conferre, & per hoc, quod in supplicatione dicitur, quod ille pro quo impetratur beneficium consentit pensioni imponendæ, & soluendæ familiari Papæ, intelligitur, quod de hoc ipsi tractauerint, & consequenter hac expræssione purgatur simonia, & multo magis in posteriori casu, in quo Papa dicit familiari suo se uelle dare beneficium uacans illi, quem nominauerit, nam ad hoc dicit, ut quærat qui cum onere soluendæ pensionis illud uelit. Et cum Papa semper requirat in imponendis pensionibus consensum illorum, qui illas soluere debebunt, quando ipse morbo

proprio

proprio illas non imponit, sed ad aliorum instantiam, necessario prærequiritur eorum de pensione conuentio, cum conditione si Papæ placuerit; & per hoc, quod exprimitur Papæ, quod qui beneficium petit consentit in pensionem, intelligitur conuentio de illa facta, non tamen intelligitur causa consensus in pensionem cum possint esse multæ. Et quoad causam imponendæ pensionis est differentia inter familiares Papæ, & etiam Illustrissimorum Cardinalium, & alios; nam familiaribus suis uult concedere pensiones, ex hoc, quod sunt eius familiares, & eis permittit, quod habita occasione, illas ab eo petant, & scit, quod quando pro aliis impetrant beneficia cum reservatione pensionis, de hoc conuenerunt, & quod beneficium accepturus ex gratitudine consentit pensioni, cum satis constet inter supplicansem pro beneficio, & familiarem Papæ nullam aliam esse particularem causam, & propterea satis illi est, quod pensio ab illo petatur pro suo familiari, & quod beneficium non nimis grauetur, absque eo, quod exprimatur, quod conuenerunt de pensione ex eo, quod familiaris pro monitore beneficium impetrat. nam hoc fuisse motiuum tacitè ex supplicatione habetur, & Papa expressè scit, & eorum conuentio non fuit simpliciter, & absolutè, sed si Papæ placuerit, & consequenter non fuit simoniaca, nec mala, dummodo non interueniant alia pacta; & idem credo esse dicendum de familiaribus Illustrissimorum Cardinalium quando Cardinales petunt à Papa beneficium pro aliquo reseruata pensione suo familiari, nam Papa de benignitate Apostolica, sic etiam uult Cardinales, & eorum familiares gratificare. De aliis autem non est eadem ratio, quia propter alios non uult ita facillè grauare beneficia, & eis dare pensiones, & cum non sint ei noti, & accepti, & de eo benemeriti, non est ei satis, quod offerant occasionem beneficii super quo possit imponi pensio, & quod ille, qui beneficium petit consentiat, sicut ei sufficit quoad suos familiares, sed requirit propriam causam, propter quam ille petit pensionem, & alter consentit impositioni pensionis, quæ si non exprimatur, erit simonia, similiter etiam si una causa expræssa, alia, quæ non intelligitur tacetur, unde si ille consentit pensioni, quia alter eum adiurat ad impetrandum beneficium, & non exprimitur ista causa, est simonia, cū ista conuentio sit simoniaca, & non purgetur per relationem ad Papam, & in manibus Papæ, quia non exprimitur, nec intelligitur, intelligitur quidè conuentio de pensione ex cõsensu, sed

sed non intelligitur, quod ob eam causam fuit conuenta, & si exprimeretur fortè ob eandem causam illam denegaret, quia uideretur ab eo peti pensio tanquam pretium impetrationis, & uendi Apostolica beneficii concessio, non sic autem est de familiaribus Papæ quo ad hac causam, nam Papa illis cõcedit, quod ei proponant beneficia super quibus possit pro eis imponi pensio, & qui illa uelint cum onere soluendę pensionis. Vnde Papa hoc eis saltem tacitè concedente non potest dici, quod uendat Apostolicam gratiam, & consentientibus illis, qui beneficium petunt, pensioni liberè, & ex gratitudine, non potest dici, quod illud emant, idq; eo magis, quia Papa habita illius beneficii notitia, si ab eodem liberè peteretur, non ei concederet nisi cum reseruatione pensionis pro aliquo suo familiari, uel si liberè cõcederet, non illi, sed alteri concederet, quare familiaris in hoc præbet materiam Papæ, in qua erga ipsum suam exequatur uoluntatem. Fateor hoc esse contra multorum sententiam, sed contrarium sentientes mihi concedent esse secundum communem praxim Curia, Papa sciente, & consentiente; non possunt etiam negare istam conuentionem esse talem, quæ purgetur in manibus Papæ, quia est de eo, quod Papa potest facere, & facit, & conuentio est conditionata si Papæ placuerit, quæ conditio facit, ut non incurratur simonia, nec etiam metalis, ut diximus. Quod autem hic scrupulum facit est, quia in supplicatione non exprimitur, quod beneficium petens idèo consentit (liberè tamen, & ex gratitudine) pensioni familiari Papæ, uel Cardinalis soluendæ, quia pro illo beneficium impetrat. Sed cum hoc tacitè de illis intelligatur, & Papa sciat, & habeat tanquam expressè purgatur (ut diximus) ista simonia in manibus Papæ, nec est conueniens, quod in litteris exprimatur eos sic cõuenisse, cum Papa habeat tanquam expressum. Caueant autem Curiales, ne alia pacta faciant, quæ saltem tacitè in supplicatione non intelligantur, ut quod detur pecunia, quod pensio imponenda a Papa extinguatur, quod beneficium in confidentia retineatur, quia esset simonia completa.

De eo, quod datur pro redimenda uexatione, & pro transfatione. Cap. XI.

Septimum dubium est an liceat aliquid dare pro redimenda uexatione, & an liceat super beneficio transigere. Ad quod cum Abbate in cap. Dilectus filius 1. de Sim. distinguen-

guendo respondemus; quod aut loquimur de temporalibus, aut de spiritualibus, si de temporalibus licitè redimitur uexatio, tam pro iure quæsito, quam pro iure quærendo, sed recipiens pecuniam tenetur ad restitutionem. Si autem loquamur de spiritualibus, pro iure quærendo, non est licitum aliquid dare, etiam si detur, ut cesset impedimentum facti, sed est simonia cap. Matthæus de Sim. quia propriè non redimitur uexatio, sed datur, ut facilius acquiratur ius spirituale. Pro iure autem quæsito, Abbas dicit esse distinguendum, nam aut est in possessione illius iuris, aut non, si est in possessione, & molestatur, uel molestatur iustè, uel iniustè; si iustè, quia Episcopus uult eum iustè deponere, uel alius iustè accusare, uel fortè præterdit ius in beneficio, non licet uexato aliquid dare, quia non redimitur uexatio facti, & dans simoniam committit, cap. Nemo eod. tit. Si autem uexatur de facto, id est iniustè, licet aliquid dare, cap. Dilectus filius. 1. eod. licet recipiens teneatur ad restitutionem; Quod si non est in possessione illius iuris iam quæsiti, & possessio illi iniustè denegatur Sylu. ex Innoc. & Glof. dicit esse simoniam aliquid dare pro acquirenda possessione, quia possessio est quid spirituale, unde non cadet in laicum, uel est saltem cõnexa cum spiritualibus propter administrationem, quæ inde sequitur, & consequenter, quod pro ea datur, datur pro spirituali, uel annexo consequendo, quod non est redimere, id est repelere uexationem, sed consequi aliquod bonum, Sed dicimus, cum Abbate, quod si per recursum ad superiorem non possit de facili haberi possessio, uel propter potentiam aduersarij, uel impotentiam ius habentis, tunc ad euitandum magnum præiudicium licet pro ea obtinenda dare pecuniam, sicut in simili casu de absoluteione ab excommunicatione iniusta obtinenda dicit Io. And. in c. Ad aures de Sim. quia datur pro habèdo, quod ei debetur, & suum est, quod est redimere uexationem, in foro tamen exteriori præsumeretur simonia, nisi uexationis iniustitia esset adeo manifesta, quod tolleret præsumptionem.

Et cum breuitati studeamus nolumus immorari in exemplis, unum tamen, aut alterum adducam; faciendus est concursus pro beneficio, & ut Petrus detinetur clausus, ne ad concursum accedat, quia cognoscitur aliis doctior; si detinèti aliquid det, ut illum ad concursum abire permittat, non committit simoniam, nam ipse, & quicumque idoneus, habet ius quæsitum concurrendi, & petendi beneficium; at si credit se esse magis idoneum, & quod attètis meritis, beneficium ei debetur, ramè dubi-

Quando liceat dare pro redimenda uexatione

Exempla.

dubitat ne ab electoribus alteri illud dare cupientibus, eligatur cum præiudicio etiam honoris sui, & propterea aliquid eis dat, simoniam committit, quia licet habeat ius petendi, non tamen habet ius, ut eligatur, sed hoc debet manere in libero arbitrio eligentium. Dubitatur an liceat dare aliquid electoribus pro redemptione uexationis Ecclesiæ, quando uellent excluso digno, eligere indignum in perniciem Ecclesiæ; Caiet. & Sor. dicunt licere ne eligant indignum, & maxime in electione Pontificis; & confirmatur, quia si licet redimere propriam uexationem, multo magis licebit redimere uexationem Ecclesiæ. Supposito, quod sit baptizandus infantulus, & nõ reperiatur aqua nisi apud quendam impium, & sacrilegum, qui nolit uendere aquam, sed ipse baptizare, & baptismum uendere, dato prius iuramento offerenti, quod non pro aqua, nec pro redimenda uexatione, sed pro pretio, & emptione baptismi pecuniam dat; cū puer sit in periculo mortis, dubium est an liceat sic pecuniam dare ne sine baptismo moriatur. Palud. & Caiet. dicunt non licere, Sotus quem sequimur dicit licere, quia sic dans redimit uexationem pueri, & ad illam redimendam, & propulsandam, pecuniam soluit, & licet cogatur iurare, quod illam dat pro pretio Sacramenti, nihilominus salua est eius intentio, iuxta quam iurat, quod illam dat ad iniuriam repellendam; & quod non sit ita intrinsece malum sic dare pro Sacramento, sicut uendere, probat exemplo usuræ, nam nunquam est licitum dare ad usuram, sed in necessitate licitum est accipere. Illud etiam hoc loco notandum, quod Palud. pro ratione sui dicti distinctionem affert ad cognoscendum quando licitum sit aliquid dare pro redimenda uexatione, inquit enim, quod uexatio potest redimi, uel ab eo, qui tantum obesse potest, sed non prodesse, uel ab eo, qui potest obesse, & prodesse, & prioris uexationis redemptio est licita, posterioris uero illicita, ut Episcopus electus potest ab illis, qui suam possessionem, & confirmationem perturbant uexationem redimere, sed non à confirmatore, & ratio diuersitatis est, quia in priori casu non uenit in suspicionem, quod uelit Episcopatum emere, cum illi non possint dare, sicut uenit in posteriori casu. Sed dicimus hoc procedere in foro exteriori ubi non rei ueritas, sicut in foro conscientiæ, sed indicia, & præsumptiones attenduntur, quæ etiam possunt esse talia, quod in eo etiam datum potenti prodesse præsumatur datum pro redimenda uexatione.

Ex his, quæ de redimenda uexatione diximus facile cognoscetur

scetur, quando committitur simonia in transactionibus. Est autem transactio de re dubia, & lite incerta, & nec dum finita, non gratuita pactio, sed aliquo dato, uel retempto, uel promisso, & non solum est de lite mota, sed etiam de mouenda, ex quo inter partes orta est discordia; & nolumus modo tractare de omni transactione, sed in ordine ad simoniam. Pro quo est notandum, quod lis super aliquo beneficio, uel Ecclesia, potest esse, uel de titulo, uel de aliqua eius spirituali iurisdictione, uel de eius possessione, seu redditibus, uel de titulo, aut particulari iurisdictione, & redditibus simul. Si lis est de re temporalis, ut de possessione, redditibus, de quantitate decimarum soluendarum, potest fieri transactio, & non erit simonia cum non tractetur de spirituali; est tamen notandum, quod si lis est inter Ecclesiam, & Ecclesiam, ut transactio sit perpetua debet fieri cum auctoritate Episcopi, cap. Constitutus de transa. si autem fiat sine auctoritate Episcopi, tenet quidem, sed est temporalis, & non excedit uitam transigentis, Si autem lis sit contra laicum Abbas in cap. statuimus de transa. concordando opiniones sic distinguit, & dicit, quod super decimis præteritis potest fieri compositio, super futuris potest fieri ad tempus auctoritate Episcopi, in perpetuum autem si ius est clarum, non potest fieri citra auctoritatem Papæ, si est dubium potest fieri compositio cum cognitione causæ; quo ad compositionem de futuris ad tempus, hoc addo, quod sine confirmatione Papæ non potest, quis præiudicare successoribus, sed cum modo agamus de simonia nolo in his immorari. Si autem lis est de aliquo iure spirituali, & de temporali simul, ut si Ecclesia petit ab alia Ecclesia sibi debere subici iniure institutionis, correctionis, & Sacramentorum perceptione, aut Episcopus petit iura Episcopalia in aliqua Ecclesia, & etiam petit annuam pensionem; non potest dari aliquod temporale, ut recedat à lite, nec potest fieri transactio in spirituali dato temporali, quia esset Simonia, sed potest fieri transactio de spirituali ad spirituale, ut quod remittatur institutio, & aliud spirituale præstetur, in temporali autem potest fieri transactio cum temporali, cap. Ad quæstiones. de rer. permut. Si lis est super Ecclesiastico beneficio adipiscendo, uel retinendo, non potest fieri transactio, non solum, ut detur temporale pro spirituali, sed nec etiam, ut detur spirituale, quia est species simoniæ, c. constitutus de transa. ubi notat Abbas, quod non dicitur absolute esse simonia, sed esse specie simoniæ, quia si habet ius

in eo, & iniuste uexatur, dando aliquid temporale, non transigit, nec simoniam committit, sed redimit uexationem. cap. Dilectus de Sim. Potest tamen in illa lite fieri amicabile, & gratuita compositio inter litigantes, ut qui cognoscit se non habere ius, gratis recedat à lite nil recepto, nec retento, quæ gratuita compositio potest fieri sine auctoritate Superioris, dummodo non sit relinquendum beneficium, tunc enim requireretur superioris auctoritas.

Est autem hoc loco notandum ex cap. Nisi, de præb. & dign. quod licet in huiusmodi lite non possit fieri transactio, potest tamen superioris auctoritate pro bono pacis dari absque uittio simoniae aliquid temporale pro spirituali, & quia hæc doctrina est ualde notanda, & difficultatem habet, quia uidetur transactio in spirituali, quæ tanquam simoniaca est à iure prohibita, ponam casum, d. cap. Nisi, & postea rem ipsam explicabo, Vacante quodam prioratu ad ipsum duo electi fuerunt, qui ut negotium posset facilius expediri, compromiserunt, in Iudices delegatos, retenta sibi iurisdictione delegata, Iudices isti pro bono pacis, & concordia ordinauerunt, quod unus electus prioratum haberet, alter uero xx. libras annuatim haberet de redditibus capituli, & xl. de prouentibus prioratus. quæ ordinatio ab omnibus fuit recepta, & approbata, & petierunt ab Apostolica Sede confirmari; respondit Papa, quod illam ordinationem haberet ualde suspectam propter malum exemplum, nisi tam illi, qui fecerunt, quam illi circa quos facta fuit, essent uiri prouidi, & honesti, quod enim vnus de duobus haberet prioratum, hoc factum fuit, secundum iustitiam, ex de legata iurisdictione; quod autem alter haberet illas libras, fuit secundum prudentiam ordinatum ex arbitraria potestate pro bono pacis, & concordia, quia igitur (inquit Papa) hæc ordinatio ab omnibus est recepta, possuntque licite prior, & capitulum de prouentibus suis propter causas prædictas, non quidem ex pacione partium, sed ex iussione iudicum prouisionem huiusmodi exhibere, nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem xl. librarum, non dignitas prioratus, sed persona prioris maneat onerata, ne forte circa prouentus aliqua uideatur facta sectio prioratus, ita quod ipso priore defuncto, successor ipsius non teneatur. Dubium modo occurrit nam ista, uel fuit transactio, uel amicabile compositio, si transactio, non tenet, etiam intercedente auctoritate iudicis, cap. super eo, de transact. si fuit amicabile

Auctoritate superioris pro bono pacis potest aliquid dari.

com-

compositio, potuit fieri etiam sine auctoritate iudicis eod. ca. super eo. præterea qua ratione potuit dari illa annua pecunia alteri recedenti à lite super beneficio, ut non esset simonia? Respondetur cum Abbate in d. c. Nisi, quod ista non fuit transactio, sed amicabile compositio. Amicabile autem compositio potest dupliciter fieri, primo gratis sine omni datione rei temporalis, & cum nihil detur, & gratis fiat, nulla potest esse sinistra suspicio, & potest fieri à partibus, & de ista loquitur d. cap. Super eo. Secundo, potest fieri non gratis, & ista debet fieri auctoritate iudicis, & non à partibus, & differt à transactione, nam quod datur in transactione, est pro recessu à lite, quod est simonia, etiam si detur nomine expensarum, quia si renunciatis habet ius in beneficio, uidetur renunciare iuri spirituali pro temporali, at si nullum haberet ius, alter posset redimere uexationem suam. In amicabile autem compositio non gratuita, quod datur non est pro recessu à lite, sed ut inquit Abbas pro expensis, addo etiam, ex libera donatione, & sic non est simonia, quia non datur pro spirituali. Sed ista compositio non potest fieri à partibus, unde in cap. Cum pridem de pactis. reijcitur huiusmodi compositio facta à partibus de reficiendis expensis tanquam simoniaca, licet Apostolicam confirmationem petierint, nam debet fieri auctoritate iudicis, & facta tenet, & est licita d. c. Nisi, & ratio est, quia quando fit à partibus, etiam si datur dari pro expensis, & pro bono pacis, ius tamen præsumit contrarium, quod potius detur, & accipiatur temporale pro spirituali, at quando partes liberè compromittunt in iudicem, & iudex est aliàs circumspectus, & honestus, cessat talis præsumptio, & tenet ista compositio, & quod datur licite retinetur tanquam liberè datum pro expensis, uel ex donatione iudicis auctoritate pro bono pacis. quod intellige dummodo non fraudulenter litem mouerit, uel mouere tentauerit. Et ut bene inquit Abbas contra Glos. non est necessarium, quod confirmetur à Papa, sed satis est, quod fuerit facta à iudice prouido, & honesto pro bono pacis.

De pactis in fundatione rei spiritualis.

Cap. XII.

Octauum dubium est de pactis, quæ fiunt ab eo, qui aliqua sua bona assignat, pro fundatione Ecclesie, seu beneficij. Ad quod respondetur, quod in ipsa beneficij

M 2 fun-

fundatione ab Episcopo fundatori concedi potest ius patronatus illius beneficii, & potest fundator de consensu Episcopi aliqua onera illi beneficio imponere, non solum toties celebrandi, sed etiam, ut sibi detur singulis annis aliquis census, ut tanquam patronus recognoscatur, & huiusmodi propriè non dicuntur pacta de temporali, & spiritali, sed donatio sub modo, uel causa, ut fundetur spiritali, seu spiritali annexum, & acceptatio donationis. & quod sic acceptetur cum reservatione horum iurium laico, est ex gratia, & tolerantia Ecclesiæ, cap. quoniam de iur. patr. & ibid. Abb. ponderando uerbum sustinuit. Volens autem fundare beneficium non potest hanc conditionem ponere, seu hoc pactum facere, quod sibi postea detur, nam esset simonia, sed debet libere donare, & facto beneficio, uel canonicatu, potest humiliter petere ut ei conferatur, cap. tua nos. de Simon. Post fundationem etiam non potest patronus exigere aliquid seruitutis ab Ecclesia patronata, uel a præsentato, nec aliquid temporale, nec aliud grauamen inferre, nisi reperiatur illud iure cautum, uel fuerit reservatum per Episcopum tempore fundationis cap. Præterea 2. de iur. patr. & ibid. Abb.

De muneribus, & an possint semper accipi, & an causa sine qua non, inducat simoniam in his, quæ alio nomine, quam pretij dantur.

Cap. XIII.

Nonum dubium est de muneribus, & an semper possint accipi, & generaliter quando aliquid aliter, quam nomine pretij datur, an causa sine qua non, inducat simoniam. Ad primam huius dubij partem respondetur, quod liberaliter donata, & accepta occasione spiritali non inducunt simoniam, dummodo, ut diximus non sint data, & accepta principaliter propter spirituale consequendum, sed liberaliter, licet secundo intendatur spirituale, c. tua nos de Sim. & S. Thom. in 4. s. & est communis: in foro tamen exteriori facillè præsumeretur Simonia, & ad iudicandum de corrupta intentione, tria considerantur, scilicet qualitas dantis, & accipientis, quantitas dantis, & tempus donationis, cap. Et si quæstiones de Simon. at in foro conscientia attendenda est sola intentio, & secundum eam iudicandum, etiam si præsumptiones essent in contrarium. Ad secundam dubij partem re-

spon-

spondetur, quod quamuis gratis, & liberè donata possint à quocumque recipi, & mutuans, & Iudex, & conferens spiritalia, non sint ob id deterioris conditionis, ut non possit eis aliquid donari, nihilominus quando à iure prohibitum est aliquid etiam sponte, & liberaliter donatum accipere, occasione aliquorum actuum, nihil tura conscientia licet accipere, sicut prohibitum est aliquid quocumque prætextu dare, & accipere occasione quorumcumque ordinum. conc. Trid. sess. 21. cap. 1. de refor. Ad tertiam partem respondetur, quod si temporale pro spiritali, uel spirituale pro temporali non est principaliter intentum, sed secundo, etiam si illa secunda intentio sit causa excitatiua, & impulsiva, sine qua id non fieret, aut non daretur, non est simonia V. g. familiari Papæ aliquid dono, non quidem principaliter, ut pro me beneficium impetret, sed ut efficiatur amicus meus, hinc consequenter, & secundo spero, quod data occasione tanquam amicus, beneficium pro me impetrabit. Si Prælato seruirem principaliter ob Ecclesiasticum beneficium, uel etiam laico, ut me præsentet ad beneficium cuius habet ius patronatus, esset simonia, at si nullum est de hoc pactum, & seruius sicut seruirem alteri recepta mercede, spero tamen, quod si me idoneum inuenerit data occasione mihi beneficium conferet, & propter hanc secundariam intentionem, & spem multa patior, & illum relinquere nolo, à quo alias discederem, non committo Simoniam. Cæcus eleemosynam petens, & se ad aliquam orationem dicendum eleemosyna accepta offerens, si principaliter intendet orationem uendere, uel orationem principaliter ordinaret ad eleemosynam acquirendam, simoniam committeret, at si principaliter tanquam pauper, & mendicus intendit eleemosynam sicut uerè intendit, & orationem non ordinat ad eleemosynam, sed offert, & dicit non tanquam pretium, aut medium principaliter ordinatum ad eleemosynam, sed ut oret pro benefactore, non committit simoniam. Si cum sim canonicus accedo ad chorum principaliter propter distributiones, simoniam committo, quia actus illos spirituales uendo, cum in qualibet uenditione precium accipiatur quasi finis, at si principaliter accedo ad diuina officia propter Deum, distributiones autem pro uita sustentatione assignatas secundo intendendo, non committo simoniam, etiam si ita sim dispositus, quod si non essent distributiones non accederem ad chorum. nam acceptio distributionum propriè non est causa

M 3 quare

De causa sine qua non.

Exempla

De canonico.

De muneribus.

quare accedam ad Ecclesiam, nam etiam sine illis aliquando accederem, sed est causa huius determinationis quare nunc uadam, & ad hanc Ecclesiam, & non alio die, uel alia hora pro qua non habeo distributiones, ut dicit S. Thom. quod lib. 8. art. 12. & Nau. probat ex cap. si officia dist. 59. cap. quid proderit dist. 61. cap. consulere, quatenus dicitur licere clericis seruire Deo in Ecclesijs ob spem ascendendi ad dignitates illarum. Et probatur etiam ex intentione Ecclesiæ in assignatione distributionū, quæ ideo illas singulis horis assignauit, ut essent causa excitatiua. Vbi notandum est, quod distinguo inter mendicos, & celebrantes, seu ministrantes diuina, quo ad intentionem, & nisi distinguamus difficile erit illos excusare à Simonia; & ratio distinctionis est, quia celebranti, seu ministranti diuina, iure debetur sustentatio, seu elemosyna, cum gratis illa exercere ex officio tanquam minister Ecclesiæ debeat, & propterea sustentatio debita, non potest esse principaliter intenta; at ratione orationis priuatæ, cum non fiat in persona Ecclesiæ, non debetur iure sustentatio, nec elemosyna, nam quilibet potest, & debet orare, & propterea licet oratio priuata non possit uendi, nec esse pretium rei temporalis, potest tamen secundario, & minus principaliter offerri benefactori, & dari elemosynam principaliter à paupere intentam, non ut pretium temporalis, sed ut Deo gratias agat, & pro illo oret. alij qui sic non distinguunt, hanc difficultatem de pauperibus insolutam relinquunt, & dum responsionem, quam dant de Canonico accedente ad chorum propter distributiones eis applicant, uirtualiter illos simoniacos affirmant, quia uerè eorum principalis intentio est elemosyna.

Quod intentio non soluendi pretium conuentum non excuset à Simonia. Cap. XIII.

Decimum dubium est an sicut intentio principalis inducit Simoniam in illis casibus in quibus intentio secundaria ab ea liberat, ita etiam intentio non emendi, nec soluendi pretium pro spirituali promissum, excuset à Simonia. Caiet. quem sequitur Sotus, dicit, quod in hoc casu, licet committatur peccatum mortale, non tamen simonia in rei ueritate, licet in foro exteriori censeatur simonia, cū actus exterior ad genus moris non nisi propter actum interiorem spectet. & hic intentio non sit emendi spirituale; & consequenter infert eum, qui sic beneficium acquisiuit, non teneri ad illius re-

signa.

signationem, Sed dicimus cum Nau. committi simoniam, nam ad essentiam Simoniam non est necessaria uera uoluntas emendi, sed sufficit uoluntas faciendi, aut dandi aliquid pro spirituali consequendo, quod in hoc casu fit, cum unus uelit dare spirituale, & alius pro eo pecuniam promittere, quocumque animo id faciat. Quod autem subdunt eum non teneri ad resignandum beneficium, uerum est; non tamen propter rationem ipsorum, quia uerè non est simonia, nam est simonia, sed quia simonia non est ex utraque parte completa, ut dicemus; Ad iudicandum autem an sit ex utraque parte completa Nau. distinguit, nam si eorum conuentio esset, quod unus det beneficium, & alter instrumento se obliget ad soluendum centum, dato beneficio, & facto instrumento est simonia realis ex utraque parte completa, licet non perfecte respectu huius, sed ex parte, quatenus promissionem de instrumento adimpleuit, quod sufficit ad incurrendas censuras, & ut teneatur resignare beneficium. at si esset sola promissio de centum, etiam si fiat instrumentum, est simonia conuentionalis, & non realis ex utraque parte completa, quia hoc casu confessio, & traditio instrumenti, non est pars rei promissæ, sed solum probatio promissionis.

De penis Simoniacorum, & de restitutione ab eis facienda, & de simonia per alios commissæ, illis pro quibus fuit commissæ ignorantibus, uel contradicentibus, & quis possit dispensare. Cap. XV.

Mltæ sunt Simoniacorum pœnæ. Prima est suspensio, quam aliqui extendunt etiam ad Simoniacos in beneficio, sed iura quoad suspensionem non loquuntur nisi de illis, qui simoniacè ordinem recipiunt, & nolunt, quod sint ipso facto suspensi quoad se, & quoad alios, etiã si peccatum sit occultum, in extrau. 2. de simo. unde Nau. ex Innoc. dicit simoniacum in beneficio acta pœnitentia, & relicto illo, posse celebrare, quia non est ipso iure suspensus, quod intellige dummodo sit absolutus ab excommunicatione. Secunda, est excommunicatio Papæ reseruata, quæ incurritur per simoniam realem, tam in beneficio, quã in ordine, ex quo sequitur simoniacum realem in ordine egere absolute ab excommunicatione, & à suspensione, simoniacum uero in beneficio ab excommunicatione tantum. Et ut ex Sylu. notat Nau. nullus si-

M 4 mo-

De differētia quo ad intētiōnem inter mēdicos, & clericos.

Caiet. to. 2
opus. 9. q.
Sot. lib.
9. de iust.
& iur. q. 8.
ar. 1.
Nauar. in
Man. c. 23
qu. 106.

moniacus præterquam in ordine, & beneficio est ipso iure excommunicatus sic declarans d. extrau. Tertia, est Depositio si in iudicio constiterit. Quarta est restitutio eorum, quæ simoniacè sunt adepta, & etiam omnium fructuum beneficiorum, non solum perceptorum, sed etiam eorum, qui à diligenti possessore percipi potuerunt, exceptis his, quæ in utilitatem Ecclesiæ deueniunt. & restitutio faciendæ est illi Ecclesiæ in cuius iniuriam facta est simonia, & si illa est in culpa simoniæ, alteri Ecclesiæ, uel pauperibus, quod restituendum est, dari debet. Quod si simonia non sit completa, ille qui pro spirituali pecuniam accepit, eam restituere debet illi, qui dedit, quia est adhuc illius, non enim plene ab eo abdicata intelligitur pendente consummatione contractus simoniacæ emptionis, & uenditionis; & si iudicis sententia interueniret, credere non ipsi, sed Ecclesiæ, & Christo in cuius iniuriam data fuit restituendam esse. Illi etiam, qui simoniacè ordinantur, uel beneficium accipiunt, simonia per alios commissa, ipsis ignorantibus, uel si sciuerunt ipsis expræssè contradicentibus, quamuis simoniaci non sint, sed eorum amici, sunt tamen suspensi, & beneficium resignare tenentur, cap. nobis de simon. Sed in beneficio simplici post liberam resignationem Episcopus dispensare potest, non tamen in alijs, cap. penult. de elect. Vt autem Episcopus dispensare possit in beneficio Simoniacæ adepto, secundum Boat. tria concurrere debent. Primo, quod simonia sit commissa eo ignorante, nec ratum habente. Secundo, quod beneficium sit simplex. Tercio, quod præcedat libera resignatio, & non expectet sententiam condemnatoriam, nam damnatus de Simonia per sententiam, afficitur infamia iuris, & cum infami non dispensat Episcopus, nisi in casibus iure expræssis, qualis non est iste. Sed, ut notat ibid. Abb. si distulit renunciationem, & expectauit sententiam, quia credit non fuisse commissam simoniam, ut de ea certificetur, non est culpabilis, & cum eo poterit Episcopus dispensare; notat etiam Abb. quod in omnibus casibus in quibus dicitur Episcopum dispensare posse, intelligitur si pecunia sibi non fuit data. Host. & qui illum sequuntur dicunt, quod Episcopus potest etiam dispensare in prælatura, & in beneficio curato quando est necessitas, uel euidens utilitas Ecclesiæ, sed Abb. in c. de simoniacæ, eod. tit. dicit hoc esse contra d. c. pen. & probat hanc dispensationem pertinere ad Papam.

Circa ordinatum simoniacè notandum est ex Abb. ibid. quod

De restitu
tionem.

De simo
nia per a
lios com
missa ipsis
ignoranti
bus, uel
contradi
centibus.
Episcopus
quædo di
spensare
possit.

quod si simonia fuit ab ipso, uel ipso sciente, uel postea consentiente commissa est suspensus ab omnibus ordinibus, & solus Papa dispensat. at si est commissa ipso ignorante, nec postea ratum habente, Episcopus dispensat etiam si delictum sit notorium, contra Host. & sic ordinatus in isto casu non est suspensus ab omnibus ordinibus, sed ab illo ordine simoniacè collato, unde alios ordines licitè receptos exequi potest, & beneficia retinere, & de nouo recipere, quia non est simoniacus, sed non potest promoueri ad maiorem ordinem, nisi dispensetur in ordine simoniacè recepto, quia aliàs uideretur per saltum promotus. Est etiam notandum, quod si simonia sit per alium fraudulentè in alterius dispendium commissa, ne beneficium consequatur, ut si uolenti ei conferre beneficium, pecuniam pro illa collatione promittat, uel eo canonice electo pro confirmatione pecuniam offerat, ipso ignorante, uel expræssè contradicente, ut sic illo beneficio priuetur, ratione simoniacæ prauitatis, ista simonia ei non nocet, sed collatio, seu electio tenet, nam factum parantis inimico insidias non debet esse damnosum innocenti, & uir malus de sua fraude, commodum reportare non debet.

De simo
niacè ordi
nato.

De simo
nia in alte
rius dispē
dium cō
missa.

An pœna contra simoniacos à iure inflicta incurrantur per quamcumque simoniam, & quare simonia mentalis non obliget ad restitutionem sicut obligat usura mentalis, & de simonia per confidentiam. Cap. XV I.

Omnis simonia est digna aeterna pœna, & quelibet exterior, & non purè mentalis, ab Ecclesia puniri potest cum ei subdatur, & si probatur punitur, pœnæ tamen, quæ ipso iure, & factio incurrantur, non sunt cuiuscumque simoniæ, sed illius tantum, quæ in ordine, uel beneficio committitur (ut diximus) nec etiam omnis talis simonia his pœnis subditur, sed sola realis, ex utraq; parte pacto interueniente completa, cum datur corporale, & pro eo spirituale ex conuentione expræssa, uel tacita accipitur, ut determinauit Greg. 9. & habetur cap. fin. de Simo. cuius uerba sunt, *Ad resignationes spiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente utrinque taliter acquiruntur, in quo casu delinquentibus sufficit per solam penitentiam suo satisfacere creatori, eos pro simonia huiusmodi non tenevi.* Et iura, quæ illas pœnas induxerunt, loquuntur de Simonia in ordine, uel beneficio, quæ

quæ dando, & accipiendo committitur, pœnæ autem non sunt ampliandæ sicut beneficia, sed potius restringendæ, Si ergo datur beneficium cum pacto, quod tali tempore detur pecunia, vel è contra, si prius datur pecunia, cum pacto, quod postea detur beneficium, non incurruntur istæ pœnæ, nisi cum postea ab altera etiam parte datur pecunia, uel beneficium, ut simonia fit ex utraque parte perfecta; nec requiritur, quod detur totum id quod promissum fuit, sed satis est, uel minima pars, ut hinc inde sit datum, & acceptum, & tunc cum ab altera etiam parte cõpletur simonia, ita istæ pœnæ incurruntur, ut à principio censeantur incurfæ, & si ab altera etiam parte non compleatur nunquam incurruntur, ut diximus p. p. lib. 3. cap. 7. ubi ostendimus quomodo excommunicatio suspendatur, & retrahatur.

Sed dubium est de restitutione temporalium, & resignatione beneficiorum, quando datum est pretium, & pro eo beneficium acceptum, sine ullo pacto explicito, uel tacito, sed sola de prauata intentione, ita, quod, qui pecuniam dedit, sicut scit se pro pretio beneficij dedisse, ita credit ea ratione sibi beneficium datum fuisse; & è contra ex parte beneficium conferentis, & pecuniam recipientis; quæ simonia licet utrinque detur, est mentalis, cum enim nullum interuenerit pactum, credi potest, quod gratis hinc inde detur, & non dicta ratione, sed intentio, quæ alijs est incognita, Deo, & etiam danti, & accipienti est cognita. Quod hæc simonia non obliget ad restitutionem, nec ad resignationem, sed sola pœnitentia tollatur, etiam quoad Deum, & quod obligatio ad restitutionem, & resignationem requirat etiã pactum, expressè habetur in d. c. fin. de Simonia. Sed ex altera parte difficultatem facit, quia usura mentalis obligat ad restitutionem, ut determinauit Urbanus 3. in ca. Consuluit de usuris. Maior, Adrianus, & Sotus dicunt simoniã mentalem obligare ad restitutionem, quia eadem est ratio simoniæ, & usuræ, & Sotus, ut rem ex proprio principio deducat, dicit huius difficultatis solutionem dependere ex alia, an. s. restitutio tam pretij simoniaci, quam rei spiritualis, sit de iure diuino, & naturali, an de iure Ecclesiastico, nam si est de iure diuino, Ecclesia non poterit simoniaco mentali concedere dominium illius, quod simoniacè acquisiuit; & dicit restitutionem, seu resignationem esse de iure diuino, & naturali, quia res spiritualis nullo pretio æstimari potest, & Christus dixit, *Gratis accepistis, gratis date*. Et confirmat, quia usura mentalis obligat ad restitutionem ex eo, quod gratis mutuandum est. Confirmat etiam, quia collatio

bene-

beneficij non pendet ex futuro contingenti, sed quando fit, aut tenet, aut non tenet. Ad d. autem, cap. fin. de Simo. Sotus, & alii dant quasdam glosas illius sensum peruertentes.

Cum autem determinatio Papæ in d. c. fin. sit clara, quod simonia mentalis non obliget ad restitutionem, seu resignationem, & illud capitulum non possit aliter intelligi, ut ad sensum patet & sic semper intellexerint Glosa, & ferè omnes Doctores Canonistæ, & Theologi, & qui aliter interpretari conati sunt, sensum peruertant, longe melius esset fateri propriam ignorantiam, dum non intelligitur ratio differentie ob quam usura metalis obligat ad restitutionem, & non simonia mentalis, quam huius Pontificie determinationis sensum pervertere, & dicere legitimum illius sensum esse falsum. Abbas in d. c. fin. adducit multas rationes differentie ab alijs traditas, quæ ut ipse bene dicit non sunt idoneæ, sicut nec etiam est illa, quam ipse tradit, & Io. Ana. dicit, quod ratio huius decisionis petenda erat ab auctore. Nauarrus putat se ueram assignasse rationem, ex duabus regulis generalibus pro restitutione, prima qui male accipit ab eo, qui bene dat, iure nature restituere tenetur. Secunda, qui bene, uel male accipit ab eo, qui male dat, ex natura rei non tenetur restituere, saltem si fecit illud cuius causa datum fuit, nisi specialiter lege id iubeatur restitui; quibus suppositis dicit rationem differentie esse, quia usura bene soluitur, & male recipitur, nam usuram soluere non est peccatum, sed recipere, & propterea per primam regulam, usura mentalis obligat ad restitutionem; at qui per simoniam mentalem accipit ab eo, qui male dat; bene recipit ob ignorantiam male intentionis, aut saltem accipit à male dante; & consequenter per secundam regulam non tenetur restituere, saltem si præstet id pro quo datum est. Ista ratio Nauarri non est sufficiens, sicut nec ille duæ regulæ, nam propria ratio inducens obligationem restituendi, uel ab ea liberans, est, quia fit, uel non fit cõtra iustitiam commutatiuam, contra quam non semper facit, qui turpiter recipit à bene dante, de quibus inferius, in c. de restitutione ratione iniustæ acceptionis. Caietanus 2. 2. q. 100. ar. 6. dicit rationem differentie esse, quia quod datur usurario, non datur spontè, sed inuoluntariè ad redimendam uexationem, quod autem datur simoniaco mentali datur uoluntariè, quia datur animo emendi, uel uendendi, qui sunt contractus uoluntarij absq; mixto inuoluntarij, & propterea, quia ibi inuoluntariè datur, ideo est restituendum, hic autem uoluntariè datur, & propterea non est restitu-

tioni

Cõtraria
sententia
cõmunis,
& tenenda.

An simonia mentalis obliget ad restitutionem
Prima sententia, quæ obliget.
Sot. lib. 9. de iust. & iur. q. 8. ar. 1.

tioni obnoxium. Sotus contra hanc Caietani rationem arguit, quod in hoc pares sunt soluens usuram, & dans aliquid pro beneficio, quia uterque mallet habere gratis, & uterque ideo dat, quia non potest habere, quod desiderat, gratis. Respondet Nauar. pro Caiet. quod consensus dantis ad hoc, ut impediatur restitutionem non sufficit, quod mallet habere gratis, nam alias omnis uenditor teneretur restituere pretium ementi, sed sufficit consensus præstitus per uiam contractus approbati, quod autem datur per uiam simoniæ, datur per uiam commutationis, quæ de se iure probatur, non autem, quod datur per uiam usuræ. Ista ratio Caietani est bona, sed est melius explicanda; dicimus igitur ueram, & propriam rationem differentię esse, quia usura est contra iustitiam commutatiuam, nam uel uenditur id quod non est, uel idem bis uenditur, ut suo loco diximus, & propterea semper obligat ad restitutionem; per simoniam autem non fit contra iustitiam commutatiuam, quia hinc inde datur, & accipitur, & fit commutatio, & quædam emptio, & uenditio, licet iniqua, & sacrilega, & propterea ex natura rei simonia non obligat ad restitutionem, nisi quatenus in pœnam præcipitur. Et ad argumenta Soti quibus conatur probare simoniace acquisitum esse iure naturali, & diuino restituendum, facile respondetur. quia obligatio restituendi non oritur ex hoc, quod gratis aliquid faciendum, uel dandum sit. sed ex hoc, quod non seruatur iustitia commutatiua. nam datum, ut omittatur peccatum, & fiat bonum gratis faciendum, ut dicemus non semper potest repeti, & quando lex illius repetitionem concedit, non est necessario restituendum nisi quando repetitur. & in usura, necessitas restituendi non est, quia gratis mutuandum est, sed quia uenditur id, quod non est, usus. s. rei mutuatae, qui non distinguitur à re, & propterea gratis est mutuandum. Vt autem gratis faciendum, uel dandum inducat necessitatem restituendi, oportet quod sit contra iustitiam commutatiuam, quod dupliciter contingit. primo, quia nisi fiat gratis, uenditur id, quod non est, ut in usura. 2. quia est alteri ius acquisitum ad illud, unde ei contra iustitiam uenditur, quod suum est, ut in administratione iustitiæ, & etiam in simoniace accepto quando daretur ad redimendam uexationem propter ius acquisitum. in simonia autem uenditur id, quod est. s. spirituale, quod licet sit gratis dandum, nemini tamen in particulari competit ius ad illud, ut ei uendatur, quod suum est. & consequenter non fit contra iustitiam commutatiuam, quia sicut accipitur, ita etiam pro-

eo da-

eo datur, est quidem iniqua, & sacrilega uenditio, sed obligatio restituendi ex natura rei non oritur ex quacumque iniqua acceptione, sed ex ea, quæ est contra iustitiam commutatiuam. Ad aliud eius argumentum, quia. s. res spiritualis nullo pretio æstimari potest, respondetur cum eodem, qui in hoc sibi parum constat, nam lib. 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 1. contra Ioa. Med. inquit, quod licet spiritualia in se nullo pretio æstimari possint, tamen quantum ad humanos usus, & quatenus ex illis habentur temporalia commoda, & temporales fructus, possunt ab hominibus pecunia taxari, & æstimari, nam pecunia est factum pretium omnium rerum, etiam eorum, quæ multum excedunt, & nullum habent pretium, ista enim relata ad pecuniam taxantur, secundum communem estimationem, & sic homicida pro uita ablata, quæ omne pretium excedit, condemnatur prudentum arbitrio ad pecuniariam restitutionem: hac igitur ratione simonia potest dici commutatio spiritualis; cum temporalibus, & spiritualium uenditio, & emptio, & sic etiam definitur, & consequenter non est contra iustitiam commutatiuam, & iure naturali, & diuino non obligat ad restitutionem, sed quia est impia, & sacrilega emptio & uenditio, pœna restitutionis, & resignationis est ei ab Ecclesiastica lege imposita, ob quam causam non extenditur extracausa à lege expressos. quæ noluit obligare omnes simoniacos ad restitutionem, & resignationem, sed tantum reales, quando scilicet simonia est ex utraque parte completa, quos obligat etiam in foro conscientię, aliis uero sufficit, quod per solam pœnitentiam suo satisfaciunt creatori, ut determinauit Papa in d. c. fin. Hæc quidem secundum ius antiquum, nam modo per duas extrauagantes Pij iij. & Pij v. in omnes censuras, & pœnas contra simoniacos reales inflictas, inciditur etiam per conuentionalem tantum simoniam ob confidentiam.

De Restitutione.

Quid sit Restitutio, ex quibus radicibus oriatur necessitas restituendi, & qui teneantur restituere ratione rei alienæ. Cap. XVII.

Decem nobis breuiter sunt de restitutione explicanda. Quid sit, Quis ad eam teneatur, Quid sit restituendum, Quantum, Cui, Vbi, Quomodo, Quando, Quo ordine, & quæ causæ restitutionem excusent.

Re-

Restitutio
quid.

Restitutio est actus iustitiæ specialis commutatiuæ, quo red-
ditur alteri, quod suum est, uel quod ei debetur lege iustitiæ;
formaliter, uel uirtualiter, de bonis animi, corporis, honoris,
uel pecuniæ. Cum enim contraria ad idem genus pertineant,
& auferre alienum inuito domino sit peccatum iniustitiæ circa
commutationes, restitutio, quæ est recompensatio contraria,
erit eiusdem generis iustitiæ; quod etiam probatur ex natura
restitutionis, nam restitutio nihil aliud esse uidetur, quam ite-
rato aliquem statuere in possessionem, uel dominium rei suæ,
& ita in restitutione attenditur æqualitas iustitiæ, secundum re-
compensationem rei ad rem, quod pertinet ad iustitiam com-
mutatiuam, nam iustitia distributiua non constituit æqualitatem
rei ad rem, sed inter proportionem meritorum, & proportionem
præmiorum, & propterea restitutio est actus iustitiæ commuta-
tiuæ, quando, s. res alterius habita, uel per uoluntatem eius, ut
in mutuo, uel deposito, uel contra uoluntatem eius, ut in rapi-
na, uel furto, eidem redditur, uel in se, uel in æquiualentem, non
enim est opus ad restitutionis naturam, ut eadem res numero,
aut specie, quæ accepta fuit reddatur; & propterea in definitio-
ne restitutionis dictum est formaliter, uel uirtualiter. Ex quo
sequitur, quod restitutio proprie non habet locum nisi ubi est
ratio debiti, si enim tu dones mihi centum, & ego redonem tibi
aliquid aliud, quod ualeat centum, mea non est restitutio, sed
donatio, licet materialiter similitudinem habeat cum restitu-
tione, quia deest forma restitutionis, s. obligatio, à qua restitu-
tio speciem, & nomen sortitur. Et quamuis restitutio, & satis-
factio pro eodem saepe accipiuntur, cum utraque pertineat ad
iustitiam commutatiuam, & fiat secundum æqualitatem rei ad rem,
proprie tamen in multis differunt, nam restitutio est proprie de
rebus exterioribus, satisfactio autem pro culpa, & offensa, unde
restitutio fit homini, satisfactio uero homini, & Deo; per satisfa-
ctionem remittitur peccatum, non autem per simplicem restitu-
tionem; & licet in his, & in alijs differant, tamen aliquando cum
communi uero loquendi pro eodem accipiuntur. Quod autem
restitutio sit de necessitate salutis, est manifestum, & contrarium
asserere esset hæreticum, nam restitutio importat redditionem
illarum rerum, quæ iniuste, uel ablatae fuerunt, uel retinentur,
quæ redditiō (ut diximus) est actus iustitiæ commutatiuæ.

Restitutio
& satisfactio
differe-
runt.

Est de ne-
cessitate
salutis.

qui tene-
tur resti-
tuere ra-
tione rei
alienæ.

Illi autem omnes, & soli restituere tenentur, qui aliquam rem
alienam tenent, uel aliquid lege iustitiæ specialis debent. Sed
ut hoc distinctius explicemus, notandum est restituendi neces-

sta-

statem ex tribus radicibus oriri, uel ratione rei alienæ, uel ra-
tione damni illati, uel ratione iniustæ acceptionis. Nunc age-
mus de restitutione ratione rei alienæ, de qua sit hæc generalis
regula. Omnis, qui rem alienam inuito domino habet ad il-
lius restitutionem tenetur, & ratio est in promptu, quia res illa
non est ipsius, sed alterius, & propterea non est ab eo detinenda,
sed danda illi cuius est. Pro cuius explicatione duo sunt no-
tanda. Primum, quod non solum habent rem alienam illi, qui
alterius rem acceperunt, sed etiam illi, qui ex contractu aliquid
debent, uel ex quasi contractu obligantur, ut tutores pupillis,
uel obligantur ex testamento, uel ex iusta sententia etiam con-
demnante ad penam, uel ex aliqua iusta Principis impositione,
uel ex aliqua lege, & statuto conscientiam obligante (quod ad-
ditur propter pœnas debitas multarum legum pœnaliū, quæ
in foro conscientia ante Iudicis condemnationem non debentur) hæres quoque, qui succedunt in hæreditate iniuste ac-
quisita, & filia de bonis alienis dotatae quales sunt filij, & filia
usurariorum, qui etiam omnes ex eadem radice ad restituti-
onem tenentur. Illi etiam eadem ratione tenentur restituere,
quibus pecunia uel ad negociandum, uel cambiendum, uel in
depositum data fuit, & mortuis illis, qui dederunt, hæres il-
lam non petunt, quia nullam illius habent notitiam; nec excu-
santur illi mercatores, campores, & ministri montis super quo
deponuntur pecuniæ, per hoc, quod dicunt se paratos esse resti-
tuere dictam pecuniam cuiusque legitime petenti. nã si sunt
hæres, qui id ignorent, uel si sciunt, non habent, quid osten-
dant, & quomodo probent, debent id eis significare, & si timet
ne illis bene soluantur, possunt petere fideiussorem, si non sunt
hæres, & quibus legitime restituatur, debent restituere Chri-
sto Domino omnium hæredi, in persona pauperum. Alterum
est, quod res aliena dupliciter haberi potest, bona, s. uel mala fi-
de, & rursus, uel in se ipsa, uel in aliqua alia re, seu effectu loco il-
lius rei, puta quia habetur illius pretium, uel res propria est con-
seruata, quæ aliàs consumpta fuisset. Si res aliena mala fide ha-
betur, quomodocumque habeatur, siue in se, siue in æquiualen-
ti, imo etiam si nullo modo amplius habeatur, ut si fuerit amissa,
etiam sine culpa, restituenda est; at si bona fide habeatur in se
ipsa, restituenda est, quia est res aliena, etiam sine aliquo pretio
ut si quis bona fide aliquid emit, quod putabat esse uendentis;
si uero bona fide habeatur non in se ipsa, sed in suo, uel pretio,
uel effectu, uel alio simili modo, ille qui sic habet, si in aliqua re

sa-

Differen-
tia inter
rem alic-
nam, & id
quod eius
loco suc-
cessit.

factus est locupletior, restituere debet id solum in quo ex illa re factus est locupletior, & si in nullo factus est locupletior ad nullam restitutionem tenetur. Est itaq; differentia quo ad restitutionem inter rem alienam, & id quod loco eius successit, ut pretium, uel effectus, quod res ipsa obligat possessorem simpliciter, & absolute ad restitutionem, id autem, quod loco rei successit obligat solum ad restitutionem in casu quo ex eo factus sit locupletior, & ad tantum quantum factus est locupletior, ff. de petitio. hæred. l. item ueniunt §. eos autem, & l. sed & si lege §. consuluit. Et de re, est manifesta ratio, quia est alterius, de eo uero, quod loco rei successit, probatur, quia aliquando ita succedit, ut possessorem, seu uenditorem indemnem reddat, & sic habet rationem sui respectu uendentis, aliquando succedit, ut fructus rei, & sic non habet rationem sui respectu possessoris, quando. s. reddit illum locupletiosem, & tunc quia lucrum est ex re aliena illud lucrum non est possessoris, aut uendentis, sed domini rei; At si lucrum non est ex re aliena, sed ex industria illam possidentis, non tenetur illud restituere, quia suum est, ut si Thesaurarius Principis, qui eius pecuniis negociatur, & etiã usurarius, & latro, quia cum pecunia de se non sit fructifera, illud lucrû est industria; nisi ratione interesse sit restituendum.

Exempla
de prædi-
ctis.

Sed ut exemplis hæc clariora fiant, donatus tibi fuit ager ab eo, qui contra iustitiam illum tenebat, tu autem bona fide illum accepisti, credens esse illius, qui tibi donauit, & fructus in proprios usus conuertisti, nunc autem sciens esse alterius uis restitutionem facere; & teneris restituere etiam illos fructus, quos illis uisibus consumpsisti, in quibus nisi illos habuisses alios consumpsisses, deductis tamen expensis, & laboribus, quia in illis factus es ditior; at si ex eo, quod tibi donatus fuit ager statim mutasti, & splendidius uixisti, si etiam solitos sumptus de tuis redditibus fecisti, non teneris restituere fructus consumptos, quia propter illos in nullo factus es ditior; si autem proprijs redditibus pepercisti, de fructibus teneris solum restituere, tantum quantum tuis pepercisti, quia in illis factus es ditior, consumptio enim in possessore bonæ fidei, tunc solum inducit restituendi obligationem, quando redundat in lucrum, quia. s. eo minus consumitur de proprio. Bona fide inuitatus fuisti à latrone ad cœnam, postea sciisti cibos illos fuisse furtivos, si propter illam cœnam omisisti solitas expensas, quantum expensis tantum restituere teneris; at si nihilominus domi fecisti solitos sumptus, ad nihil teneris. Vestem sericam uilià latro-

ne bona

ne bona fide emisti, & illa consupta propriû inuenisti dominû; cum non sit solitus indui serico, teneris solû restituere ratione uestis, quã indui solebas. Habuisti equum bona fide, cuius postea dominum inuenisti, si tibi donatus fuit, & ita eo usus es, ut nihil cum eo lucratus fueris, teneris restituere solum equum. Si autem cum eo lucratus es, quia alijs locasti, teneris deductis expensis etiam restituere id in quo factus es ditior, si illum uendidisti, teneris integrum pretium restituere, si autem illum donasti, uel penes te, sine tua culpa periit, & deductis expensis nihil cum eo es lucratus, ad nihil teneris, cum in nullo factus sis ditior; quod si illum à fure bona fide emisti, teneris illum restituere domino, etiam sine pretio, sed habebis actionem contra furem; si autem illum uendidisti antequam scires esse furtiuum, si tanti uendidisti quanti emisti, & ratione usus nihil cum eo es lucratus, ad nihil teneris, quia in nullo factus es ditior, at si pluris uendidisti, uel cum eo es lucratus, id restituere teneris. Quod si postquam rescuisti illum esse furtiuum antequam à domino tibi peteretur, pro eodem pretio alteri dedisti, distinguendum est nam si ei, qui tibi uendidit reddidisti, ut datum reciperes pretium, & ille, qui furto accepit restitutionem faceret, ad nihil teneris; si autem alteri uendidisti, cum mala fide uendideris, teneris emptori reddere pretium, ut equum restituat, at si cum illo discessit, teneris domino restituere pretium, cum mala fide uendideris.

An res furtiua bona fide empta possit reddi latroni; An bona fide illam uendens, teneatur seruare indemnem emptorem.
Ca. XVIII.

Sed in hoc est inter Doctores cõtrouersia, nã Med. & Sotus duo hic dicunt. Primû est, qd qui re aliquã bona fide emit à latrone, potest quidẽ cognito furto latronẽ cõuenire, & capere, & ab eo pretiũ extorquere, non tamen potest re illã ei dare, ut solutũ pretiũ ab eo recuperet, & ita re periculo exponere, ut in manus domini non ueniat, quod si fecerit, dicunt eũ ad restitutionẽ teneri, & Sotus probat primo, quia obligatio restituendi cõsurgit ex re ipsa, ex eo, qd est alterius, etiam si bona fide habira fuerit, ergo nisi illã restituerit domino, ad restitutionẽ tenebitur. 2. qd si latro disparuisset, & cõtra eũ nõ posset agi, qui re emit cõpelleretur in foro iudiciali illã domino restituere,

N cum

Med. Cod
de reb. re-
st. q. 10.
Sot. 4. de
iust. & iu.
q. 7. ar. 2.

cum iactura pretij, quia de iustitia tenetur; quod autem latro reperiri possit, non facit, quod dominus ius suum amiserit, ergo etiam tunc tenetur restituere domino. 3. quia si in foro iudiciali constaret illum emptorem postquam certo sciuit rem esse alterius, eam tradidisse latroni, condemnaretur solvere domino pretium. Med. quartam addit rationem, quia restituens rem furi credens eam nunquam ad manus domini peruenturam, cum fure positue concurrat ad damnificandum dominum, & consequenter tenebitur de huiusmodi danno. nec obstat si dicatur, quod id facit, ut rehabeat pretium solutum, quia non sunt facienda mala, ut inde eueniant bona. Addit tandem Medina, quod si emptor credit furem restitutum, poterit ei dare, ut suum rehabeat pretium.

Contraria sententia est Alex. & Gab. quos citat, & sequitur Nau. quod restituens furi, ut suam pecuniam recuperet, nec peccet, nec ad restitutionem teneatur, Et cum ista sententia sit probabilis, & contraria cum difficultate persuaderi possit illis, qui sic emerunt, ut ne etiam contra conscientiam agant, eam sequemur. Et probatur, quia emptor plus tenetur sibi providere, quam domino rei, sed reddendo rem furi, ut recuperet pretium, sibi prouidet, faciendo actum iustum, nam dat rem ei a quo accepit, quod de se non est malum, nec ex parte recipientis, nec ex parte dantis; non ex parte recipientis, quia licet non sit illius dominus, cum ipse principaliter teneatur illam restituere, potest bene, & sancte recipere animo restituendi domino; non etiam ex parte dantis, quia cum ille teneatur eam restituere domino, illam ei reddens, eum iuuat ut possit restituere, & ita actu ex se licito sibi consulit; quod autem fur non restituat, est per accidens, & quod per accidens est, non est ita attendendum, & consequenter proprie iste non cooperatur peccato illius. Nec obstat, quod si dominus illam apud emptorem inuenit, poterit ab eo sine pretio repetere, quia obligatio restituendi confurgit ex re ipsa, ex eo quod est illius; Nam quilibet tenetur sibi potius providere, & consulere, quam alteri; & sicut emptor antequam res illa ab eo petatur, potest sibi potius, quam domino consulere, reddendo ei, qui dedit, ita dominus cum illam inuenit, potest sibi potius, quam emptori providere, illam ab eo petendo; & quia emptor bona fide emit, & bona fide, & iuste reddidit ei, qui uendit, ut ipse illam restituat, & pretium sibi reddat, propterea non tenetur restituere. Si autem dominus illam apud eum inuenit, & ab eo petit, incipit esse possessor malæ fidei, & tenetur ei restituere; Et respondemus Soto, quod dominus illam apud

Contraria
sententia.
Naur. in
Man. c. 17
nu. 9.

emptorem inueniens, & ab eo petens acquirit nouum ius, quia illam petens ab emptore, eum in mala fide constituit, & facit, quod emptor teneatur potius domino providere, & consulere, quam sibi, ratione pretij, cum prius potuisset sibi potius, quam domino consulere. Nec obstat, quod emptor, constituto, quod illam restituisset furi, in foro iudiciali condemnaretur; quia forum iudiciale cum fundetur in præsumptionibus, præsumeret illum esse complicem delicti, & non reddidisse uenditori nisi, ut faueret furto, at nos loquimur de foro conscientie, ubi attenditur ueritas, & cessant præsumptiones. Hæc intellige de illo, qui bona fide emit a fure, nam qui emit mala fide sciens esse furtiuam, tenetur restituere domino; etiam si apud eum sine sua culpa perierit, sicut dicemus de illis, qui tenentur restituere ratione iniuste acceptionis, quia iniuste emit, & retinet rem, quam scit esse alienam inuito domino, & consequenter est particeps furti.

Alterum in quo contradicit Soto est de illo, qui bona fide aliquid emit a latrone, & bona fide alteri postea uendit antequam sciret esse furtiuum, quod postea sciens esse furtiuum, licet domino illius non maneat obligatus, tenetur tamen (inquit) emptorem suum indemnem seruare, & cum sciat nullum in eum transfuisse dominium, tenetur suum ei restituere pretium; subdit tamen, quod si ille secundus emptor non comparet, & nullus sit metus, quod ab illo id exigatur, ad nihil tenetur, cum in nullo sit factus ditior, & alteri nullum dederit damnum. Et probatur a simili, quia si quis a latrone uitrum pro gemma præciosa, magno emisisset, & eodem pretio bona fide uendisset, sciens postea rei falsitatem, tenetur contractum rescindere; & idem de eo, qui pecuniam adulterinam ab alio bona fide receptam, tertio dedit, nam si postea id rescierit tenetur ei restituere legitimam; quod etiam confirmari potest, quia pretium a se bona fide datum quando emit recuperare potest per euictionem, & non potest retinere utrumque pretium. Sed dicimus cum Nau. quod si in nullo factus est ditior, ad nihil tenetur; nec domino, nec emptori, sed emptori tenetur solum cedere actionem, quam habet de euictione contra latronem, per quod soluitur ultimum argumentum. Et probatur, quia non tenetur, neque ratione acceptionis, neque ratione rei acceptæ, cum rem ipse non acceperit, nec habeat; nec fraudulenter uendiderit, nec per eam factus sit ditior, nisi in actione de euictione contra latronem, quam cedit prout cedere tenetur illi cui uendit. Et ad argumentum a simili respondet Nau. non esse

De illo, q.
bona fide
uendit
emptori bo
na fide a
latrone

eandem rationem de tradente vitrum pro gemma, & pecunia adulterinam, & de tradente rem alienam, sed ueram, quia ille tradit rem intrinsece defectuosam, & falsam, & consequenter est in culpa accipiendo, uel dando, hic autem rem intrinsecus ueram iusti ualoris, & ita communiter non est in culpa accipiendo, & dando; quod si uterque sit in culpa, uel neuter sit in culpa idem erit de utroque iudicandum.

De dubi-
sancan res
sit furtiua

De dubitante an res sit furtiua, dicimus, quod potest illam emere animo restituendi eam domino quoties alienam esse compertum fuerit, & si empram vendidit non significans emptori dubium, quod habet, illum indemnem seruare tenetur, quia est in culpa, si autem ratione dubij diligenter inquisitionem fecit, in bona fide constituitur, & illam uendere poterit. At si ratione dubij nihil emisisset, ut postea carius uenderet, esset in mala fide, & particeps furti, & consequenter ratione mala fidei ad illius restitutionem teneretur, etiam si amplius illam non habeat.

Dubium co-
tra regulam
de restitu-
tione rei

Sed obicitur aliquis contra hanc regulam de restitutione rei, quia non uidetur æqua, sed claudicare ex parte possessoris, nam possessor, qui emit, rem apud se existentem tenetur restituere, etiam si pretium, quod dedit, a uenditore recuperare non possit, & tamen nunquam potest lucrari, quia id in quo factus est locupletior tenetur restituere, & ita subest periculum damni, & non lucri, sine sua culpa. Respondetur cum Caiet. 2. 2. nullam hic esse iniustitiam, quia ista obligatio ad restituendum, non oritur ex actione, aut passione, sed ex re ipsa aliena, cui accidit, quod ab hoc possessore habeatur dono, uel pretio, & consequenter, quod iste damnificetur, & non ille; Vnde cum posse damnum incurrere possessorem ex re aliena non proueniat ex ipsa re, sed ex modo adiunctæ actionis, scilicet emptionis, non debere autem lucrari proueniat ex re ipsa, æquissima est lex restitutionis ex parte rei, secundum ea, quæ sunt per se, ad quæ respiciendum est, & non ad ea, quæ sunt per accidens.

Dubium de
Montepie-
tatis.

Dubitatur de Monte Pietatis, qui mutuatur pignore accepto, & si postea inueniatur pignus illud a fure Monti datum fuisse, non restituit domino, nisi restituit Monti, quod latroni mutuo dedit. Et dicimus id licite a Monte fieri auctoritate Principis propter bonum publicum, & hinc solum casum, & illum legitimam prescriptionis excipi a dicta regula; quod etiam necessarium fuit ad tollendas fraudes, propter modum mutuandi, ut pauperibus, & pauperum nobilium honori, & famæ consulatur; multi enim nobiles, & multæ honestæ mulieres sæpe maxima necessitate premuntur; & maximum illis esse

pre-

preiudicium si id sciretur, ob quam causam charitas, quæ suauis sit, ut erigeretur Mons ad mutuandum pauperibus pignore accepto, suauis sit etiam, quod habito pignore, non quæretur cui mutuet, & cuius sit pignus, sed illius tantum, qui fert pignus nomen accipiat, ei que pecuniam det, cum cartula pignoris, & postea cuique offerenti cartulam illam, & mutuatum pecuniam restituenti, pignus reddat, & nihil amplius quærat, ut sic nobilium pudori, & honori, & etiam pauperibus consulatur; non potuit autem sic eis consuli, nisi simul etiam statueretur, quod pignus furtiuum non restituatur domino nisi prius soluerit pecuniam mutuatum, nam quoties fierent multæ fraudes, posset enim quis pignus per tertiam personam mittere, & postea ad mortem accedere, & probare esse suum, & illud repetere tanquam sibi furto sublatum. & si Mons, aut Ministri tenerentur de proprio, non mutuarent nisi prius eis constaret cuius sit pignus, uel idoneam cautionem haberent. cum autem bonum commune sit preferendum priuato, iuste, & sancte id statutum fuit, ut etiam ex fundamento sequentis dubij manifestum erit, quod etiam cedit in utilitatem illorum quibus res furto surripiuntur, nam sæpe illas apud montem inueniunt, & minus perdunt, & aliquando nihil, si Ministris Montis fuerint præmoniti.

An donata, empta, & dos habita ab usurarijs sint restituenda,
& de illarum uxoribus, filijs, & famulis.
Cap. XIX.

Ed dubium est de pignore amisso, ob non solutionem usurarum, & ab usurario empto, & de possessione similiter emptam ab usurario, præsertim si illam ipse ex usuris emit, an sit eadem ratio ac de re furtiua emptam a fure, adeo quod sint restituenda illis, qui soluerunt usuras, etiam si solutum pretium non reddat, si bona usurarii non sufficiunt ad integram restitutionem. Solutio huius dubij dependet ex solutione aliorum duorum dubiorum, an scilicet dominium rei lucrefactæ per usuras transeat in usurarium, & an omnia bona usurariorum sint obligata, & hypothecata pro restitutione usurarum. Quoad primum in utramque partem sunt Doctores graues, quod non transferatur dominium tenent Alex. S. Bonau. Rich. Sylu. Caiet. Sot. & alij, quia usuram accipiens rapinam facit 1. 4. q. 4. c. si quis usuram, fur autem non acquirit dominium furti, & etiam, quia ex contractu nullo, & cui lex resistit non transferatur dominium, huiusmodi est contractus

An trans-
feratur do-
minium
res usura-
riæ.

N 3 usu-

usurarius. Quod transferatur tenent Glos. & Turrus Cre. in d. c. si quis usuram. Scot. Palud. Adria. S. Ant. Tab. & alij. de S. Thom. licet in 4. si uideatur tenere, quod trāsferatur dominium, Sylu. tamen, & Sotus dicunt, quod ibi locutus est ex aliorum sententia, & quod in summa tenet, quod non transferatur; uerum non solū Adr. & alij non Thomistæ, sed ex Thomistis. S. Ant. & Tab. dicunt, q̄ etiā in sūma tenet transferri dominū, & Tab. id ostēdit pōderando illius uerba, horū ratio est, quia usura dicitur rapina largo modo, & qui usuras soluit, uolūtariē illas soluit, & sic cōuenerunt, & licet uoluntas non sit omnino libera est tamē talis, quæ sufficit ad trāslationē dominij, & ut inquit Scot. trāslatione dominij non liberat ab obligatione restituēdi, & ideo cū contractus sit iure naturæ nullus, usurarius liberatur à restitutione, non obstāte uolūtaria datione, quæ sufficiat ad translationē dominij, & lex huic contractui obstat, non impediendo translationem dominij, sed concedendo repetitionem, quod S. Ant. duplici etiā ratione probat. Prima, quia dominus pignoris uidens illud post transactum tempus alienari, non reputat sibi fieri iniuriam si alius emat, nec super hoc aliquis conqueritur, quia sic uoluntariē conuenit cum usurario. Secunda, quia per hoc, quod usurarius uendit pignus nō efficitur impotens ad restituendas usuras, cum habeat illius pretium. Qui tenent priorem sententiam consequenter dicunt non posse emi pignora ab usurario, & ementes teneri ad illorum restitutionem etiam sine pretio, non secus ac si furto sublata fuissent. Qui tenent posteriorem, sententiam, dicunt posse emi, & ementes non teneri ad restitutionem, quia soluerunt pretium ratione cuius usurarius non est factus impotens ad restituendum. Res profecto est dubia, ideo concludo, cum S. Ant. nemini consulendum esse, ut emat, at post factum, qui emerunt non esse condemnandos.

Quoad secundum dubium an. s. omnia bona usurarij sint hypothecata pro restitutione usurarum. Abbas in c. tua de Usuris, dicit communem opinionem antiquorum fuisse omnia usurariorum bona esse tacite obligata; sed moderniores, ut Host. Io. An. & Fel. communiter tenere, quod nō sint obligata, quia cum ista hypotheca non sit expressa in iure, non debet per doctores interpretatiue induci, quorum sententiam ipse sequitur. & ista uidetur modo communis sententia etiam summistarū, & Theologorum; Et cum Caietanus, & Sotus hanc difficultatē exactius tractent, & non omnino conueniant, ex discussione eorum, quæ ipsi dicunt habebitur sufficiens illius solutio. distingunt tripli-

cia

cia usurariorum bona, extorta. s. per usuram, & empta ex pecunia usuraria, & illa quæ omnino sunt munda ab usuris, ut patrimonialia; distingūt etiam duplicem obligationem alicuius rei, realem, s. & personalem, Caiet. inter utranque obligationem triplicem constituit differentiam, prima, & principalis, quia obligatio realis oritur ex re ipsa, quia est alteri obnoxia, ut patet de re furto sublata, personalis uero conuenit rei non ratione sui, sed ratione personæ cuius est, quia obligatio personæ redūdat in rem eius. Secunda, quia realis semper comitatur rem, apud quemcumque, & quomodocumque transeat, ut patet de re rapta, personalis uero non semper est comes rei, sed quandoque res liberatur ab illa obligatione, perseverante tamen obligatione in domino eius, ut si dominus illam alienet. Tertia, quia res obligationem realem habens annexam, nec uendi, nec emi, aut quocumque alio modo alienari libere potest, obligata autem ratione personæ alienari libere potest quando apud personam illam remanet unde creditori satisfacere possit. ut patet de bonis furis, non tamen furto ablati, & in cæteris debitis. Quibus suppositis dicunt, quod res primi ordinis, quæ. s. usu non consumuntur, usura acquisitæ, sunt obligatione reali restitutioni obnoxia, quia non sunt illarum rerum translatum dominium, & ideo à quocumq; habeantur, & quocumq; titulo, restituendæ sunt domino, etiam sine pretio, sicut furta. Sed, ut diximus contraria sententia est admodū probabilis, propter tantorum uirorum, qui illam tuentur auctoritatem, quæ consequenter tuta conscientia teneri potest, iuxta quam de pignoribus usura acquisitis, dico, quod si sunt penes usurarium, ille cuius fuerunt potest ea repetere, & recuperare, at si sunt penes alium non potest ea repetere nisi habuerit titulo gratuito, & non sint alia bona usurarij, sicut dicemus de rebus emptis ex pecunia usuraria. Quoad alia bona, conueniunt in hoc, quod obligatio sit personalis, quia usurarius est uerus illorum dominus; sed discordāt, quia ad uidendum an ista obligatio transeat ad bona alienata. Caiet. inquit inspiciendum esse an usurarius tempore alienationis facta alienatione esset soluendo an non, si erat soluēdo, alienatio tenet, & bona transeunt sine illa obligatione quocumque titulo fuerint alienata, etiam donationis, at si non erat soluendo, sunt obligationi obnoxia, etiam si fuerint data titulo uenditionis, & fuerit solutum illorum pretium, & qui emit, uel in dotem accepit sibi imputet, quia ab illo emit, uel accepit cuius erant tot debita, quod adæquabant, uel excedebant bona pro-

N 4 pria,

An omnia bona usurarij sint hypothecata pro restitutione usurarum.

pria, nec distinguit inter bona empta ex pecunia usuraria, & alia bona, sed dicit illorum omnium esse eadem rationem. Sotus dicit esse inspiciendum, an per ipsam alienationem substantia usurarij fiat minor, quam quæ soluendis debitis sufficiat, unde dicit, quod si contractus alienationis fuit gratuitus, ut donationis, non tenet, quia donatum illud ab usurarum debitis eximitur, si autem fuit onerosus, distinguendum est, nam si per illum usurarius nihil recepit, quod debitoribus soluat, ut si filiam doraui, est nullus. at si uendit sine fraude, & recepit iustum pretium, contractus tenet, & qui emit ad nihil in conscientia tenetur, nam si uenditor dedit rem, pretium recepit, quo potest restituere. & ipse quoque non distinguit inter bona empta ex pecunia usuraria, & alia bona. Sed uterque deficit, & dicimus, quod si usurarius erat soluendo quando alienauit partem suorum bonorum, & per illam alienationem non est factus impotens ad restituendas usuras, si bona illa erant munda ab usuris, alienatio tenet, etiã si fuerit titulo donationis, & etiam si usurarius postea ad paupertatem deueniat, & non habeat unde restituar; probatur, quia alienatio facta est sine fraude creditorum, cum per illam non efficeretur impotens ad restituendũ, & ad reuocandam alienationem factam in fraudem creditorũ, si facta est titulo oneroso, requiritur fraus dantis, & accipientis, si titulo lucratiuo sufficit sola fraus dantis, l. ignoti. C. de reuocãdis his, quæ in fraudem creditorũ alienata sũt. Si autem illa bona fuerũt usuris acquisita, uel ex pecunia usuraria empta, si fuerũt uendita, uenditio tenet, ex quo nulla fuit fraus, & eadem ratione uidetur, quod teneat donatio, & tenet per eãdem legem, sed quia usuris fuerunt acquisita, uel ex pecunia usuraria empta, & ille habuit titulo lucratiuo ex æquitate officio iudicis sunt uendenda pro restitutione usurarum, ut dicit Abbas, in c. cum tu. de usuris, & facit d. c. nam Papa interrogatus de omnibus bonis, restringit se ad possessiones emptas de usuris, & illas dicit esse uendendas, quod exponunt Doctores quãdo titulo lucratiuo alienatæ fuerunt. Si autem quãdo illa alienauit nõ erat soluendo, si nõ uendit, sed gratis dedit, alienatio nõ tenet, cuiuscumq; generis sint illa bona, etiam si sint paterna, quia id fecit in fraudem creditorum per d. l. Si autem uendit etiam iusto pretio, si ille, qui emit sciebat, uel dubitabat usurarium non esse soluendo, emit in fraudem creditorum, & in conscientia tenetur ad restitutionem; nec ualet, quod dicit Sotus usurarium non esse factum ob id impotẽtem ad restituendũ, cũ receperit pretium.

nam

nam pecunia expenditur, & possessiones manent, & ob id ratione uenditionis factus est impotens, & hoc procedit etiam in bonis patrimonialibus, ob quam causam. leges non solum concedunt in casu alienationis bonorum in fraudem creditorũ, actionem personalem contra debitorem, sed etiam actionem reuocatoriam uenditionis, contra illum, qui emit; creditor tamẽ quando titulo uenditionis alienata fuerunt, probare debet fraudem utriusque, uenditoris. s. & emptoris, d. l. ignoti; ratio ob quam, requiritur probatio fraudis emptoris, est quia contra illum, agitur, ut sine pretio restituat creditoribus bona empta, quod non esset iustum si bona fide emisset, unde si ille, qui mala fide emit, alteri bona fide ementi eadem bona uendisset, creditores haberent actionem non contra hunc bonæ fidei, sed contra primum emptorem, pro restitutione pretii. Et idem dicendum esse credo de socero, qui accepit dotem ab usurario qui non erat soluendo quando illam accepit, nec ualet, quod aliqui dicunt illam habuisse titulo oneroso, scilicet propter onera matrimonii, nam quod dicitur de titulo oneroso, intelligitur de illis, qui emunt, quia cum bona fide emerint, & soluerint pretium quo usurarius poterat restitutionem facere, non sunt condemnandi ad restitutionem bonorum, at socer dat genero dotem, & nihil pro ea in compensationem accipit ne creditores defraudentur, pater autem non potest dotare filiam bonis alienis, uel aliis debitis. At si quando recepit dotem usurarius erat soluendo, si habuit bona omnino munda ab usuris, ut patrimonialia ad nihil tenetur, si autem habuit bona usuris acquisita, uel empta pecunia usuraria tenetur sicut, & alii quibus similia bona donata fuerunt. sed tam ipse, quam alii, ex quo bona fide illa receperunt, & eis data fuerunt possunt expectare, quod officio iudicis ab eis auferantur, cum ista restitutio non sit facienda ex natura rei, & ipso iure, sed iudicis officio ex æquitate. Id autem, quod dicit Fed. filiam liberã esse a restitutione dotis, quam ex usuris uir eius a patre habuit, quando mortuo uiro illam recuperat ab hæredibus, uel in pecunia, uel in aliis bonis uiri, & non in bonis a patre habitis usura acquisitis, uel ex pecunia usuraria emptis, quia licet illam habuerit titulo lucratiuo tamen, non est illis reddita ab hæredibus mariti in pecunia, uel bonis usura maculatis, sed ipsius mariti, merito Abbas in cap. Cum tu de Usuris dicit esse dubium; nam dos est, quid uniuersale, & in uniuersali una res succedit loco alterius, & quia filia non debet dotari bonis aliorum, & quia etiam si esset hæ-

hæ-

hæres non debet habere quartam nisi deductis oneribus, & de bitis. hoc autem Doctores dant filiæ, & eius marito remedium si pater satis habet ad restituendum res certas, ut incertas pauperibus debitas ab Episcopo, uel à Iudice sibi in eleemolynam, & dotem applicari petat.

Ex his etiam pater, quid dicendum sit de uxore, filiis, & famulis, qui uiuunt in domo, & expensis usurarij. nam si per hoc non efficitur impotens ad restituendum usuras, quia habet alia bona, possunt illius expensis uiuere, & ab eo iustum stipendium accipere, & ad nihil tenentur; dummodo non ei seruiant in ipsis usuris. Si autem est, uel per hoc efficitur impotens, certum est, quod filii, qui aliunde sibi uictum querere possunt aliis in seruiendo, uel aliquod exercitium faciendo, non excusantur, quia etiam pater non tenetur illos sustentare. similiter etiam non excusantur famuli quorum opera quamuis sit licita, non adfert tantum utilitatis rei familiari, quantum impense, qualis est eorum, qui non nisi ad comitatum, aut mensam, aut alias res similes seruiunt; De uxore autem, & filiis, qui non possunt aliunde uiuere, dicimus cum Nau. & alijs, quod tuta conscientia possunt illius expensis modeste uiuere, & quæ eis ad uictum, & uestitum necessaria sunt ab eo accipere, & hoc non solum ratione extremæ necessitatis ipsorum, sed etiam, quia ille tanto, & plus obligatur ad illos sustentandos, quam ad usuras restituendum. de famulis etiam, qui laborando, fodiendo, uel aliud faciendo tantam utilitatem eius bonis adferunt, quanta ille expendit in eorum uictu, & iusto stipendio, similiter, & de filiis, qui aliunde uiuere possent, dicimus eos excusari, & ad nihil teneri: caueant autem ne pro stipendio accipiant bona usuris acquisita in propria specie, propter illos, qui dicunt non esse translatum illorum dominium. generaliter etiam filij, & famuli ignorantes bonis quibus sustentantur usura parta fuisse, eorum bona fide excusantur.

An contractus iure civili nullus, sit etiam nullus in conscientia, & transferat dominium. Cap. X X.

Cum res aliena sit restituenda, duo hic sunt dubia ad cognoscendum cuius sit res, & an sit restituenda. Primum est de re, quæ disponitur per contractum iure civili nullum, secundum est de pœna legis. De contractu, qui iure civili est nullus, an in foro conscientia teneat, & dominium

tran-

transferat, uel sit etiam in conscientia nullus, est inter Doctores controuersia; Et exemplum sit de testamento facto sine sufficienti testium numero sine ulla fraude, in quo institutus est alius hæres, & qui ab intestato succedit certo scit illam fuisse ultimam defuncti uoluntatem, sed quia non fuerunt inuenti tot testes, testamentum iure ciuili non tenet; dubitatur modo an in foro conscientia, qui ab intestato succedit possit agere de nullitate & hæreditatem adire, & adeundo an teneatur ad legata, uel potius debeat hæreditatem relinquere instituto hæredi. Prima sententia est, quod in foro conscientia non consideretur defectus solennitatis ciuilis, sed manifesta testatoris uoluntas, & generaliter omni dolo, & fraude semota, standum esse naturali iuri, ut contractus teneat, non obstante lege ciuili, ita tenent Abbas. S. Ant. Sylu. & alij, & probatur, quia solennitates iuris ciuilis sunt ad euitandas fraudes, ergo cessantibus omnibus fraudibus standum est iuri naturali; Et confirmatur, quia lex diuina cessante sine non obligat, ut patet de præcepto fraternæ correctionis, quod non obligat quando non speratur emendatio, de pœn. d. 7. ca. Si quis. Confirmatur etiam, quia si illo rigore seruandum esset ius ciuile, morti proximus non posset suam exple re uoluntatem, si tot testes haberi non possent. Contraria sententia est, quod contractus iure ciuili nullus, sit etiam nullus in foro conscientia; & sic tenentes in duas diuiduntur sententias, Prima est, quod licet contractus sit nullus etiam in foro conscientia, tamen qui illius uigore possidet, tuta conscientia possidet, & non tenetur restituere nisi repetatur, ita tenet Sotus, & Couar. dicit esse etiam sententiam Alex. & Rip. Secunda sententia est, quod tuta conscientia non possideat, ita tenet Couar. inquit enim implicare, quod institutus hæres testamento minus solenni hæreditatem tuta conscientia possideat, & quod hæreditas etiam in conscientia debeatur hæredi ab intestato.

Pro huius solutione unum supponemus fundamentum in materia restitutionis necessarium; quod licet quilibet habeat ius naturale retinendi, donandi, & quomodolibet alienandi pro sua uoluntate res quarum uerè ac legitime est dominus; tamen Princeps, & Lex ciuilis potest etiam uigore iuris naturalis domino prohibere alienationem, & alienationi formam præscribere, ut aliter facta non teneat, & etiam ipso inuito, rem cuius est dominus, ab eo auferre, & alteri dare. nec ulla est in hoc contrarietas, nam quatenus homo est dominus suarum rerum, ius naturale illi concessit liberam earum dispositionem, quatenus

uero

Prima sententia.

Contraria sententia subdiuiditur in duas.

Couar. de testa. in c. cum effes.

Fundamentum pro solutione questionis.

vero potest à recta ratione deuiare, ius naturale Principi aucto-
ritatem concessit condendi leges, quibus tanquam Reipublicæ
Pater, & custos, & Index disponat ea, quæ necessaria sunt ad pa-
cificam subditorum conuersationem. Quinque autem præci-
pue de causis leges disponunt de rebus in ordine ad illos, qui
sunt earum domini, seu dominis respectu suarum rerum neces-
sitate imponunt. Ad legitimam enim Reipublicæ custodiã.
Primo requiritur ne quis res suas ante plenum iudicium ratio-
nis alienare, aut de illis disponere possit, ob quam causam pro-
hibentur pupilli de suis bonis disponere, & eorum alienatio ir-
rita, & nulla redditur. Secundo, quia in quibusdam suarum re-
rum dispositionibus, & alienationibus, & præcipue in testamen-
tis multæ possent interuenire fraudes, ad illas tollendas, lex cõ-
tractibus, & testamentis quasdam solennitates, seu quandã for-
mam ita adhibuit, ut ea non seruata cõtractus sit nullus, etiam
si cõstet nullam interuenisse fraudem, ut inferius probabimus.
Et utinam Principes ad tollendas fraudes Artificum, & Merca-
torum, & eorum omnium, qui uolunt suos libros fidem facere
statuerent, quod eorum libri in quibus ipsi soli, uel eorum Mi-
nistri scribunt, non faciant fidem in iudicio, nisi libri quos gior-
nales uocant, sint a publica persona antequam in eis aliquid
scribere incipiant, & etiam in fine, signati, nam salua bonorum
reuerentia, aliquando transcribuntur, & mortui debitores con-
stituuntur, ut contra hæredes procedatur. quæ fraudes sic tolle-
rentur, cum in illis libris continue scribatur nullo relicto spa-
tio. Tertio præscriptionem inducit, qua dominium rei aliene
recte, ac legitime præscribenti tribuit, ita ut etiam si cõrtõ con-
fiterit rem illam fuisse alterius, & dominus illam repetat, pos-
sit tuta conscientia retineri, & non restitui, quia lex illius domi-
nium ab eo transtulit, & tradidit ei, qui præscripsit, in pœnam
negligentis res suas recuperare, quæ negligentia est Reipubli-
cæ damnosa, & ad tollendas lites, quæ maxima difficultate ex
defectu probationum possent iuste terminari, & ad sedandas
conscientias. Quarto cum iure naturæ partes sint propter to-
tum, potest cogere ciues, ne conseruent, sed res uictui necessa-
rias mendant, & etiam ut pro Reipublicæ, seu Principis subuen-
tione tribuant, & dent, iuxta impositiones ordinarias, & extra
ordinarias eis factas. Quinto, in malefactorum pœnam sicut ui-
ta, ita etiam suis bonis potest quemlibet priuare.

Artificũ,
& merca-
torũ frau-
dibus quo
modo ob-
niant dum.

Prima sen-
tentia.

Quo fundamento supposito sit prima conclusio. Contractus
iure ciuili nullus ex defectu solennitatis essentialiter requisi-

ta,

ta, in foro conscientie potest rescindi. Non dico absolute, quod in
foro conscientie sit nullus, sed quod potest rescindi, propter se-
quentem conclusionem. Prius conclusionem exemplis expli-
cabo. Frater meus sine filiis mortuus, me relicto, alium institu-
it hæredem, scio testamentum esse nullum ex hoc, quod non potue-
runt haberi tot testes, scio etiã nullã fuisse fraudem, sed quod ista
fuit ultima eius uoluntas; ego nihilominus contra uoluntatem
fratris mei possum frui beneficio legis, & agere de nullitate tes-
tamenti, hæreditatem ab intestato adire, & illam tuta conscientia
possidere. Patris mei testamentũ multa continet legata (non lo-
quor de legatis ad pias causas) sed cũ testamentũ ob defectum
solennitatis requisitæ sit nullũ, acceptã hæreditate cum ab inte-
stato succedam, non teneor in conscientia legata implere. Et
probatum primo supposito leges ciuiles obligare etiam in con-
scientia, ut probauimus 2. p. lib. 3. c. 2. Leges ciuiles, quæ con-
tractibus solennitatem inducunt sunt iustæ, ad tollendas frau-
des, propter publicum commodum, & illa maxime, quæ in te-
stamenti tot testes requirit, cum actus testandi sit grauis, & mil-
le obnoxius fraudibus, & huiusmodi leges sunt uniuersales, &
nullam prorsus exceptionem faciunt, sed instrumenta, & testamẽta
aliter facta rescindunt, & nullius uigoris esse statuunt, & decla-
rant, ergo cum leges ciuiles iustæ, in conscientia sint admittendæ,
isti contractus, & ista testamenta iure ciuili nulla, tuta consci-
entia poterunt rescindi. Et confirmatur primo, quia re in iudiciũ
deducta, etiam si manifeste constet illam fuisse testatoris uolu-
tatem, & nullam interuenisse fraudem, sed unum defuisse testem,
quia haberi non potuit, & etiã si hoc totũ fateatur ille, qui ab in-
testato succedit, & petit rescindi testamẽtũ, Index secũdũ leges
testamentũ nullũ esse declarabit, & hæreditatẽ, excluso institu-
to hærede, dabit illi, qui ab intestato succedit, & ita secũdũ le-
ges iudicare debet, & tenetur. Et si pupillus ab intestato succe-
dens, grandior factus contra tutorem agat, qui ob timorẽ conscie-
tiæ noluit pro pupillo opponere de nullitate testamẽti, cõdena-
bitur tutor, & tenebitur pupillo resarcire dãnũ. dicere autem,
quod sententia iusta, non ex præsumptione, sed omni cessante
fraude, ex iusta legum dispositione, hominem tutum in conscie-
tia quoad Deum non reddat, uidetur durum, & temerarium,
sic enim infirmarentur leges, & Iudices, qui secundum illas iu-
dicare tenentur essent extra statũ salutis; Et confirmatur, quia
hac eadem ratione dicitur Iudicem debere condẽnare ad mor-
tem innocentẽ, qui falsis testibus cõuincitur homicidiũ fecisse,
licet

licet certo sciat illum esse innocentem, & in hoc eum non peccare, ut diximus in 4. lib. c. 25. Confirmatur 2. quia solennitas quando ita à lege requiritur, ut contractus irritentur, si fuerit omiſſa, non solum conſideratur, ut probatoria, sed ut forma essentialis contractus, quia contractus non irritatur nisi ex defectu alicuius essentialis, ergo si illa forma est essentialis, quantumcunque constet de conuentione, dispositione, & uoluntate sic contrahentium, instrumentum, & testamentum perinde est, ac si non fuisset factum, & illæ conuentiones, & dispositiones uigore illius instrumenti, seu testamenti non tenent, etiam in foro conscientiæ. Confirmatur tertio, quia ad omnem actum requiritur uoluntas, & potentia, sed per leges ciuiles nõ potest quis sine solennitate iuris testari, ergo cum ab eo auferatur potestas parum proderit eius uoluntas, quantumcumque sit manifesta. Nec obstant contraria argumenta, nam licet iure naturali, & diuino, omne uerbum stet in duobus, aut tribus testibus, tamen quando res est grauis, & multis fraudibus exposita, uigore eiusdem iuris, lex non solum ciuilis, sed etiam Ecclesiastica potest plures testes ita requirere, ut pauciores non sufficiant, ut patet in causis contra Prælatos, & in testamentis. Nec obstat, quod constet ueritas, & cesset fraus, & consequenter finis legis, nam ad hoc, quod cesset obligatio legis non sufficit, quod cesset illius finis in casu particulari, sed debet cessare generaliter, & exemplum de fraterna correctione non facit ad rem, quia illius finis non est bonum commune, sed particularis emendatio fratris, & aliud conuenientius possumus adducere de ieiunio, à quo non liberatur ille cui ieiuniũ, & cibi ieiunij profunt corpori. Quod si dum requiritur in testamentis tanta solennitas, quis citra suam culpam, & negligentiam ob fortuitum euentum non potest de suis bonis disponere, hoc est per accidens, nam leges respiciunt bonum commune, & uniuersale, & non singula particularia, & hoc etiam idem est respectu iuris naturalis si non possint haberi duo testes. Sed quod hic difficultatem facit est, cap. Cum esses. de testa. Vbi Alex. 3. sic respondet Episcopo Hostiensi. *Cum esses in nostra presentia constitutus, proposuisti talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere, quod testamenta, quæ fiunt in ultima uoluntate penitus rescindantur nisi cum subscriptione 7. uel. v. testium fiat, secundum quod leges humanae decernunt, quia uero à diuina lege, & sanctorum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id nõ scitur esse alienum, cum scriptum sit, quod in ore duorum, uel trium stet omne uerbum, præscriptam consuetudinem improbamus, & testamenta, quæ pa-*

Solutio
contrario
rum argu
mentorum.

Obiectio.

rochiani

rochiani coram Præbitero suo, & tribus uel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint uoluntate firma decernimus permanere, sub interminatione anathematis prohibentes ne quis huiusmodi audeat rescindere testamenta. Glosa duas ibidem dat huic Capitulo interpretationes. Prima, ut loquatur de testamentis ad pias causas, de quibus est etiam, cap. sequens. Secunda, quod non loquatur de omnibus, sed pro locis in temporali dominio Ecclesiæ subiectis. Et quod Papa non intendat reprobare tot testium requisitionem quasi iuri diuino contrariam, patet quia aliquando Ecclesia requirit 74. testes, aliquando 27. aliquando 7. cap. Præsul 2. q. 5. Duo quidem sufficerent nisi hominum nequitia obstaret, & propterea ius diuinum ita generaliter dicit sufficere duos testes, quod non excludit plurium requisitionem, imo ius naturale stante hominum nequitia in actibus fraudibus expositis tot suadet requiri, quot iudicantur sufficientes ad obuiandum fraudibus, uirtute cuius naturalis iuris, leges tot in testamētis requirunt testes, & consequenter Papa non potuit illas Principum leges corrigere, cum sint iuri naturali consonæ, ipse enim Papa fatetur se Principum leges non corrigere nisi quatenus sunt contra ius diuinum, cap. cum aduersum, & c. duo sunt dist. 96. dicimus ergo cum Glosa, quod illud capitulum, uel loquitur de legatis ad pias causas, uel continet dispositionem pro territorio Ecclesiæ de quo est Hostiensis Episcopatus.

Solutio.

De illis, quæ possidentur contractu iure ciuili nullo, an sint restituenda ante quam repetantur. An testamenta, & legata ad pias causas requirant tot testes. De conditionibus, quæ habentur, ac si posita non fuissent, & de illa si nupserit, si efficitur Monialis. Cap. XXI.

Secunda conclusio. Quod possidetur contractu, seu testamento iure ciuili nullo, tuta conscientia possidetur, donec repetatur. Notanter dixi iure ciuili nullo, nam secus si sit contra ius naturale, ut si contractus sit usurarius, uel aliter iniustus, uel si sit factus à pupillo, uel mente capto, & sit eis damnosus. Ista conclusio uidetur præcedenti contraria, Sed non est, nam quod possidetur contractu, seu testamento iure ciuili nullo est restituendum, non ex natura rei, sed ex legis dispositione, quæ uigore illius contractus, seu testamenti, non transfert dominium, sed quia nisi lex obstaret, dominium illo

Secunda
conclusio

con-

contractu iure naturæ transferretur, & lex ita generaliter statuit pro uniuersali bono illum contractum esse nullum, ut in particulari casu æquitas suadere possit, quod ille contractus seruetur, & ille de cuius interesse agitur possit beneficio legis renunciare, noluit cum tanto rigore contractum, seu testamentum nullum reddere, ut sic acquisitum retineri non possit, etiam si non repetatur. Quod etiam probatur à simili, nam pœna legalis ipso facto incurritur, & est in conscientia debita, sed ante cōdemnationem nullus illam soluere tenetur, ut dicemus, cap. sequenti. Emphiteuta in casibus de quibus in cap. Potuit de loc. & cond. rem in Emphiteusim habitam ipso iure perdit, & tamē non tenetur illam restituere antequam dominus proprietarius illam petat, & si non petit, uel non declaret se uelle petere non censetur amissa, ut diximus p. p. lib. 3. ca. 7. ubi etiam ostēdimus excommunicationem ipso facto incurrendam aliquando suspēdi. Si in electione non fuerit uocatus unus eligentium, nisi ille qui non fuit uocatus consenserit, electio etiam post confirmationem, & consecrationem ad illius instantiam est penitus irritanda, sed non ob id est ipso iure nulla, & nisi ille opposuerit, electio firma remanet, ca. Quod sicut, & ca. Bonæ de elec. & Abbas ibid. & in cap. Quia propter eod. tit.

Illatio cōtra Bal.

Ex quo sequitur falsum esse, quod dicunt Bal. & Ias. legatariū qui rem legatam in minus solenni testamento consequi non potest, iuste posse eam furto subtrahere, quia licet ex æquitate sit debita, non tamen iure, cum illud testamentum sit etiam nullū in foro conscientiæ, per primam conclusionem; & quando in secunda conclusione dicitur habitum uigore illius testamēti posse se tuta conscientia retineri donec repetatur, nō intelligitur de clandestina, & furtiua acceptione, quod enim sic illius uigore accipitur retineri non potest, cum illud testamentum minus solenne non det actionem, nec exceptionem, quod requiritur ad hoc, ut sibi debitum, occulte accipi possit, quando non potest aliter haberi.

Tertia cōclusio de legatis ad pias causas.

Tertia conclusio. Testamentum, & legata ad pias causas, tenent etiam si non sint nisi duo testes fide digni. Ista conclusio habetur expræsse in cap. Relatum de testam. & hoc non solum de iure canonico, sed etiam de iure ciuili in fauorem piæ causæ. Vbi circa dispositionem, d. cap. Relatum, Couar. ibidem notat, primo, quod illius dispositio procedit non solum coram Iudice Ecclesiastico, sed etiam coram seculari, nam quoties apud secularem iudicem est controuersia de legatis pijs, iudicium ferendum

rendum est, iure canonico adunguem seruato, & non iure ciuili etiam si Iudex non sit quoad temporalia Romanæ Ecclesiæ subiectus. 2. Si testamentum principaliter fiat causa pietatis, coram duobus testibus, ualet etiam quo ad reliqua legata in eo relicta laicis, nulla ex causa pietatis, nam principale trahit ad se accidentia; An autem ualeant legata ad pias causas facta in testamento minus solenni non causa pietatis, dubium est apud Doctores, & multi dicunt non ualere, ex eo, quod testamentum ex se est nullum, & quod hæreditate non adita pia legata non sunt soluenda; sed cum Couarr. alios sequimur, qui dicunt pia legata omnino ualere, etiam si testamentum in quo fuerunt relicta sit inualidum quoad hæredis institutionem, & illa soluenda esse, etiam non adita hæreditate. 3. hoc cap. intelligendum esse, etiam si duo testes non sint rogati, nam in his legatis pijs sufficit iuris gentium solennitas, quæ non exigit rogari testes. 4. Fœminam etiam posse esse testem, nam si ius ciuile fœminas excludit à testimonio testamentario, id fecit, quia ueteres ad solennia, nec seruum, nec fœminam, nec peregrinum admittebant, & non quod imbecillis, & inconstans fœmina sit, nam hac ratione in nullis actibus admittendum esset eius testimonium, & tamen in alijs contractibus, & actibus admittitur. Alia multa deducit, quæ consulto omitimus.

Quarta conclusio. Legata facta sub conditione impossibili, turpi, & impeditiua maioris boni, debentur, & illa conditio habetur pro non apposta. Pro restitutione ratione rei alienæ, uidentum est an semper conditio legatis, donationibus, & cessionibus apposta, per hoc, quod non adimpletur, legatum, seu donationem nullam reddat, adeo quod illi cui facta est donatio nullum competat ius, & nihil sit dandum, & si habuit restituere debeat. De conditione possibili licita, & honesta nullum est dubium, certum enim est, quod ea non extante legatum est nullum. Sed sunt aliæ conditiones, quæ non possunt, uel non debent adimpleri, & perinde est ac si apposta non fuissent, & legatum, promissum, seu donatum debet solui, ac si liberè, & sine ulla conditione factum fuisset; & quod de legato dicimus, etiam de donatione intelligimus. huiusmodi est primo legatum factum sub conditione impossibili. l. obtinuit. ff. de cond. & dem. quod non solum intelligitur de impossibili simpliciter, sed etiam de impossibili legatario, licet in se sit possibile. Ex quo sequitur distinguendum esse de defectu conditionis pos-

Quarta cōclusio de legatis sub conditione

De conditione impossibili, uel simpliciter, uel legatario.

O sibilis,

sibilis, & honestæ, nam si conditio adimplenda est à solo legatario, si sine sua culpa, & mora aliquid fortuitum accidit, per quod conditio illi redditur impossibilis, non propterea amittitur legatum, ut si erat de manumittendo seruo, qui interim naturali morte mortuus est. at si fuit in mora, legatum amittitur; quod si ab alio fuit occisus cum habeat actionem contra occisorem, de æquitate dandum est illi legatum, si occisor non est soluendo. Si autem impletio conditionis consistit in facto legatarij, & etiam alterius, si alterius defectu non impletur sine culpa legatarij, non amittit legatum, quia per eum non stetit. Idem dicendum est de legato facto alicui Ecclesiæ sub conditione, quod ibi sepeliatur, si quid accidat propter, quod non debeat ibi sepeliri, ut quia seipsum occidit, uel est excommunicatus, non amittitur legatum. Ad hanc etiam rationem reducere possumus legatum factum de re aliena, quam testator sciebat esse alterius, & non hæredis, & se nullum in eam habere, nam cum impossibile sit legatario illam habere, hæres tenetur illam emere, uel dare ei æstimationem, si illam habere non potest. C. de legat. l. cum alienam, quia virtute legati apparet, quod uoluntas testatoris fuit rem illam legatario donare, & cum sciret non esse suam, uideatur eius intentionem fuisse, quod pro illo emeretur. at si legauit rem cuius commercium haberi non potest, ut rem sacram, uel Principis, legatum est inutile.

De conditione turpi, & impeditiua melioris boni.

De conditione sine nuptiis, & si efficitur monialis.

Secundo est legatum factum sub conditione turpi, uel impeditiua melioris boni, nam huiusmodi conditio reiicitur, & legatum est soluendum. Exemplum habetur in l. Cum ita ff. de cond. & dem. ubi dicitur de legato facto sub conditione si nupserit Ticio, quod si non nupserit illi, quia est indignus eius nuptijs, non perdit legatum, secus si potuit illi honestè nubere. Sed dubitatur de huiusmodi legato, Pater reliquit filiæ ducenta si nupserit, uel si habuerit filium, & centum si efficitur Monialis, & supponamus, quod legitima sit centum. Communis sententia est, quod si efficitur Monialis debet habere ducenta, & illa conditio habetur pro non apposta, quia est impeditiua uitæ contemplatiuæ, nam potest filia ne amittat legatum abstinere ab ingressu Religionis. ita tenent Bart. Soc. Anton. Aret. Fel. Ias. & alij Legistæ, & etiam Summistæ Verb. Legatum, & V. Hæreditas. & probant ex §. Sed, & hoc præsent. in Auct. de Sanct. Episc. Col. 9. ubi has omnes condiciones, si nupserit, si liberos susceperit, & alias similes, cum personæ qui-

quibus legatum, uel hæreditas sub illis relicta est, Religionem ingrediuntur inualidas esse, & pro non appostis habendas esse decernitur. Et confirmant, quia illa conditio si non nupserit expressa à testatore, per multas leges ff. de cond. dem. fauore nuptiarum tollitur; & in l. Titij eodem tit. dicitur Titij si non nupserit ducenta, si nupserit centum legauit, nupserit mulier, ducenta, non etiam centum residua petet; at constat, quod fauor Religionis præferendus est fauori nuptiarum.

Sed huius rei ueritas nõ consistit in multitudine Doctorum sic tenentium, sed in ratione, & ideo cum Couarr. contrariam sententiam ueriores esse censeo, quod euidenter probatur, nã si illa testatoris conditio reiicitur tanquam non scripta, & nulla, hac sola ratione reiicitur, quia est turpis, & impeditiua uitæ contemplatiuæ; sed hoc est falsum, & conditio potest esse honesta, & sancta. Primo, quia non est opinione, nec cogitatione dignum aliquem uerè pium, & catholicum ob id Religionis institutum omittere, quod bonis, ac rebus temporalibus quibus renūciat, ex uoluntate testatoris ei necessarium sit carere, imo frequenter ipsa paupertas Monasteriorum; maiorem occasionem exhibet Christianis in eis Religionem profiteri, quo maiori cum merito, ut mendici, uitam humanam tot periculis diuitiarum occasione obnoxiam, humiliter peragant. Secundo, quia iustissimè, & sanctissimè potest testator rationibus moueri, quibus filiæ relinquat ducenta si nupserit, & centum si monasticam uitam elegerit, tum quia nubenti maior dos necessaria est, propter maiores sumptus, & maiora onera Matrimonij, quam Religionem profitenti, tum etiam, ut aliis filiis, & filiabus maiorem partem bonorum relinquat. Et confirmatur primo, quia nubentium dotes adeo excreuerunt, quod ciuis mediocriter diues, si plures habet filias, non potest omnes matrimonio tradere iuxta conditionem suam, nisi ad mendicitatem redigi uelit, adeo quod cogitur unam, aut alteram nuptui dare, & alias nisi uelint esse Moniales, domi innuptas retinere; quomodo non erit huius mens, & dispositio sanctissima, si uni relinquat mille si nupserit, & ducenta si Monialis efficitur, ut sic casu, quod nolit nubere, eius soror, quæ defectu dotis cogereretur manere innupta, possit matrimonio iungi? Confirmatur secundo, quia si quis legatum fecerit pro maritandis singulis annis aliquot puellis, tuta conscientia (ut credo) non potest illud legatum dari aliis, quæ uolunt Religionem ingredi quando sunt, quæ defectu dotis non pos-

Contraria sententia. Couarr. lib. 1. Var. Resol. ca. 19. nu. 10.

sunt nubere, nam licet illud opus sit perfectius, hoc tamen est bonum, & sanctum, & testator pro illo tantum legatum fecit, non in præiudicium Religionis, sed ne illæ, quæ uolunt nubere, & non possunt, meretrices efficiantur. Confirmatur tertio, quia iuxta Ioa. Lupi. Alex. & Ias. quos citat, & sequitur Couar. illa conditio in primogeniis, maioratibus, & meliorationibus est admittenda, ita quod primogenium, uel melioratio, nec Monachis, nec Præsbyteris competere possit, & eo ipso, quod quis eiusmodi bonorum possessor præsbyter, aut monachus factus fuerit, ea bona statim sequenti ex familia deferantur; nam ista conditio non est, ut a Religione, quis auertatur, sed in familiæ fauorem, ne ea bona extra familiam alienentur, & quia similes institutiones primogeniorum, & ipsa primogenia minime conueniunt Monachis, & Præsbyteris. Confirmatur quarto, quia ut probat Decius citatus, & sequitur à Couarr. non est locus Monasterio, sed si de commissario substituto ea conditione si sine liberis institutus decesserit, quoties aperte testator excludi monasterium, quod institutus ingreditur statuerit, & etiam ex certissimis coniecturis hanc fuisse testatoris uoluntatem colligi potest. Confirmatur tandem, quia Pater non tenetur filiæ, aut filio, tam magnam partem relinquere, sed solam legitimam, ultra quam potest de rebus suis ad libitum disponere, si ultra legitimam legatum facit uni filio, casu quod ducat uxorem, & si non duxerit deuoluatur ad alium filium, qui ducet; quis dicet illum hac conditione à Religione retrahi, & hanc conditionem esse illicitam, & non potius iustam, & sanctam? nam qui uxorem ducit, & filios procreat maiori indiget auxilio; & non tenetur pater bonis suis alium filium priuare, ut illa det monasterio, quod alter ingreditur, sed contentum sit Monasterium legitimam, quando pater non in Religionis contemptum, sed ut alterius filij necessitatibus subueniret, sic disposuit. Dicimus igitur, quod si patris legatum hac conditione factum esset ad retrahendum filium, aut filiam à Religione, conditio esset reiicienda, ac si non fuisset apposta; si autem illa conditio fuit apposta ex causis superius dictis, tenet, & est seruanda, & credimus hoc procedere etiam si pater expressè non excludat Monasterium, quando aliter illius habetur uoluntas. At si præsumitur, quod idem legatum de ducentis, si nupserit, fecisset si de ingressu Religionis cogitasset, ingrediens debet habere ducenta, quare

quare autem fuerit illa conditio apposta, ex testamenti dispositione, & filiorum multitudine, & illius facultatibus, & etiã quia quilibet præsumitur bonus, nisi constet de contrario facile haberi poterit. Et lex illa ciuilis sic sanè intelligenda est, ne quod pro Religione est institutum, contra Religionem militet. & ad d. l. Titia dicimus hac in re non esse penitus recipiendam argumentationem à matrimonio carnali, ad spirituale, nam Iurifconsulti præmissam conditionem si non nupserit à legato reiecerunt in fauorem reipublicæ circa procreationem liberorum, in odium cœlibatus, quem ueteres Romanorum leges quibusdam pœnis persequebantur, qui fauor non tribuitur à iure professioni Religionis, licet Religionis status sit perfectior illo conjugatorum, quia Matrimonium est in remedium fornicationis, & est à natura institutum in humani generis conseruationem, & propterea facilius reiicitur illa conditio si non nupserit, quam illa si Religionem non ingrediatur; & præterea, quia non est eadem ratio istarum conditionum, nam prior uidetur quandam turpitudinem præferre, scilicet si non nupserit ducenta, & si nupserit centum, nam si nupserit magis indigebit, & est magis iuuanda. Illa autem si non efficitur monialis ducenta, & si non efficitur centum, uidetur rationalis, quia si ingrediatur Monasterium non ita indigebit, sicut si non ingrediens matrimonio iungatur, & propterea potest (ut diximus) esse sanctissima. Et qui has condiciones ponunt specificent in suis testamentis se non id facere ad retrahendum à Religione, sed ad subueniendum alijs filijs, & nepotibus indigentibus; & ad tollendas lites illi quibus sub hac conditione non in Religionis contemptum, sed ex rationali causa legata relicta fuerunt, ante Religionis ingressum, deberent iuxta conditionem, in fauorem substitutorum cedere omne ius, quod eis occasione illorum legatorum competere posset.

*De pœna legali, & de re sub conditione, uel modo tradita, & de an commisso delicto, & non adimpleta conditio-
ne, seu modo, sint statim ante condemnationem restituende. Cap. XXII.*

Dubium est de pœna legali alicui delicto apposta, ipso facto incurrenda, an per commissionem delicti ante condemnationem statim ipso facto fuerit acquisitum ius Fisco, & pœna fuerit illius effecta, & con-

Abb. de
Const. ca.
Canonū.
Quod ad
pœnā ipso
facto in-
currēda
requira-
tur condē-
natio.

sequenter ante condemnationem sit in conscientia soluenda, & Filco cuius est, restituenda. Abbas quem aliqui sequuntur tenet partem affirmatiuam. Contraria sententia potest dici communis, ita tenent S: Tho. Contr. Adr. Caie. Sylu. Archid. Anchar. Philip. Franc. Ioa. And. Glosa quos citant, & sequuntur Sotus, & Couar. Et probatur primo, iure diuino, delinquens nihil tenetur restituere præter damnum, quod proprio delicto intulit, ad pœnam autem pro culpa per legem ciuilem, uel canonicam statutam, non tenetur iure diuino, sed uigore illius legis; leges autem Ciuiles, & Canonicae præsertim pœnales in tantum obligant, in quantum sunt receptæ, ut probauimus p. p. lib. 3. c. 9. sed leges pœnales etiam canonicae (non loquimur de spiritualibus de quibus inferius) dato, quod essent factæ cum obligatione statim ipso facto soluendi pœnas in conscientia absq; aliqua cōdemnatione, & cū hac expressa specificatione; quoad hoc nulli sunt receptæ, & certum est uniuersalem consuetudinem esse in contrarium, ergo ante condemnationem pœna in cōscientia non est soluenda. Probatur secundo, ex c. Cum secundum. de hæret. in 6. ubi hoc expressè uidetur determinatum, cum. n. Papa gratia exempli, aliquas adduxisset leges etiam contra hæreticos, quæ eo ipso bonorum suorum amissionem, & eorūdem confiscationem inducebant, statuit quod huiusmodi confiscationis executio, uel bonorum ipsorum occupatio non fiat antequam per Episcopum loci, uel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata; ex quo aperte concedit reo suorum bonorum usum vsq; ad condemnationem. Tertio licet pœnam ipso iure lex infligat, æquissimum tamen naturæ ius illæsum seruat, quod est, ut reus audiatur; nam lex in uniuersali statuit, & non potest ad singulas contingentium circumstantias descendere, sed hoc per Epichæiam relinquit Iudici; possent autem tales esse circumstantiæ alleuiantes, quod illa pœna non debeat sed longe minor, ut ignorantia, infirmitas, uehemens occasio, propter quas uidemus iudices etiam in crimine læsæ maiestatis, & in crimine hæresis mitius agere, ergo ad pœnæ solutionem requiritur condemnatio. Et confirmatur, quia aliàs duo hic naturæ parum consona fateri oportet, primum, quod reus sit iudex sui ipsius, nam debet perpendere an delictum suum, ratione circumstantiarum tantam mereatur pœnam, quantam lex infligit; secundum quod ipse sit minister, & exequutor legis contra se, & sit agens, & patiens; hoc quidem fit, & omnibus facien-

dum

dum est in iudicio animæ, quod est ad misericordiam, & ueniā à Deo impetrandam, secus in iudicio exteriori, quod tendit ad pœnam. Confirmatur etiam, quia leges humane, secundum Isidorum debent esse tolerabiles, ad hominum imbecillitatem accomodata, quas possint ferre etiam illi, qui non sunt ad eam uirtute progressi; si lex homines sic obligaret, & astringeret, ut sua substantia quantumuis locupleti, sua se sponte nudaret, esset intolerabilis, & suauis leuiq; iugo Christi, longe dissimilis.

Sed dubium est an post sententiam condemnatoriam reus tenetur in conscientia ex se soluere pœnam, uel possit expectare executionem sententiæ. Ad quod respondetur, quod si pœna sit mortis, aut læsionis corporis, non debet illam sibi infligere, sed pati à ministris iustitiæ, nam iure naturæ nobis concessū est tueri propriam uitam, & quod nulla obedientia cogi possimus, ut in nos ipsos ultrices manus iniiciamus, & propterea licet iuste condemnatus ad mortem, uel mutilationem, non possit ui resistere, non tamen potest iuste condemnari, ut ipse sibi mortem inferat, uel ne fugiendo, aut alia uia si potest, mortem, aut mutilationem, aut etiam perpetuum carcerem, qui morti quodammodo æquiparatur, sibi caueat. At si sit alia pœna, ut pecuniam soluere, in exilium ire, manere in carcere, Sotus dicit quod condemnatus tenetur parere. Couar. dicit, quod tenetur iudici exequenti sententiam obedire, & ei non resistere, non tamen teneretur ipse contra se sententiam executioni mandare. Mihi magis placet sententia Soti, quia unus quisque potestati- bus obedientiam debet, nisi aliquo iure diuino, aut naturali excusetur, ergo cum in istis casibus nulla sit excusatio, non requiritur alius legis exequutor, quam sententia iudicis. Adde tamen, quod si pœna sit talis, quæ communiter exequatur à ministris iustitiæ, ut bonorum confiscatio, potest expectare, quod accipiantur, uel etiam in minori summa grauetur. At si est talis, quod sit exequenda à reo, ut in exilium ire, per aliquod tempus in certo loco manere, illam debet ipsemet exequi, & non uelle, quod à satellitibus ducatur, & semper custodiatur.

Non loquimur autem de Ecclesiasticis censuris læsæ sententiæ, nam istæ ipso facto ligant, & incurruntur absque aliqua declaratione, quod est certissimum, & ab omnibus receptum, & sic in Ecclesia praticatur, & ex Euangelica auctoritate deducitur, dicit enim Christus. Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethniscus, & publicanus. qui ergo à iure, uel à iudice admonitus sub sententia excommunicationis, est inobediens, ipso iure est ex-

O 4 com-

An post
condēna-
tionē pos-
sit expe-
ctari exe-
cutio.

Censuræ
Ecclesia-
sticæ ipso
facto ligant

De ratio-
ne diffi-
cultatis.

communicatus. Quare autem istæ pœnæ spirituales non requirant condemnationem sicut aliæ Caiet. hanc reddit rationem, quia istæ sunt mere priuationes, & passiones ad quas reus ipse nō debet ueluti agens concurrere, aliæ uero requirunt actionē, ac proinde executorē. Sotus illā impugnat, quia sūt etiā multæ pœnæ legales, quæ sunt priuationes, & non actiones, ut non eligere, non uti aliqua re. Et hanc rationē reddit, quia pœnæ legales priuant hominem suis bonis proprijs, & excommunicatio priuat tantum bonis communibus, quorum Ecclesia est dispensatrix, suffragiis. s. & susceptione sacramentorum, & propterea Ecclesia potest excommunicare ipso facto absque cognitione causæ. Sed ista ratio non est sufficiens, quia excommunicatus priuatur etiā bonis proprijs, nam conuersari non potest, nec eligere, aut eligi, non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia. Dicimus ergo rationem esse, quia istæ pœnæ sunt spirituales in ordine principaliter ad spiritualia, & consequenter, & secundo sunt etiam in ordine ad temporalia; ut sunt spirituales illis primo, & principaliter declaratur quis indignus, & inhabilis ad spiritualia, & ab illis excluditur, & istæ quando sunt latæ sententiæ, non indigent alia declaratione, sed ipso facto incurruntur, quia per inobedientiam, & peccatum satis constat de inhabilitate, cum spiritualia sanctitatem requirant, & etiam quia tanquam spirituales pro foro conscientie sine alia declaratione inferuntur. Ad temporalia autem istæ pœnæ spirituales duplicem ordinem habere possunt, primus est quo ad acquirenda, secundus quo ad acquisita, quo ad acquirenda, ad illa inhabiles reddit propter ordinem, quem habent ad spiritualia, quia sunt spiritualibus annexa, ut beneficia, & beneficiorum fructus, uel si sunt mere temporalia, ut officia secularia, sunt cum cōmunionem fidelium à qua excōmunicati excluduntur; & cū ad illa inhabiles reddant, qui ecclesia sticis censuris ligati illa percipiunt, sine iusto titulo indebite, & furtiue percipiunt, & consequenter in conscientia sine alia declaratione tenentur ad resignationē, seu restitutionem sic indebite, & sine iusto titulo furtiue susceptorum, & ista restitutio, seu resignatio proprie non est pœnā, sed de iustitia ex natura sua debita. Sed quo ad acquisita iusto titulo non furtiue, sed legitime habita & non impedito, eorum priuatio est simpliciter pœnā, quæ ante condemnationem in conscientia non debetur, sed requiritur condemnatio in foro iudiciali. At aliæ pœnæ impositæ a legibus ciuilibus, & etiam canonicis sunt temporales pro pœnā deli-

delicti, & respiciunt forum iudiciale, in quo est uocandus, & audiendus delinquens, & consideranda est grauitas delicti, & propterea, & etiam propter alias rationes adductas istæ pœnæ ante condemnationem in conscientia non sunt debita.

Verum notanda est hoc loco differentia inter leges pœnales Ecclesiasticas, & ciuiles, nam Papa cum sit Iudex, moderator, & rector spiritualium, & conscientie potest suis legibus infligere pœnas temporales in conscientia absque aliqua condemnatione soluendas, sed tanquam pius, & misericors pater cōmunititer non facit, & etiam, quia non expedire, attento maxime, quod ex humana fragilitate huiusmodi leges quoad hanc partem, uel non reciperentur, uel per contrariam consuetudinem facile tollerentur. At Princeps secularis (ut diximus lib. 3. cap. 2. conc. 5.) licet possit suis legibus obligare etiam ad mortale, non ita tamen sicut Prælati, & propterea non potest suis legibus obligare in conscientia ad solutionem pœnæ ante condemnationem, nisi quatenus infligunt pœnas in conscientia debitas ratione restitutionis necessario faciendæ, qualis est lex contra virginem ui, aut dolo constuprantem, nam iste etiam si non esset lex, tenetur in cōscientia illam dotare, uel in uxorem ducere, quales etiam sunt illæ, quæ condemnant ad resarcienda damna illata, qualis etiam est lex illa ecclesiastica de restitutione fructuum beneficiorum ob non recitatum officium, nam cum beneficium detur propter officium, qui illud non recitat, non facit fructus suos, & si perseverat nūquam recitando, non potest in conscientia retinere beneficium, & istæ leges proprie non sunt pœnales, sed declaratorie restitutionis faciendæ, quæ etiā taxant, & statuunt quantum, & quomodo restituendum sit, & propterea nulla indiget declaratione, sed statim ipso facto in cōscientia obligant, etiā si forma legis sit pœnalis, quia uerba legis sunt amplianda, uel restringenda, & declaranda iuxta naturam rei, quando res ipsa est de iure naturæ, ut est restitutio.

Sed quia ex solutione contrariorum argumentorum ueritas magis patebit, illa breuiter subiiciemus. Primum est, quia huiusmodi leges non habent minorem uim obligandi ad pœnam, quam ad culpam, sed ad culpam obligant ante Iudicis sententiam, ergo etiam ad pœnam. Respondetur, quod lex obligat ad pœnam, & ad culpam, sed diuersimode, nam cum sit regula eo ipso, quod quis ab ea desit peccat, pœnam autem hic soluendam illa statuit, & propterea iudicem requirit, qui illam applicet. Secundum, Iudex per suam sententiam obligat ad

pœnam,

de differentiā inter leges pœnales Ecclesiasticas, & ciuiles.

Pœnæ de restitutione debita non indiget de condemnatione.

Argumenta contraria cū solutionibus. Primum argumentum. Solutio.

Secundum argumentum

Solutio.

Tertium argumentum.

pœnam, ergo multo magis obligat lex se ipsa, quia est maioris uigoris, quam sit Iudex. Respondetur, quod Iudex operatur tanquam minister, & uirtute legis, & propterea non sequitur, quod sit maioris uirtutis lege. Tertium, quia c. Si qui de præscr. in 6. distinguuntur duo modi quibus potest aliquis bonis suis priuari, aut per sententiam, aut ipso iure; iuxta quos modos uidemus leges pœnales sub diuersa forma statui, nam aliæ explicant sententiam ferendam, illæ scilicet quæ tantum sunt comminatoriæ, aliæ pœnam ipso facto infligunt, ut contra incestuosas nuptias, contra hæreticos, cap. Cum secundum de hæret. in 6. & in extrau. Ambitiosa Pauli 2. in qua alienantes bona Ecclesiastica suis beneficiis, & dignitatibus absque alia declaratione priuantur. Respondetur concedendo his duobus modis leges pœnas apponere, sed distinctio inter illas non est, quod pœna ipso facto, uel iure posita, sit ante condemnationem in conscientia soluenda; sed quia quando pœna est ipso iure, satis est, quod reus condemnetur de crimine, ut de hæresi, de crimine læsæ maiestatis, tunc etiam si in sententia nulla fiat mentio de pœna, illa intelligitur exequenda, at quando pœna non imponitur ipso iure, uel relinquitur arbitrio Iudicis, sententia condemnatoria debet ferri non solum super crimen, sed etiam super pœnam (non loquimur modo de censuris lætæ sententiæ, nam istæ ut diximus ipso facto incurruntur) Quod si lex ita pœnam ipso facto imponeret, quod specificaret in conscientia ante condemnationem, aut aliam declarationem esse soluendam, Doctores dubitant, ego quidem dubito an Principes seculares possint, sic ad pœnas obligare, & propter rationes adductas inclino in partem negatiuam; de Papa autem non dubito cum sit Iudex conscientia, sed non expedit sic pœnas ponere, quia illæ leges, quæ ad hanc specificationem raro recipiuntur, & quando Confessori occurrit casus, uideat an illa lex, quæ ad hoc sit in usu.

Amisio
ob non ad
impletam
conditio-
nem statim
inducit ob-
ligatio-
nem resti-
tuendi.

Est autem hoc loco diligenter notandum, ut ea, quæ diximus, intelligantur de pœna proprie dicta, & non de rei amissione, ob non seruata conditionem; ista enim proprie non est pœna, & quod alicui datum est sub conditione, illa non seruata, est restituendum in conscientia absque alia sententiâ declaratoria, quia illius dominium non fuit datum simpliciter, & absolute, & deficiente conditione non est amplius illius dominus, sed id factum est alterius, iuxta conditionem appositam, & propterea est restitutioni obnoxium tanquam alienum, & inuito domino retentum. Sed, ut in gratiam Confessorum ad aliquos particulares casus

de-

descendamus. Quidam testis in iudicio legitime interrogatus super crimine ob quod bona confiscantur, negat ueritatem, ob quam causam reus absoluitur, non tenetur (ut inquit Nau. c. 25. nu. 51.) restituere fisco id, quod habuisset, si reus condemnatus fuisset, Et sequitur ex dictis, quia pœna ante condemnationem in conscientia non debetur, & Fiscus ante condemnationem nullum habet ius ad illam exigendam, & interesse remotum, & extra rem, non debetur l. si sterilis §. cum per uenditorem, ff. de actio. empt.

Maritus uxorem suam usufructuariam suorum bonorum reliquit, hac tamen conditione, quod caste uiuat; si realiter fornicatur in conscientia legatum amittit, & omnes fructus post fornicationem susceptos tenetur restituere hæredi, etiam si delictum sit occultum; at si uxorem usufructuariam reliquit, ut caste uiueret, fornicando non amittit ipso iure legatum. Quidam legauit sua bona cuidam Ecclesiæ hoc pacto, ut singulis diebus Missa ibidem pro eius anima celebretur, uel singulis annis certo die pauperibus certa eleemosyna distribuatur sub pœna deuolutionis eorundem bonorum ad proximiorum sibi consanguineum; nunc illius Ecclesiæ Rectori constat dictas conditiones non fuisse per suos antecessores seruatas, tenetur in conscientia restituere illa bona eius proximiori consanguineo. At si bona sua legasset illi Ecclesiæ, ut singulis diebus Missa pro eius anima celebretur, & certo die distribuatur certa eleemosyna, non tenetur illa bona restituere hæredi, sed testatoris uoluntatem adimplere, Missarum celebratione, & eleemosynarum distributione, cap. Verum ext. de cond. & facit l. Meuia. ff. de manu. testa. ubi libertas legata tribus seruis sub hac conditione, ut alternatis uicibus luminaria accenderent super sepulchrum eius, non fuit reuocata quamuis ipsi talem modum de alternatis uicibus non obseruauerint. Et ratio diuersitatis est, quia in prioribus casibus legata facta fuerunt sub illis conditionibus, quæ cum non fuerint seruata, & Vidua, & Ecclesia tenentur restituere eis relicta, illa enim restitutio proprie non est pœna, sed est cõditio legati, uirtute cuius ipso facto efficitur alterius; qui libet enim potest legare, & donare bona sua non solum simpliciter, sed etiam ad tempus, & sub certis cõditionibus, & adueniente tempore, seu casu conditionis, res sine aliqua condemnatione, ante Iudicis sententiâ, statim ipso facto in conscientia est restituenda. At in posterioribus casibus legata non sub conditionibus, sed sub modo facta fuerunt, & propterea non sunt resti-

restit-

Exemplis
prædicta
explican-
tur.

de differē
tia inter
conditio-
nem, &
modum.

restituenda ex hoc, quod non fuit seruatus modus. Vbi notan-
dum est hanc esse differentiam inter conditionem, & modum,
quod conditio suspendit in futurum euentū, & importat actio-
nem, uel dandi, uel retinendi, uel restituendi, ut hoc tibi lego si
fueris consul, si habueris filium, uel cum pacto, quod hoc, aut il-
lud facias, aliās legatum deuoluatur ad heredem, in quibus
exemplis uel conditionum legatum, uel differtur donec adim-
pleatur conditio, uel ita statim soluitur cum hoc, quod restituē-
dum sit, si non seruetur conditio. At modus conuenit cum con-
ditione, quia, quod sub modo datur, cum onere aliquid facien-
di, aut omitrendi, datur, & propterea dicitur etiam cōditio, sed
quia non suspendit dationem, nec inducit obligationem resti-
tuendi, quod sic datur, ad distinctionem, dicitur dari non sub
conditione, sed sub modo, & si nō seruetur modus, quia uidua
non honeste uiuit, Rector Ecclesiæ non celebrat dictas Missas,
nec eleemosynas distribuit, non propterea uidua amittit usufructum,
nec Ecclesia bona sibi legata, sed heredes possunt solū
in casu pro obseruatione conditionum, seu modi sub quo factū
est legatum, seu donatio, sed nec ipsi, nec alij possunt legata, seu
donata repetere, & utrumque habetur in cap. Verum de cond.
appos. & utriusque ratio est, quia conditio apponitur tanquam
finis, & causa legati, seu donationis, quare deficiente conditio-
ne desinit legatum, & donatio; at modus non est causa finalis le-
gati, aut donationis, sed legatum fit, uel propter amorem Dei,
uel ob amicitiam, uel aliam causam, & modus seu onus, quod
imponitur est inuitatio ad quandam remunerationem, uel ad
impletionem loci eius, quod datum fuit, & propterea relicū
sub modo potest statim peti, & habitum non amittitur, quia est
solum causa impulsiva illius, quod pro eo faciendum est, & nō
principalis, & illa cessante non cessat effectus. Est tamen diffe-
rentia inter utrumque casum, nam si uidua inhoneste uiuit, in
pœnam potest priuari usufructu, Ecclesia autem non est priuan-
da bonis ei relictis, sed cogendus est eius Rector, ut seruet one-
ra in fauorem cultus diuini, & animæ legantis; Et quando dubi-
tatur an legatum sit sub conditione, uel modo; si factum est Ec-
clesiæ, uel ad pias causas censendum est fuisse factum principa-
liter propter amorem Dei, & salutem animæ, & consequenter
sub modo, at si non est factum ad pias causas in pœnam delin-
quentis interpretandum est sub conditione. Nec obstat si di-
catur, quod delictum solius Prælati non potest nocere Eccle-
siæ, ut est regula Delictum in 6. Nam in acquisitis, & in his, que
libere

libere donantur, solus Prælati non potest nocere Ecclesiæ, at
quādo donatio fit sub cōditiōe, ipse solus non seruādo condi-
tionem nocet, quia donatio non ualet, & ita potest nocere in ac-
quirendis, ut notant Gl. & Doct. i 6. q. 6. §. fi. & Abb. in d. c. uerū.

Sed ad alios transeamus casus, collega uel municeps trāsgre-
diens statutum, quod imponit pœnam exclusionis à collegio,
uel municipio ipso iure, secundū Nau. nō tenetur in foro cōsciē-
tiæ relinquere collegiū, uel municipium antequā id facere iu-
beat, quia est pœna; secundū Sotum tenetur relinquere, quia
non est simpliciter pœna, sed conditio, & qui collegium suis bo-
nis insituit potuit huiusmodi statuta facere, & sua bona sub il-
lis conditionibus largiri. Si statuta sunt à fundatore res habet
difficultatem propter rationem Soti, sed adhuc tenendum est
cum Nauar. quia exclusio à collegio non apponitur à fundato-
re, ut conditio foundationis, sed ut pœna transgressionis statu-
ti. Et confirmatur, quia non est eadem ratio de legato, seu do-
natione particulari, & de fundatione Collegij, nam pro dona-
tione particulari possunt poni particulares conditiones, & nisi
inviolabiliter seruentur, res non est danda, & habita in con-
scientia non potest retineri, quia habetur respectus ad singula-
res personas, at in fundatione Collegij, habenda est ratio uni-
uersitatis, Et quod recipiendos potest fundator ponere condi-
tiones tales, quod contra illas recepti non sint in conscientia tu-
ti, quia hoc respicit rationem foundationis, & singulos in parti-
culari; at quoad receptos in formatione statutorum habenda est
ratio uniuersitatis, & exclusio à collegio qua muniuntur statu-
ta, non est conditio foundationis, sicut fuit non receptio, sed pœ-
na transgressionis, & cōtingere potest propter particulares cir-
cumstantias, quod transgressio sit leuis, & non mereatur illam
pœnam, propterea transgrediens potest in conscientia expectare
condemnationem, & ita interpretanda est fundatoris inten-
tio, ut sit æqua, nam quoad statuta, se habet ut legislator, & pœ-
na legem muniens.

Quidam obtinuit parochialē Ecclesiā, & illius pacificam pos-
sessionē habuit, & intra annū non fuit promotus ad sacerdotiū,
sed lapso anno illam retinuit; Est ipso iure priuatus illa Eccle-
sia etiam nulla præmissa monitione, & illam in conscientia re-
linquere, & fructus post annum perceptos restituere tenetur,
Cap. Licet Canon. de Elect. in 6. Et ratio est clara, quia pri-
uatio in hoc casu non est ob pœnam, sed ob defectum condi-
tionis, quia parochialis Ecclesia habet annexum sacerdotium,
& cum

Alia exē-
pla.

Exempla
de obtinē-
tibus be-
neficiis.

& cum hac cōditione datur; quod si illam accepisset solum animo percipiendi fructus illius anni, illos etiam restituere teneretur. Qui aliqua Ecclesiastica censura, uel irregularitate ligati beneficium obtinent, illud cum fructibus resignare tenentur & hoc non in pœnam, sed quia collatio fuit nulla, nam per censuram, & irregularitatem effecti sunt inhabiles ad acquirendum, quodcumque beneficium. Quod illi, qui non recitant officium teneantur in conscientia restituere fructus, diximus superius. Diximus etiam, quod pœna priuationis beneficii canonice ad epti, ipso iure absque alia declaratione infligta, in conscientia obligat; & beneficium sine alia declaratione est resignandum, si fuit recepta, & est in usu.

De illis, qui tenentur restituere ratione damni illati.

Cap. XXIII.

Secunda radix ex qua oritur restituendi necessitas, est damnum illatum, Et illi omnes tenentur restituere, seu satisfacere, qui alteri damnum intulerunt; sed modo non loquimur de quocumque damno, nam in quatuor potest alteri damnum inferri. Primo, in bonis animæ, dum vitia persuadentur, aut aliquis à Religione retrahitur. 2. in honore, seu fama, ut per contumeliam, conuitium, irrisionem, detractionem, de quibus superius, lib. 4. c. 15. 3. in corpore, ut per iniustum homicidium, mutilationem, vulnerationem, & incarcerationem. 4. in bonis temporalibus, uel quia accipiuntur, uel quia dissipantur, uel quia ab eorum consecutione quis impeditur; & de his duobus posterioribus agemus, pro quibus sit hæc generalis regula. Omnis, qui alteri iniuste damnum intulit, tenetur restituere, seu pro damno illato satisfacere. Quod ille, qui alteri damnum in corpore iniuste intulit pro eo satisfacere tenetur, certum est, quibus autem, & quantum, dicitur inferius. Nō solum autem damnum iniuste inferunt priuati, sed etiam Iudices iniuste in carcere detinentes, & condemnantes, quod non solum faciunt quando contra leges procedunt, sed etiam quando condemnant, secundum uerba legis, male ab ipsis intellecta. V.g. lex dicit, quod pro crimine læsæ maiestatis ex sola scientia quis teneatur, nisi reuelauerit, ille qui non potest probare, non tenetur reuelare, cum non teneatur se subicere tormentis, que hoc casu infliguntur delatoribus, quia nulla est culpa in discrimine uitæ se non ponere, & lex intelligitur de scientia probabili, unde

Ratione
damni qui
teneantur
restituere

De iudici-
bus.

unde Iudex est homicida, & restitutioni obnoxius, ut ex aliorum etiam sententia, inquit Sylu. Restitutio 3. §. 2. De illis, qui damnum inferunt per iniustam acceptionem, partim dictum est superius, ubi de restitutione ratione rei alienæ, partim dicitur inferius de restitutione ratione iniuste acceptionis, propterea hoc loco agemus solum de restitutione ratione damni, quod quis alteri inferit per iniustam distributionem, & per hoc quod illum impedit à consecutione alicuius boni.

De male distribuentibus Ecclesiastica beneficia, & secularia, officia quo ad peccatum, non est quod modo agamus, cum loquamur de restitutione, & satisfactione, & egimus superius lib. 4. c. 23. propterea dicimus, quod qui confert scienter, uel ex crassa ignorantia beneficium, uel officium indigno, tenetur satisfacere Ecclesiæ, uel Reipublicæ pro damno illato, quod si in dignus nullum intulit damnum, quia prouide se gessit, & idoneum coadiutorem habuit, satis est, quod pro peccato satisfaciat. Qui autem confert digno, omisso digniori, collatio tenet ad tollendas lites, & Collator non tenetur aliquid Ecclesiæ, uel Reipublicæ satisfacere; An autem teneatur satisfacere digniori omisso, Palud. & Caiet. dicunt eum teneri, Adrianus autem dicit eum non teneri, cuius sententiam tanquam benigniorem, & etiam ueriores sequimur, quia ille dignior, non propterea quia dignior, habebat ad illud beneficium, seu officium aliquod ius acquisitum in re, uel ad rem, ergo nullum damnum fuit ei illatum in re propria, quod ad restitutionem requiritur. præterea, damnum quod ei illatum fuit, est ratione iustitiæ distributionis, & non commutatiuæ, obligatio autem restituendi oritur ex iustitia commutatiua; & ratio est, quia res debita, ut communis non est uerè, & propriè alicui debita, sicut est res propria, per quæ soluta remanent contraria argumenta, sed de hoc etiam inferius in tertio dicto.

Sed accedamus ad impediens alicuius boni consequutionem, & breuiter, & resolutoriè dicimus primo, quod ob hanc causam, omnis, & solus impediens impedito, & damnum passo restituere tenetur; qui impedit alium à consequendo officio, aut beneficio, aut alio bono ita ei debito, ut haberet iam in eo ius perfectum, quod appellant ius in re, acquisitum per dispositionem inter uiuos, aut ultimam uoluntatem, collationem, cōfirmationem, aut alium legitimum modum, aut erat ei de iustitia debitum, ita quod habebat acquisitum aliquod ius imperfectum, quod appellat ad rem, per iustam promissionem, electionem,

De male
distribuentibus
Ecclesiastica
beneficia,
& secularia
officia

De impediens
alicuius
boni consequutionem
Primum
dictum.

nem, præsentationem, cõcursum, ingressum, aut alium titulum, qui non dat ius perfectum, per quod acquiritur bonum, sed quoddam imperfectum per quod illi conuenit, & acquiritur aliqua actio, uel officium Iudicis ad iure petendum.

Dicimus secundo, quod qui impedit alium a consecutione alicuius boni, ad quod nullum ius habebat, etiã si odio, uel mala intentione impediatur, non tenetur illi restituere, nisi impediatur aliquo modo iustitiæ contrario, uidelicet ui, metu, dolo, aut alia fraude. Vbi enim non est debitum legale, & ubi nihil est ablatum, nulla est necessaria restitutio, at nemini cui nõ est ius in re, uel ad rem, uel officium Iudicis ad petendum, est debitum legale, (licet sit forte debitum mortale, & antidorale) uel aliquid iuris aufertur, cum priuatio præsupponat habitum, ergo nihil est illi restituendum, & consequenter qui impediunt, nec collator, præsentator, aut elector conferat, præsentet, aut eligat aliquem; uel etiam blanditiis sine ui, metu, mendaciis, & dolo, faciunt testamentum mutari, aut legatum in alium transferri, non tenentur illi restituere. Sed dubitatur an per deliberatam collatoris, seu testatoris uoluntatem acquiratur aliquod ius, nam S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 4. æquiparat collationi beneficij quo ad restitutionem, propositum firmum conferendi, & dicit, quod si iam firmatum sit, quod detur alicui præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quod reuocetur, idem est, ac si iam habitam ei auferret, & ideo tenetur ad restitutionem æqualis. Sed, ut bene inquit Nau. c. 27. nu. 70. hoc nullo iure nec ratione necessario probari potest, imo ratio est manifesta in contrarium, nam qui proposuit firmiter conferre alicui beneficium, si mutata uoluntate alteri contulerit, ualet collatio, & non tenetur restituere, nec peccat si æque dignus est; at qui iam contulit uni, si mutata uoluntate conferat alteri, peccat, & collatio non tenet, & tenetur restituere, etiam si secundus esset longe dignior; idem de institutione hæredis, & de legatis, etiam si testamentum sit factum, nam testator illud potest ad libitum mutare, & eius morte confirmatur, & consequenter per deliberatam uoluntatem nullum acquiritur ius. Nec obstat illa propositio Arist. 2. Phys. ab omnibus recepta, & à S. Tho. in confirmatione adducta, Quod parum distat nihil distare uidetur; quia non intelligitur uniuersaliter, non enim si parum affuit, quod quis occideretur, uel furto eius bona auferrentur, ob id aliquod damnum est passus, aut ille qui ea tentauit tenetur ad aliquam restitutionem; Sed illam applicando ad casum nostrum, ut sit uera,

intelligitur

intelligitur de damno iam illato, & iuxta illam attendenda est quantitas damni. V.g. si parum affuit quin exercitus transierit per agrum satum cuius fructus iam maturescunt, nullum ob id sequutum est damnum, at si transiit, tenetur ad restitutionem in totum, ac si fructus fuissent tunc perfecti, quia quod parum distat nihil distare uidetur. Episcopus dedit Petro præbendam, sed iniuste impeditus non potuit illius possessionem capere, illi restitutio facienda est ac si illam habuisset, quia parum affuit. At per hoc, quod Episcopus firmiter statuit illam ei dare, non parum sed multum adhuc abest, quia nullum ad illam acquisiuit ius, & si Episcopus ex se, uel persuasus mutat uoluntatem, ita parum affuit quin habuerit, ut nihil ei restituendum sit, quia nullo acquisito iure priuatur, nec aliqua fit ei uerè, & propriè iniustitia, quia non ob id præbenda erat illi debita, nec impeditur modo iustitiæ contrario.

Quod si modo aliquo contra iustitiã quodcumq; bonum quis impediatur, puta mendacio, uel falso testimonio, ut si dicat collatori eum cui uult beneficiũ cõferre esse mortuum, uel malæ uitæ, ignarum, imprudentem, illegitimum. uel si fraude, aut ui impediatur alicuius professionem ad Episcopum quærentem dignum cui beneficium conferat, ne Episcopus illum agnoscat, quæ si cognouisset illi beneficium contulisset, ei restituere tenetur, & pro damno illato satisfacere, quia licet ille nullum haberet ius ad illud beneficium tamen per hos actus iustitiæ contrarios impeditur a iusto modo acquirendi ius, & beneficium, ob quam causam hæc impediamenta, quia sunt contra iustitiam obligant ad restitutionem; alia uero, quia solum sunt contra charitatem, sunt quidem peccata, sed non obligant ad aliquid illi restituendum.

Sed quo ad hoc secundum dictum, est inter Doctores cõtrouersia, nã Scot. Rich. & Palud. in 4. d. 15. dicunt, quod si quis procurans beneficium pro se, uel amico, alium ab illius cõsecutione impedit, si hoc facit non intentione damnificandi alium, sed consulendi utilitati propriæ, uel amici, non tenetur ad restitutionem, at si facit animo illum damnificandi tenetur satisfacere damnificato pro interesse ad arbitrium boni uiri, & probant. l. 1. §. Denique ff. de aq. plu. arc. ubi dicitur. Denique Marcellus scripsit cum eo, qui in suo fundo fodiens vicini fontem auertit, nihil posse agi, nec de dolo est actio, & sane non debet habere, si non animo nocendi uicino, sed suum agrum meliorem faciendi, id fecit. Sunt uerba legis, quam ipsi male citant, ex qua a cõtrario sensu inferunt, quod si animo nocendi fecisset teneretur de dano. Sed ex ista lege non habetur eorum

P inten-

Secundum dictum de impediatur illum, qui nullum ius habet.

An per de liberatam collatoris uel testatoris uoluntatem acquiratur aliquod ius.

De impediatur iustitiæ contrario

De impediatur intentione nocendi. Prima sententia.

intentum, tum quia argumentantur à cōtrario sensu, q̄ licet sit argumentum ualidissimū iniure, tamen, ut notat Gl. in c. Significasti non habet locū cū alia iura contradicunt; at quod intentio mala sine opere iniurioso non obliget ad restitutionē est sententia cōmunis; tum etiam quia Vlpianus noluit ibi innuere obligationē restituendi propter malum animum induci, sed cū Marcellus dixisset in eo casu non dari actionem de dolo, confirmans eius dictum subiungit, & sanè non debet habere, si non fecit animo nocendi, nam ubi non est malus animus, & dolus, non est actio de dolo. Et confirmatur, quia l. Proculus, & l. fluiuium §. fin. ff. de dam. infec. quas pro se adducunt, hoc probant, quatenus idem Vlpianus in eodem casu non p̄derat, sicut nec ulla etiam alia lex, bonum uel malum animum, sed solum an quis iure, uel iniuria, in suo, facit opus quo nocetur proximo. Dicimus igitur, quod intentio nocendi, & malum inferendi, licet sit mala, & peccatum, non inducit necessitatem restituendi nisi ei adiungatur opus aliquod exterius legi iustitiæ contrarium, ut carnifex mala intentione occidens iuste damnatum, peccat, sed non tenetur aliquid restituere, similiter, & miles in bello iusto occidens hostem, & diripiens ciuitatem malo animo; similiter etiam in casu legis, qui ut sibi profit vult fundamentum muri ducere per aquæ ductum, qui trāsit per suum fundum, & ob id uenas aquæ rūpit, licet faciat etiā ex odio inimici, & charitatē uiolet, nihil tamē ei restituere debet. Ratio autem cur mala intentio damnificandi non inducat necessitatem restituendi, & illam inducant mendacium, fraus, cōminatio, & alij modi iniusti, est quia (ut diximus) intentio sola damnificandi est contra charitatem, sed non contra iustitiā cōmutatiuam, cuius actus est restitutio, at mendacium, fraus, & cōminatio sunt contra iustitiā, quia per hęc impeditur iustus modus acquirendi, qui competit impetito. Ex his facilius soluuntur dubia occurrentia, quam per distinctionem. S. Tho. dicit. n. quod aliquis potest impedire alium ne habeat præbendam multipliciter, uno modo iuste, puta si intendens honorem Dei, uel utilitatem Ecclesiæ procuret, quod detur alicui digniori, & tūc nullo modo tenetur ad restitutionem, uel ad aliquam compensationem; alio modo iniuste, puta si intendat eius nocementum, quem impedit propter odiū, uel uindictam, aut aliquid huiusmodi, & tunc si impedit ne præbēda detur digno, consulens, q̄ non detur antequam sit firmatum, quod ei detur, tenetur ad aliquā recōpensationem, non tamē ad æquale, quia illam nondum

Solutio
difficultatis.

fuc-

fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri, sed ad arbitrium sapientis. Si uerò iam firmatum sit, quod alicui detur præbēda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quod reuocetur, idem est ac si iam habitam ei auferret, & ideo tenetur ad restitutionem æqualis. Hęc S. Tho. sed (ut diximus) si dignus modo illicito contra iustitiā impeditur, ut præbēda detur digniori, ei satisfaciendum est, uel in æquivalēti si illam iam adeptus fuerat, uel omnibus cōsideratis, ad arbitrium sapientis; si illam non erat adeptus saltem ei satisfaciendum est pro iniustitia ei facta, quatenus iniuste priuatus fuit iure suo, accedendi, petendi, & c. licet nullum haberet ius obtinendi. Si quis autē alium impedit, modo charitati quidē cōtrario, sed non iustitiæ, peccat, sed non tenetur ad restitutionem, etiā si ex odio, & animo nocēdi impediatur, etiā si collator firmiter statuerit ei dare præbēdā, nam (ut diximus) per solam uoluntatem collatoris nullum acquiritur ius, & obligatio restituendi non oritur ex odio, & animo nocēdi, sed ex iustitia commutatiua.

Dicimus tertio, quod si quis ita impedit aliquem à consecutione alicuius boni ad quod nullum habebat ius acquisitum, ut ob id damnum Ecclesiæ, uel Reip. eueniat in cuius utilitatem bonum illud, puta beneficium, uel officium institutum est, ut dum impedit dignum, beneficium, seu officium confertur in digno, quomodo cum que impediatur, restituere tenetur, non illi, quem impediuit nisi modo iustitiæ contrario impederit, (quo casu illi, & Ecclesiæ restituendum esset) sed Ecclesiæ, uel Reipub. ob damna, quæ inde patitur. Nec obstat ratio Caie. quod officia, & beneficia sunt bona communia, quæ sunt singulis diuidenda, & ideo qui male illa distribuit, uel impedit facit cōtra iustitiā distributiua, & tenetur restituere illis quibus debebatur; sicut qui male distribuit uel impedit bene distribuere cētū aureos singularibus plebis distribuēdos, secūdū omnes tenetur restituere; Nō obstat (inquā) quia non est eadē ratio de distributione centū aureorū communium faciēda in singulos eius cōmunitatis, & de distributione beneficiorū, & publicorū officiorum cōmuniū Ecclesiæ, uel Reipublicæ in singulos eius, nam centum aurei cōmunitatis diuidendi singulis de cōmunitate, sunt eis debiti, & quilibet eorum habet ius petēdi suam partem; At beneficia, uel officia publica, sunt principaliter instituta propter seruitium Ecclesiæ, uel Reipub. & non propter eos, qui seruituri sunt, & nemini in particulari sunt debita, & eorum collatores non distribuunt tanquam debita eis quibus

Tertium dictum de ita impediēte, ut damnū Ecclesiæ, uel Reipub. eueniat.

P a di-

distribuuntur, sed tanquam debita seruitia Ecclesiarum, & tanquam electores ministrorum earum, ita quod per bonam, uel malam ministrorum electionem, non fit principaliter cōmodū, uel dānū eligendis, sed Ecclesijs, uel Rebus publicis, quibus eligendi sunt; sicut præfectus ab aliquo domino alicui ædificio construendo, eligendo artifices magis, uel minus idoneos non facit cōmodum, uel dānū principaliter minus, uel magis idoneis, quos ad illud opus non eligit, sed domino, & dānū non tenetur restituere illis quos omisit, sed ipsi domino cuius ædificium est male constructum. Et ratio est, quia licet iustitia distributua obliget beneficia dignis dare, nemini tamen concedit ius perfectum, nec imperfectum, quod illi beneficium aliquod sit debitum, ut illud iure petere possit, quamuis sit dignior, quia illa iustitiæ distributiæ obligatio est in fauorem, non dignioris, sed Ecclesiæ, uel Reipub.

At si ex lege, uel statuto beneficium dandum esset per cōcursum digniori, ex illis, qui infra certū tempus fuerint descripti, si idonei fuerint reperti, & detur alicui nō descripto, tam collator, quā procurans tenetur restituere digniori ex illis, quia uigore legis, aut statuti, qui in tempore accesserunt, acquisierant ius perfectum ad petendum, ut alicui ex ipsis daretur. Si etiam cappellæ alicuius Ecclesiæ fuerint à Papa applicatæ Clericis, qui illi Ecclesiæ certo tempore seruerunt, & statutum, quod illis solis, & non alijs dentur non possunt ab Ordinario, uel Capitulo alijs dari, de quo uide superius 2. p. lib. 4. c. 23.

Dicimus quarto dānū bonis alienis illatum per eorum deteriorationem, dissipationem, malam defensionem, uel custodiam, non custodiendo etiam bruta sua ne alios damnificent esse restituendum.

De illis, qui tenentur restituere ob causam iniuste acceptionis. Cap. XXIII.

Quæ iniuste accipiuntur.

OB causā iniustæ acceptionis, & dāni tenentur restituere illi omnes, qui sunt causa dāni, & iniustæ acceptionis. Sed dubiū est, quæ sint illa, quæ iniuste accipiuntur, nam cum iustitia sit generalis uirtus, illa omnia, quæ illicitè, & turpiter accipiuntur possunt dici iniuste accipi. Sed quia modo loquimur de iustitia, ut est uirtus particularis propterea distinguimus iniuste accipere à turpiter accipere, & dare; & sic non omne, quod turpiter accipitur iniuste acci-

accipitur, licet omne, quod iniuste accipitur, turpiter accipiatur. Illa iniuste accipiuntur, quæ contra domini uoluntatem accipiuntur, ut per furtum, rapinam, uim; illa autem turpiter accipiuntur, quæ dantur pro eo, quod quis facere, uel omittere tenetur. Et ut distinctius procedamus, triplicem distinctionem faciemus, quædam iniuste accipiuntur, quædam turpiter accipiuntur, sed bene dantur, quædam turpiter accipiuntur, & etiam turpiter dantur, ut turpitudine sit ex utraque parte. An autem omnia ista sint restituenda, non est ita certum; De illis, quæ contra domini uoluntatem iniuste accipiuntur, ut per furtum, & rapinam, certum est, quod debent restitui, etiam si latro illa amplius non habeat, & etiam si sine sua culpa perierint; & ratio est, quia fur semper est in mora, & etiam quia forte res apud dominū non periisset, uel illam prius uendidisset. Sed dubium est an teneatur in conscientia restituere pretiū in eo casu quo certum est dominum rei furto sublata eā ante interitū nō fuisse alienaturū, & eodē modo apud ipsū rem illam perituram sicut, & apud furem perit; Quod in foro exteriori teneatur, est cōmunis sententia, & Anchar. dicit quod sicut tenetur in foro exteriori, ita etiam in foro conscientiæ. Sed dicimus cum Couar. in isto casu illum non teneri, nam iure naturæ fur, raptor, & occupator rei alienæ, tenetur tantum domino iniuriam passo restituere dānū, quod per acceptionem iniustam ei fuit illatum, hæc n. est uera æquitatis, & iustitiæ ratio, ne quis ex alterius iniuria dānū in propriis rebus patiat; quod Theologi, restitutionis obligationē à iure naturali deducētes, tāquam fundamentū præmittūt, & præsupponūt; sed in isto casu dominus rei nullū patitur dānū, quia res eodē modo apud eū periisset, & ante interitū nō uendidisset. Et cōfirmatur, quia cōmunis sententia, quæ in foro exteriori teneatur restituere, non est ita certa, quia uidentur ob stare litē si cū exceptione §. sed & si quis. uerf. sed & si nō culpa ff. q. met. cau. & l. si plures §. vlt. ff. deposit. quibus Mart. Fulg. Ias. Dec. & Cur. iun. cōtra cōmunē probāt eū nō teneri, ut citat Cou. Et si iuxta cōmunē tenetur, est potius in pēnā delicti, quæ pēna in cōsciētia nō debetur ante cōdēnationē.

Verum de illis, quæ per fraudē acquiruntur, dubiū est an turpiter contra domini uoluntatem acquirantur, & sint restituenda, & non est dubium de omnibus, nā de acquisitis in ludo per fraudem, certum est, esse restituenda; quia fraus in ludo est contra iustitiam; Sed dubium est de fraudibus quibus aliqui fingūt se bonos, & pauperes, ut eis beneficia, uel elemosynæ dētur; Ale-

Si res periisset eodem modo apud dominum quo apud furem.

Couar. §. 6. 2. p. rel. in c. peccatū de reg. iu. in 6.

de similibus se bonos, uel pauperes, ut beneficium, uel elemosynas habent.

Altis. & Adr. dicunt sic acquisita esse restituenda, quia hypocrita fraude seducit populum, & consequenter quicquid sic fraudulenter acquirit, falso titulo adipiscitur, & nullum acquirit dominium, non secus ac si ego petro pecuniam deberem, cuius personam mentitus Paulus, illam à me extorqueret. Ad quod respondetur cum Soto huiusmodi hypocritas peccare, sed non teneri ad restitutionem, primum est certissimum apud omnes, secundum probatur, quia quæ eis dantur, non conditionate si sint tales quales apparent, sed absolute, & liberè dantur, & propterea uerè transtertur dominium, licet causa motiua fuerit falsa; Et quod beneficia sic absolute conferantur, & non conditionate, ipsi met contrariæ sententiæ cōcedunt, & ratio est, quia alias in Ecclesia nihil esset firmum, & stabile, sed de singulis beneficiatis, & curatis dubitari posset an iusto titulo possideant; quod autem idem dicendum sit de eleemosynis datis hypocritis, & simulantibus se pauperes, probatur, quia homines illas dant propter Deum, & Christo in illis pauperibus, & propterea non fit tam exacta inquisitio dignitatis personæ. Et confirmatur, quia (ut etiam Adrianus concedit) causa finali existente uera, licet motiua sit falsa, transfertur dominium, ut patet in alijs contractibus, si quis enim famulum, quem putat bonum esse, conducat, licet non sit talis, nihilominus acquirit dominium mercedis, dummodo seruiat, quæ fuit finalis causa, licet nō ita bene seruiat, ut putabat herus; at eleemosynarum causa finalis est amor Dei, ergo licet motiuum sit falsum. s. dignitas personæ non impeditur dominium. Confirmatur etiam, quia si restitutio faciendā est, ut etiam concedit Alex. non est faciendā illis, qui eleemosynas dederunt, cum propter Deum earum à se dominium alienauerint, sed faciendā est Ecclesiæ, uel alijs pauperibus quibus forte fuissent collatæ, ex quo sic arguitur, si qui eleemosynas dederunt, à se dominium abdicarunt, ergo transtulerunt in illos quibus dederunt, præterea quia iuxta regulam Veruercelli, quam paulo inferius explicabimus restitutio, quæ non est faciendā domino, non est de præcepto, sed de consilio. Et si obiiciatur, quod illi, qui eis eleemosynas faciunt, propter ignorantiam, quæ causat inuoluntarium, non faciunt sponte, & uoluntariè. Respondetur, quod non omnis ignorantia causat inuoluntarium, sed satis est, quod cognoscatur causa principalis operis, propter quam si fiat etiam ex falso motiuo, censetur & est uoluntarium. Concludamus igitur, quod non tenentur restituere licet detecta eorum fraude, qui se pauperes simula-

runt

Sot. lib. 9.
de iust. &
iur. q. 7.
ar. 3.

runt condemnari possint ad illas dandum pauperibus. Sed cum eodem Soto duplex adhibenda est limitatio, prima si ille, qui eleemosynam dat hanc cōditionem specificaret, de casu quod in ea, quam dicis necessitate uerè existas, si in ea non existit restituere tenetur. Secunda si quis insignem aliquam fraudem, faceret sãcilitatis, aut extremæ necessitatis, ut amplas eleemosynas haberet ratione dāni, quæ pauperibus faceret quibus eleemosynæ ipsi datæ factæ fuissent, pauperibus restituere teneretur.

An sint restituenda illa, quæ turpiter accipiuntur à bene, vel turpiter dante. Cap. XXV.

DE alijs autem, quæ turpiter tantum accipiuntur, & quæ turpiter etiam dantur, est inter Doctores controuersia, sed ut ueritatem facilius explicemus, & probemus uerbal. Idem, quæ est 4. de cond. ob tur. cau. adducemus. *Idem, & si ob stuprum datum sit, uel si quis in adulterio deprehensus redemerit se, cessat enim repetitio, idque Sabinus, & Pegasus responderunt. Item si dederit fur ne proderetur, quoniam utriusque turpitudine uersatur repetitio cessat. quoties autem solius accipientis turpitudine uersatur, Celsus ait repeti posse, uelut si tibi dedero ne mihi iniuriam facias. Sed quod meretrici datur repeti non potest, ut Labeo, & Marcellus scribunt, sed noua ratione non ea qua utriusque turpitudine uersatur, sed solius dantis, illa enim turpiter facere, quod sit meretrix, sed non turpiter accipere, cum sit meretrix.* Hac lege præmissa, de his, quæ turpiter recipiuntur à bene dante, duæ sunt præcipuæ sententiæ. Prima quam sequemur est Soti, quod nō omnia, quæ bene dantur, & turpiter accipiuntur sunt restituenda, sed distinguendum esse an delictum à quo aliquem dono retrahere uolo sit alteri perniciosum, aut non; si est alteri iniuriosum, ac perniciosum, ut si amico munus offero ne homicidium aut furtum faciat, tunc (inquit) mihi postea repetitio datur, sed si ego nō repeto ad nullam ille restitutionem tenetur. At si delictum non est contra iustitiam, ut si amico darem ne scortaretur, non solum (inquit) ille recipere potest, & ad restitutionem non tenetur, sed nec etiam mihi daretur repetitio. Et probat, quia lex non dat exempla nisi de delictis iniuriam annexā habentibus, & lex pœnalis restringenda est ad suum ipsius exemplum. Et quod lex in casibus de quibus loquitur non prohibeat translationem dominij, sed repetitionem concedat, ut in ludo in odium criminis, probat, quia licet ille gratis teneatur

De turpiter accipiente à bene dante
Prima sententia Soti lib. 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 1.

abstinere, nihilominus, quia in gratiam mei abstinet, alioquin illa mala facturus, potest iure naturæ pro sua illa uoluntate pretium ex me recipere.

Secunda sententia est communis summistarum & aliorum

Secunda sententia est communis summistarum, & aliorum. Omne id, quod turpiter accipitur, & bene datur esse restituendum, & probant ex d. lege, & etiam quia accipitur pro eo, quod gratis faciendum, uel omittendum est, & qui dat, ita bene dat, ut coacte det, ad redimendam, scilicet, uexationem. & Nauar. contra limitationem Soti tanquam singularem, & nullo textu iuris, aut efficaci ratione necessario probatam, insurgit, & multa facit argumenta, quæ nihil concludunt, nam dicit ex ead. l. §. fin. repeti posse id quod datur furi, ut indicet furem, & ex l. quod euitandi C. de cond. ob tur. cau. quod datur diligenti milites ab eo, qui est ineptus militiæ, ut eum excusaret à tyronicinio, repeti posse. ista enim exempla sunt de delicto alteri nociuo, & contra iustitiam, nam si ineptum militiæ eligit, ei damnum, & iniuriam facit; & si fur cum restituere teneatur, & non possit, ut socium furti indicet uult pretium ab eo, qui illum quærit, ut suum recuperet, iniuriam, & damnum illi facit. Ad exemplum, quod adducit ex Glosa de dato alicui ne fiat meretrix, dicitur quod Glosa extendit legem; quæ tanquam pœnalis est potius restringenda, aliæ rationes pro communi, solutæ sunt ex rationibus Soti. Qui cum communi dicunt turpiter accepta à bene dante esse restituenda, diuiduntur, nam quidam dicunt non esse restituenda nisi repetantur, ut Nau. Alij uero, ut Couar. dicunt esse restituenda etiam si non repetantur.

Ista sententia subdiuiditur in duas. Couar. in §. 3. p. 2. c. peccatum de reg. iur. in 6. De turpiter accipiente à turpiter dante.

Duæ præcedentes sententiæ sunt de his, quæ turpiter accipiuntur à bene dante, nunc sequitur, ut uideamus, & examine-mus Doctorum sententias de his, quæ turpiter dantur, & accipiuntur; Et ut huius difficultatis fatis perplexæ faciliorem solutionem habeamus, à notioribus incipiemus, nã cū Theologi, Canonistæ, & Sumistæ concedant Meretrices non teneri etiã in cōsciētia ad restitutionē eorū, quæ sine fraudibus notabilibus ob artē meretriciã acceperunt (diximus sine fraudibus notabilibus, quia si aliqua diceret se uirginem, uel non fuisse cognitã nisi à magnate cū non sit uerū, ut sic qui illius amicitiam quærit maiorem ei det mercedem, ratione fraudis, teneretur restituere id, quod fraudulenter habuit) de illis prius loquemur, Et quamuis omnes in hoc conueniant propter d. l. est tamen inter eos in explicanda ratione, & lege, maxima controuersia, &

pace

pace eorum dixerim, cum non fuerint affecti illius sensum. ita uigore legis concedunt meretrices non teneri ad restitutionem, quod ab eadem tandem lege recedunt: Citatis sententiis; & uisa difficultate, curabimus ueritatem quanto facilius potest Dei gratia declarare; Sumemus autem principium à declaratione legis, quæ cum paulo superius dixisset non dari repetitionem quando turpitudine ex utraque parte uersatur, de meretrice subiungit esse nouam rationem, quia licet turpiter faciat, quod sit meretrix, sed non turpiter accipit, cum sit meretrix. Vbi difficultas est de sensu legis, nam eadem uideatur meretricis, & aliorum scelerum ratio, quando turpitudine est ex utraque parte, ratio enim ob quam turpiter recipiant, qui accipiunt pro homicidio, sacrilegio, stupro, & adulterio, est, quia ista committere est turpe; ergo cum turpe sit meretricari, turpe etiam erit accipere pro actu meretricio: Et ut distinguamus in meretrice turpe à non turpi, turpe est meretricari, turpe est accipere pro actu meretricio faciendo; accepto pretio, turpe etiam est deuenire ad actum peccati, quia potius restituendum esset pretium acceptum, sed completo actu pro quo datum, uel promissum est pretium, meretrix licite acceptum pretium retinet, & promissum petit, cum fecerit id pro quo datum, uel promissum fuit, hæc enim est differentia inter dantem ob scelus, & committentem scelus, quod committere scelus est semper malum, & ideo nunquam est committendum etiam recepto pretio; at dare promissum pro scelere perpetrato non est malum, est quidem malum dare pro perpetrando, est etiam malum dare pro perpetrato quasi id placeat, sed cum pecuniam dare non sit ex se malum, sicut perpetrare scelus, non erit malum illam dare in uim promissionis pro perpetrato. nam licet peccatum nullo sit pretio dignum, & peccans debeat puniri; quatenus tamen est factum in alterius gratiam, potest secundum humanum usum taxari, non in se; nec relatione ad Deum, sed in ordine ad illum pro quo fit, respectu cuius potest uendi, seu locari opera ad illud perpetrandum, quæ emptio, & uenditio est contra charitatem, sed non contra iustitiã commutatiuã, & quia est ex se mala, non debet fieri, nec perfici, completa autem tenet, & pretium acceptum potest retineri, & promissum dari, nam multa sunt, quæ non possunt fieri, quæ tamen facta tenent. Et hoc est, quod lex dicit de meretrice, quod non turpiter accipit, eo quod meretrix, id est perpetrato actu meretricio, non facit contra iustitiã accipiendo promissum, imo si eam

De uero sensu legis, quæ dicit meretricem non teneri ad restitutionem, quia licet turpiter faciat, non turpiter accipit.

Quid sit inmeretrice turpe, & quid non turpe.

pace

pœnitet peccati, & vult honeste uiuere, sicut non peccat retinendo, quod turpiter acquisiuit, ita nec petendo, nec recipiendo promissum, pro scelere perpetrato, quod tunc detestatur, quia hoc præcise, & formaliter consideratum non est contra iustitiã, nec etiam est malum, licet sit ex malo, nam debetur ex generali causa, quia promissum fuit, & quia factum est id pro quo promissum fuit, & datio, & acceptio pecuniæ ex se nõ est actus malus. Sed hoc non est proprium meretrici, sed commune omnibus sceleribus pro quibus perpetrandis aliquid datur, & accipitur, quantum est ex iure naturæ, & in foro conscientię, & d. lex non significat hoc illi esse proprium, ut uidentur sonare uerba, sed intelligitur de foro ciuili, in quo meretrix est priuilegiata à lege ciuili, respectu cuius non turpiter accipit, non solum, quia permittitur à lege, sed etiam quia lex dat ei actionem petendi mercedem ob meretricium; quam actionem non dat ob quodcumque aliud scelus, licet multa promittat. Sed si in iudicio peteretur merces, etiam promissa cuiuscumque alterius sceleris, reijceretur, & puniretur petens; at meretrix auditur, & qui cum illa fuit, auctoritate iudicis cogitur ei dare mercedem & hoc permissiue propter infirmitatem carnis nostrę, ad euitanda maiora mala. quare leges eiusd. tit. non loquuntur de foro conscientię, sed de iudiciali, in quo aliquando datur actio, aliquando non, aliquando conceditur repetitio, aliquando negatur, & hic est uerus sensus huius legis. quo supposito ad Doctorum sententias accedamus.

Prima sententia est Cini. Ant. & aliorum quos citat, & sequitur Abbas, quod acceptum ob meretricium non est restituendum etiam in conscientia ob. d. l. 4. sed acceptum ob fornicationem à mulieribus solutis clam fornicantibus est necessario in conscientia restituendum, & magis id, quod accipitur à coniugatis, clericis, & monachis, & quod accipiunt mares; & fiscus potest ab eis accepta tollere, quia quoad istas, & istos cessat dispositio d. legis, nam ex quo non sunt meretrices, turpiter recipiunt & cum turpiter recipiant, cessat etiam æquitas naturalis, quæ est in meretrice, si enim non turpiter accipit ex quo est meretrix, non tenetur restituere. Sed contra istam sententiam faciunt ea, quæ diximus pro explicatione d. legis, & quæ dicuntur pro confirmatione tertię sententię.

Secunda sententia est Couar. & eorum quos ipse citat, quod non solum meretrices, sed etiam alię non meretrices, etiam si sint coniugatę, & Moniales, non tenentur in conscientia restituere

re id, quod pro actu uenereo receperunt; propter alia autem peccata dicit nihil posse recipi, & recepta esse in conscientia restituenda. priorem partem probat, quia eadem est ratio meretricis, & non meretricis; secundam uero, quia licet lex negandi repetitionem, nullum tamen ius tribuit recipienti. Ista sententia est etiam Adriani, & quod illa, quæ turpiter dantur, & accipiuntur sint restituenda, probat primo, quia qui accipit, ut faciat bonum, quod tenetur facere, uel ut non faciat malum, quod tenetur non facere, tenetur ad restitutionem, ut iudex, qui accipit aliquid, ut recte iudicet, & fur ne furetur amplius, ergo à fortiori etiam tenetur, qui accipit aliquid, ut faciat malum, quod tenetur non facere. 2. quia excessus pretij ad rem emptam inducit obligationem restituendi quantum pretium exceßerit, quia est contra iustitiam commutatiuam, cuius medium consistit in æqualitate rei ad rem, similiter, & de iure naturali si quis locat operas suas ultra quam ualeant operę suę, sed operę hominis ad faciendum malum nullius omnino sunt ualoris, cum ob sint facienti, & ei pro quo fiunt, ergo qui pro eo aliquid susceperit, restituere tenetur. Confirmat ex cap. Non sane 14. q. 5. & ad d. l. Idem, quæ contrarium asserit, respondet illam procedere de iure ciuili, sed non de iure canonico; de meretrice tamen dicit eam non teneri etiam in conscientia ad restitutionem, quia nihil habet de alieno inuito domino, & probat etiam ex d. l. Idem & idem etiam dicit de illis, qui suis sceleribus fauorem aliorum, & munera sibi impetrarunt, ut sunt lenones, uenatores, histrio-nes, & huiusmodi. eandem sententiam tenet Sotus, sed aliter explicat, & est fere communis, contra quam erunt argumenta pro tertia sententia contraria, & ad primum argumentum Adriani responderetur esse maximam differentiam, quia quod bene datur turpiter recipienti, inuite datur, pro redimenda uexatione. ad secundum respondebimus inferius, contra sextam Caietani sententiam.

Tertia sententia est S. Ant. Monald. Ang. & Sylu. quos citat, & sequitur Nau. quod nulla sit differentia quo ad forum conscientię, in quo lex naturalis, & diuina necessario est seruanda, inter acceptum ob operam meretriciam, & ob operas ad alia maleficia, in quibus utrinque turpitudine uersatur; & sicut non est restitutioni obnoxium in foro conscientię, acceptum ob operam meretriciam, nec etiam est acceptum ob quodcumque aliud maleficium, quando turpitudine ex utraque parte uersatur; quia in omni datur, & accipitur contemplatione maleficij damnati, &

Cum hoc nõ sit proprium meretrici, sed commune omnibus sceleribus quãtũ est ex natura rei, & in foro conscientię, in foro ciuili meretrix priuilegiatur, quia illi soli datur actio.

Prima sententia. Abb. in c. Quia plerique de Immun. Eccl.

Couar. 5. 2. p. 2. ca. Peccati de reg. iiii. in 6.

punibilis in illo foro, & in omnibus æque uoluntariè datur, & in omnibus æque admittitur turpitude ab utraque parte, quo ad illud forum, & propterea, quod turpiter accipitur de uoluntate dantis, ita quod turpitude ex utraque parte uersetur, non est saltem regulariter alicui de præcepto restituendum; dicitur regulariter, quia in particulari casu potest præcipi restitutio, ut in simonia. Et Nau: probat primo, quia nulla est lex diuina, nec canonica, nec secularis, quæ hanc restitutionem iubeat, statuunt quidem leges datum ob maleficium non posse repeti, nec promissum peti, sed non præcipiunt acceptum esse alicui restituendum. Secundo, quia illi, qui dicunt esse restituendum, dicunt restitutionem faciendam esse nõ illi, qui dedit, sed pauperibus; & est regula Veruercelli recepta à S. Ant. Ang. & Sylu. quod restitutio, quæ ita facienda est pauperibus, ut id nunquam alicui persone, uel collegio debitum fuerit, cuius defectu pauperibus fieri præcipiatur, nec eis relictum fuit, aut per legem, uel sententiam specialem ad iudicatum, non est ex præcepto, sed ex consilio, quæ regula probatur ex ipso restitutionis nomine, nam restituere idem est, quod acceptum, & debitum reddere, seu in primo loco statuere, & reponere: quam sententiam nos etiam sequimur, sed deficit in uno, quod non explicat differentiam inter operam meretriciam, & operas aliorum maleficiorum, quam constituit d. lex, cuius differentię nos rationem reddidimus.

Tres ultimæ sententiæ quas subiiciemus conueniunt cum duabus prioribus, sed quia differunt in assignanda ratione iusti tituli, ideo pro maiori ueritatis explicatione illas sub nouo dubio distinguere uoluimus; nam dato, quod meretrix non teneatur acceptum in conscientia restituere, dubium est quo titulo illud retinere possit, cum sit acceptum ob maleficium. duæ primæ sententiæ non assignant aliam rationem, nisi legis auctoritatem, sed cum illa lex sit civilis, & maleficium obstare uideatur, ut in conscientia securitatem pariat, debet inniti rationi, & hanc modò quærimus.

Quarta sententia est Adriani, Medina, & aliorum, quod meretrix non tenetur restituere, & licitè retinet id, quod turpiter ex opere meretricio accepit, ex eo, quod sibi donatum fuit, & non accepit, nec retinet inuito domino; iustus igitur titulus est liberæ donationis, quia nihil tam naturale est, quam ut acquisitio fiat, secundum uoluntatem domini tradentis l. nihil tam naturale ff. de reg. iur. Sed Adrianus non sibi constat, quia paulò

Quo titulo meretrix possit retinere acceptum ob meretricium. Sententia Adriani quod titulo donationis.

Impugnatur.

superius dicit de illis, qui aliquid accipiunt, ut falsum testimonium dicant, uel aliud scelus committant, teneri ad restitutionem, cum eadem ratione, qua meretrix, excusari possint, quia. s. sponte, & liberè eis datur. Medina hanc rationem extendit ad acceptum ob quodcumque maleficium. Sed contra hanc sententiam facit, quod sibi obijcit Medina, quia in lucro meretricio non uideatur concurrere libera donatio, sed contractus locationis, uel in nominatus. s. do, ut facias, uel ut in hoc consentias; Ad quod respondet, quod si interuenit talis contractus, aut pactum, adhuc est in illo contractu admixta donatio, sicut in contractu emptionis, aut locationis, in quo quis dat præteritum excedens ualorem rei sine metu, coactione, & ignorantiâ; ex quo infert, quod si fornicator non intendit dare per uiam donationis, sed per uiam pretij, quia fortè putat id meretrici esse debitum, & hoc ipsi meretrici constat, tenetur restituere. Hoc quod Medina infert est contra communem, & falsum, nam meretrici datur actio petendi mercedem, quia licet turpiter faciat, non tamen turpiter accipit respectu legis humanæ. ergo accipit, & petit, ut pretium. Ex qua tamen illatione Medina infertur illam eius rationem excusandi a restitutione non esse sufficientem, quia etiam si accipiat, ut pretium non tenetur restituere.

Quinta sententia est Nauar. quod uera, & solida ratio est, quia acceptum uoluntariè ab alio pro maleficio, ita ut ab utraque parte admittatur turpitude, nulli est de præcepto restituendum. Sed ista ratio non satisfacit. Primo, quia loquimur de obligatione restituendi, ad quam impertinens est, uel per accidens, quod turpitude ex utraque parte uersetur; nam sicut obligatio restituendi fundatur in iustitia commutatiua, ita ratio ob quam tollitur obligatio restituendi, debet fundari in hoc, quod non agitur contra iustitiam commutatiuam, qualis non est turpitude ex parte dantis. Secundo, quia Nauarr. dicit hanc esse ueram, & solidam rationem; ex Aristot. autem in Præd. & Post. habemus regulam, qua cognoscere possumus propriam causam, passionem, subiectum, & correlatiuum, scilicet per remotionem reliquorum omnium; iuxta quam sic argumentor, posito quod quis det pecuniam meretrici pro actu uenero, uel assassino pro homicidio perpetrando, & quod accepta pecunia, illa nolit consentire in actum, & iste nolit occidere, turpitude fuit ex utraque parte, nam illa, & iste receperunt pro scelere perpetrando, ergo si illud perpetrare nolunt, non tenebuntur restituere

Sententia Nau. quia turpitude est ex utraque parte Impugnatio.

tuere pecuniam pro illo receptam, quia turpitudine in datione, & receptione fuit ex utraq; parte; & tamen communis sententia est, quod tenentur restituere, cum non fecerint id pro quo pecuniam receperunt; & quod licet ille, qui dedit, sit puniendus, & pecunia data priuandus, nihilominus ante sententiam restitutio illa facienda est; quod etiam docet Nau. in ca. 23. nu. 103. nam loquens de Simonia ex una tantum parte completa, dicit quod obligat ad restituendum acceptum ei, qui dedit, etiam ante iudicis sententiam, si datum fuit temporale, secus si datum sit spirituale, quia ad resignationem beneficii requiritur, quod fit ex utraq; parte completa. Ex quo pro sententia, quam sequemur, sic argumentor, posita turpitudine ex utraq; parte, & non commisso scelere, pecunia est restituenda, illo commisso non est in conscientia restituenda, ergo ratio liberans à restitutione, non est utriusq; turpitudine, sed quia factum est id pro quo data fuit pecunia. 3. quia non omne, quod turpiter accipitur à bene dante est in conscientia restituendum, ut pro prima sententia Soti contra Nau. probatum fuit, & magis etiam probabimus in secunda conclusione, ergo ratio restitutionis non sumitur ex eo, quod bene, uel turpiter datur, turpiter recipienti.

Sententia
Caiet. 2. 2
9. 32. ar. 7.

Sexta sententia est Caiet. quod meretrix non tenetur restituere, quia iusto titulo accipit, & retinet. s. uenditionis, quia usus meretricis est materia uendibilis, non sic autem de operibus aliorum peccatorum, quia non sunt uendibiles, nam dicit id, quod datur ob maleficium perpetrandum, dari, & accipi titulo emptionis, & uenditionis, actus autem dandi, & accipiendi, emendi, & uendendi tunc de se est illicitus, quando res data, uel emptata est in debita materia emptionis, uel dationis, quando autem non repugnat acceptioni, uel uenditioni, actus secundum se est licitus: inter meretricium autem, & simoniam, subuersionem iustitiæ, &c. hanc constituit differentiam, quia in meretricio res uendita, est usus uenerens, qui licet secundum se sit malus, non tamen constituit uenditionem malam, quia est materia uendibilis; in simonia autem res uendita est res sacra, quæ est in uendibilis, similiter, & in subuersione iustitiæ, nam iustitia non est uendibilis, & propterea constituit uenditionem iniustam. & huius differentia signum affert, quia dare mulieri pro uenereo usu antequam fiat est malum, pro quanto imperatur à luxuria, post factum autem non est malum, sed est actus iustitiæ à nullo uitio imperatus; dare autem pro sacris, & huiusmodi, tam ante, quam post factum semper est malum. Sed contra hanc Caieta-

ni dif-

ni differentiam dicimus esse eadem rationem de actu uenereo, & de actu cuiuscumque alterius peccati, & quod si ille est materia uendibilis, erit etiam quilibet alius actus peccati; hoc autem probabimus respondendo Medinae, & Nau. qui dicunt nullum opus peccati esse materiam uendibilem, pro quo multa faciunt argumenta, quæ omnia reducuntur ad duo capita. Primum, quia secundum omnes, dare, & accipere pro peccato perpetrando est malum, ergo illa emptio, & uenditio est mala, & illicita. Secundum, quia peccata nullius sunt pretij, nam aut uenduntur res spirituales, quæ nullo pretio estimantur, aut opera delictorum, quæ propter eorum uilitatem nullo pretio sunt digna, saltem in genere moris, quia sunt actus intrinsecè mali. Et si dicatur, quod illi actus uenduntur considerati in genere entis in quo sunt boni, respondet Nau. quod omnia iura in eis magis respiciunt id, quod est in genere moris, & ad hominem arguit, quia licet in actibus conficiendi, & ministrandi sacramenta, sit res temporalis, tamen secundum Caiet. ab omnibus receptum, non propterea possunt uendi, quia in illis magis attenditur spirituale, ergo eadem ratione, licet in opere peccati sit aliquid uendibile in genere entis, non tamen potest uedi, quia misceatur in uendibili, quod principaliter attenditur. Totus hic Medinae, & Nauarri conatus, sicut etiam ille Caietani, unico uerbo ruit, sed uoluimus immorari, ut melius explicetur vis precepti de restitutione.

Pro quorum solutione est primo notandum, quod licet res spirituales in se nullo pretio aestimentur, & opera peccati ratione culpæ nullo pretio sint digna, tamen spiritualia, quantum ad humanos usus; & ex illis habentur temporalia commoda, & temporales fructus, possunt ab omnibus pecunia taxari aestimari, & uendi; nam pecunia est factum pretium omnium rerum, etiam eorum, quæ multum excedunt, & nullum habent pretium, ista enim relata ad pecuniam, taxantur secundum communem aestimationem, unde fama ablata, membrum abscisum, uita sublata, in materia restitutionis, certa quantitate pecuniæ prudentum arbitrio taxantur, & simonia, quæ est uenditio spiritualium, non omnis obligat ad restitutionem, sed illa sola, quæ committitur in ordine, & beneficio, ut probauimus suo loco. Et si spiritualia non possunt uendi non est, quia non possunt secundum communem aestimationem taxari, sed quia est iure diuino, & humano prohibitum; & taxantur, & uenduntur scientiæ & consilia, quæ tamen, ut sunt opera intellectus in se longè ex-

Impugnatio differentie assignate à Caietano.

An opus peccati sit materia uendibilis.

Est primo notandum pro solutione.

ce-

cedunt pretium. Peccata etiam tantum abest, quod ratione culpæ sint aliquo prætio digna, ut sint execranda, & punienda; tamen sunt bonum quoddam apparens, & ut talia appetuntur, & fiunt, & secundum hunc usum potest quis ad illa locare operas suas, & pretio æstimator; & hoc de meretrice est clarum, nam quod ei datur, non est solum uia donationis, sed ut merces, & pretium, & si post concubitum quis nihil dare uellet, in iudicio, illa petente, cogereetur dare debitam mercedem; quia, propter infirmitatem carnis nostræ ad euitanda maiora mala, lex illas permittit, & eis dat actionem petendi mercedem suæ turpitudinis; sed (ut diximus) quo ad ius naturæ, & diuinum, in foro conscientie eadem est ratio de meretrice, & de alijs sceleribus, differentia est solum in humano iudicio, nam propter alia scelera non concedit actionem petendi. quod autem possint locari operæ etiam ad alia scelera, sicut illæ meretricis, patet, quia etiam in alijs est, quid appetendum (licet turpiter) secundum corruptum humanum usum, ut inimicum de medio tollere, lucrum ex sententia iniusta, delectatio, imo, & honor (sed diabolicus) ex uindicta sumpta. Est secundo notandum, quod modò agimus de obligatione restituendi, quæ obligatio non oritur ex hoc, quod turpiter accipitur, sed ex hoc, quod non seruatur iustitia commutatiua, quia accipitur, aut retinetur alienum inuito domino, uel simpliciter, ut in furto, uel secundum partem, ut si non tantum detur, quantum fuit acceptum & ita restitutio ad iustitiam commutatiuam reducitur, cuius est actus. concedimus igitur huiusmodi locationes, & uenditiones operum ad peccandum esse turpes, & illicitas, tam in meretrice, quam in quocumq; alio. sed dicimus non esse contra iustitiam, ut est specialis uirtus, sed contra charitatem, & alias uirtutes, quæ non inducunt obligationem restituendi. Sed difficultas est de locatione operum ad illa maleficia, quæ sunt contra iustitiam, ut si detur pecunia assassino, ut aliquem occidat; & dicimus hanc operum locationem non esse proprie contra iustitiam; est enim hic distinguendum, qui dat pecuniam alicui ad occidendum aliquem, contra iustitiam facit in hoc, quod querit illius mortem, similiter, & ille in hoc, quod occidit, dare autem, & recipere pro homicidio faciendo, non est contra iustitiam, sed est dare, & recipere mercedem homicidij pro altero facto. & probatur, quia tam procurans, quam occidens tenentur in solidum satisfacere hæredibus, & læsis pro damno illato, & si ille, qui homicidium procurauit integram restitutionem fecerit,

Secundo
notandū.

fecerit, alter qui occidit, quantum ad illos, qui passi sunt damnū remanet liber; si autem tenetur restituere id, quod accepit ratione iniusti homicidij, cum ista in iustitia sit respectu occisi, & hæredum, teneretur restituere hæredibus, & tamē nullus dicet eis esse restituendū, quia eis restitutio facienda est pro uita subblata, & non pro locatione operis ad occidendū. Concludamus igitur, quod accipere pecuniam ad maleficium perpetrandum licet sit malum, & iniquū, non est tamē cōtra iustitiā commutatiuam, etiam si contra illam sit ipsum maleficium, sed est locatio, & uenditio operum, ex quibus patet solutio argumentorū Medinae, & Nau. & falsam etiam esse differentiam, quam ponit Caiet. inter opus meretricium, & alia scelera, & sicut de meretrice dicit esse malum ei dare pro uenereo usu antequam fiat, sed non post factum, quia est actus iustitiæ, idem dicemus quando datur promissum post perpetratum quodcumque scelus, nisi lex obstet sicut in simonia, in ordine, & beneficio, quia tunc efficitur ex utraq; parte completa, & subditur censuris, & pœnibus ecclesiasticis.

Ex prædictis sententijs cum his, quæ pro earum confirmatione, uel impugnatione diximus satis manifestum esse potest, quid tenendum sit, nihilominus, ut rudioribus etiam consulamus aliquot subiiciemus conclusiones; quarum prima sit. Per hoc, quod lex ciuiliſ concedit, uel negat actionem repetendi, non satis habetur in foro conscientie obligatio restituendi. probatur quia eius concessio, uel denegatio actionis aliquando est in pœnā turpitudinis recipientis, uel etiam dantis, & requiritur sententia, & cōdēnatio, at necessitas restituendi nō oritur ex quacūq; turpitudine, sed ex uiolata iustitia cōmutatiua.

Secunda conclusio. Turpiter receptum à bene dante nō semper potest in foro iudiciali repeti, sed solum in casibus expræfatis, uel similibus, in quibus lex concedit repetitionē; quæ cōclusio patet ex his, quæ diximus pro prima sententia Soti, & probatur etiā, quia lex dat actionē repetendi ei, qui bene dedit cōtra illum, qui turpiter recepit, quia præsumit, quod coactè dederit ut patet l. ex ea. & l. si ob turpem adiuncta Glosa ff. de cond. ob. turp. cau. quod etiam exempla à legibus adducta significant. Sed potest contingere, quod aliquis det pecuniam alicui, ut committat aliquod peccatum, & ut faciat bonum quod debet, liberè, & non coactè, & propter Dei amorem, ut inde moueatur ad cognoscendā enormitatem peccati, & dātis charitate cōmouetur, & habeat unde sine peccato uiuat, ut si detur meretrici,

Prima cō
clusio.

Secūda cō
clusio.

Turpiter
receptū à
bene dan-
te non se-
per potest
repeti.

Q ut re-

Tertia cōclusio. Quando fit restituentum. ut relinquat statum meretricium; & si in iudicio præsumeretur sic fuisse datum sine fraude, & ui, non daretur repetitio. Tertia conclusio. Turpiter receptum à bene dante si ui, & fraude fuit receptum, restituendum est, etiam si non repetatur, at si sine ui, & fraude; si non repetitur licitè tenetur. Prima pars patet, quia est species furti. Secunda pars probatur, quia cum libere sine ui, & fraude datum fuerit, nulla est iniustitia, imo potest esse charitas, quia licet retrahere à malo, & inducere ad bonum etiam mercede: & quando sic acceptum fuit, potest expectari condemnatio. & confirmatur, quia ista restitutio non est ex natura rei, sed ex præsumptione legis, & in pœnam turpiter recipientis; & si receptum ob maleficium perpetrandum non potest repeti, & in conscientia non est restituendum, multo minus erit restituendum receptum ob faciendum bonum, uel relinquendum malum, nam si in dante ob maleficium non præsumitur uis, datem ad relinquendum malum potest mouere charitas; si datur repetitio bene danti ob turpitudinem recipientis, & non datur turpiter danti ob eius turpitudinem, datur tamen actio fisco, contra utrumq; & non contra eum, qui recipit, ut benè, & honestè uiuat, & scelera omittat.

Quarta cōclusio. Quarta Conclusio. Datum ob quodcumq; scelus, illo commissio potest in conscientia licitè retineri, licet turpiter fuerit receptum, & non ob id scelus fieri debuerit, & hoc nisi lege ecclesiastica præcipiatur restitutio, ut in simonia ex utraq; parte completa, de qua superius suo loco. dixi lege ecclesiastica, quia lex ciuilibus restitutionem induceret, ut pœnam in foro ciuili infligendam, & propterea posset expectari condemnatio, & etiam quia licet lex ciuilibus obliget ad peccatum, etiam mortale, non ita tamen, sicut Ecclesiastica, ut diximus, lib. 3. c. 2. huius 2. p. Conclusio sic declarata patet ex dictis pro confirmatione tertiæ sententiæ. Quinta conclusio, Ratio ob quam acceptum pro maleficio, illo perpetrato licitè retinetur, est uenditio, uel locatio operum, uel contractus innominatus, do ut facias. Ista conclusio patet ex his, quæ diximus pro sexta Caietani sententia contra Medinam, & Nau. etiam partim contra Caiet. & quæ ante citatas sententias pro declaratione d. l. 4.

Sexta cōclusio. Sexta conclusio facto maleficio, soluendū est promissum, & illo non facto, restituendum est acceptum; ista cōclusio est pro foro conscientia, nam secus de exteriori, de quo erunt duæ sequentes conclusiones. Nau. dicit peccatum esse petere promissum tanquam debitum, tum quia illa promissio tanquam nulla

non

non induxit aliquam obligationem, tum quia per talem petitionem approbaretur peccatum perpetratum, & propterea dicitur potius petendum esse in eleemosynam. Certum est non esse habendam relationem ad maleficium, quasi approbetur, & placeat factum, sed ad obligationem promissionis, quatenus sine peccato obseruari potest; promissio ob maleficium ante factū maleficiū est nulla, & nō inducit aliquam obligationē, at post factū maleficiū, & adimpletā conditionē, tenet, quia sine peccato seruari potest, ut patet ex dictis; & probatur etiā, quia acceptum facto maleficio in conscientia retineri potest, ergo factū est suū, ergo etiam promissum est debitum, nam dare, & accipere sunt correlatiua; si acceptum uirtute adimpletę conditionis factum est accipientis, ergo promissum erit debitum; nec obstat, quod lex non dat actionē, quia hoc est in foro exteriori in pœnā delicti; & hoc clarius patet in meretrice, cui lex dat actionē, quæ licitè retinet mercedem, quam alter cogente iudice soluit, teneretur autem restituere si promissum, & turpitudinis pretium nō esset debitum. Et confirmatur ex secunda parte conclusionis, quia acceptum ob maleficium illo nō perpetrato restituendū est, etiā si lex in pœnam turpiter dantis nō concedat repetitionē, quia cum non sit adimpleta conditio non factum est suū, ut diximus superius etiam ex Nau. de Simonia. Eadem autem est ratio retentionis accepti, & obseruationis promissi respectu eiusdem causæ; nā causa, quæ facit suū acceptū, facit promissum debitū. Nec obstat, qd diximus lib. 5. cap. 2. quod ille, qui in ludo perdidit, potest beneficio legis non soluere id, quod perdidit, etiam si soluere promiserit, nam etiam quo ad legem ciuilem est maxima differentia, quia ludentibus, denegat uincenti actionem petendi, & perdenti dat actionem repetendi, & per regulam iuris, cui datur actio competit exceptio, & retentio; at in maleficiis quo ad meretricium dat actionem, & negat repetitionem quo ad alia licet non det actionem, non tamen cōcedit repetitionem, sed utranq; negat; & consequenter ei qui promissum, non dat exceptionē, & redemptionem ex quo negat repetitionem, & cōsequenter etiā quo ad maleficia nō cōcedit, nec denegat translationē dominij, sed tāquā merè pœnalis denegat utraq; actionē, petendi, & repetendi, & contra utrumq; dat actionem fisco, respectu cuius requiritur sententia, & condemnatio.

Septima conclusio. Lex meretrici dat actionem, & contra illam denegat repetitionem. Octaua conclusio. Lex pro aliis sceleribus denegat actionē, & si turpitudinis est ex utraq; parte de-

Q 2 negat

Septima
cōclusio.
Octaua
cōclusio.

Nona conclusio.

negat etiam repetitionem, & Fisco tribuit actionem. istæ duæ conclusiones patent ex dictis. Nona conclusio. Vera peccati cognitio, & detestatio, has omnes difficultates tollit, nam uerus pœnitens securiorem amplectetur uiam, & non solum restituet contra iniustitiam acceptum, sed etiam turpiter acquisitum, Christo Domino in cuius iniuriam acquisitum fuit, largietur in persona pauperum, etiam si licitè, & tuta conscientia sibi retinere posset, ne apud se retineat testimonium, & lucrum perpetrati peccati.

De illis, qui fuerunt causa iniustæ acceptionis, etiam si nihil acceperint. Cap. XXVI.

Sunt causa directè, uel indirectè.

Cum ad restitutionem teneatur aliquis non solù ratione rei alienæ, quam accepit, sed etiã ratione iniustæ acceptionis, seu damni; quicumq; est causa iniustæ acceptionis, seu iniusti dâni tenetur ad restitutionem in solidum; quod quidem, ut inquit S. Th. dupliciter contingit, directè. s. & indirectè, directè quando aliquis inducit alium ad accipiendum, & hoc tripliciter, primo, mouendo ad ipsam acceptionem, quod fit præcipiendo, consulendo, consentièdo expræsè, & laudâdo aliquem quasi strenuum de hoc, quod aliena accipit. Alio modo ex parte ipsius accipientis, quia. s. eum recepat, uel qualitercumq; ei auxilium fert, Tertio modo ex parte rei acceptæ, quia. s. est particeps furti, uel rapinæ, uel quasi socius maleficij. Indirectè uerò quando aliquis non impedit cum possit, & debeat impedire, uel quia subtrahit præceptum siue consilium impediens furtum, uel quia subtrahit suum auxilium quo posset obistere, uel quia occultat post factum: tria enim requiruntur ad hoc, quod quis indirectè sit causa. 1. ut malo non obstet. 2. ut obistere possit. 3. ut obistere teneatur, quæ his uersibus compræhenduntur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Isti omnes tenentur restituere, quando sunt causa efficax iniustæ acceptionis, aut damni, & ita intellige dictos uersus, qui consulit consilio, scilicet efficaci; qui ita efficaciter consentit, ut eius consensus sit etiam causa, uel concausa actionis; qui laudat crimen perpetrandum, ita, ut eius laus, & adulatio sit illius criminis causa; qui ita recepat, ut sit illius iniustæ actionis causa, siue antequàm fiat tanquàm præbès, seu adiunã securitatem iniuste agendi, ac tanquàm hominè cõseruans ad iniustas actiones,

Tunc tenentur cum sint causa efficax.

nes, siue postquam facta est tanquam saluans illam, quasi proprius eius Socius, & defensor, qui tacet, & cum possit non obuiat iniustæ actioni arguendo, clamando, &c. dummodo ex officio teneatur, & sic de aliis; Et quamuis non obstans, & non manifestans excusentur à restitutione, quando ex officio iniustam actionem prohibere non tenentur; non tamen excusantur, secundum aliquos occurrente urgente necessitatis articulo, si eum possent absq; suo damno, & periculo id nõ fecerint, ut si quis sciat aliquem inuasurum alterius domum, & furaturum, & nisi ipse significet sequetur furtum, & absque periculo, & damno provide re potest, reus est furti. Sed posset dici cum Soto, quod peccant contra charitatem, sed non contra iniustitiam cum ex officio non teneantur; qui etiam subiungit, & cum eo Nau. quod non tenetur restituere etiam si à fure accepisset pretium, ut taceret ne clamando excitetur dominus, & uicini contra furem auxilium ferant; sed hoc falsum esse credo, nam licet tacere quando non tenetur ex officio clamare, sit solum contra charitatem, tacere tamen ob pretium acceptum, ut furtum fiat est contra iniustitiam, quia sic efficitur particeps furti.

Cum maxima sit, quod quicumq; est causa iniustæ acceptionis tenetur restituere, dubitatur quis sit dicendus causa iniustæ acceptionis, & Petrus de Palude quem aliqui sequuntur dicit, quod ille sine quo non fieret actio, unde famulus usurarij, qui non facit nisi manus suas denigrare computando, non uidetur teneri, sine quo erat idem factururus, quasi uelit illum, qui dedit causam iniustæ acceptionis, quæ nihilominus eo non dante causam, omnino contingeret; non teneri ad restitutionem; quæ sententia est falsa, ut bene probant Caiet. Sotus, Co uarr. Nauar. & alij; nam uerè causa iniustæ acceptionis, est quicumque illam iniustam acceptionem efficit, etiam si sine illo per alium facta fuisset, ut si quis habeat multos famulos & illis præcipiat, quod occidant talem uirum, quem ipse dominus paratus est occidere; similiter, & singuli famuli, & hoc illis constat; si unus eorum solus illum occidat, nunquid non erit uerè causa iniustæ acceptionis uite, & non tenebitur ad restitutionem, quia si ipse non occidisset, ab alio fuisset occisus? & in huiusmodi moralibus euentis non requiritur alium, qui ad restitutionem tenetur esse causam sine qua res non fieret; ad affirmatiuam igitur oportet respicere, an scilicet iste efficiat iniustam acceptionem, & non ad negatiuam, an scilicet non fuisset facta sine ipso, nam quilibet

Quis sit causa.
Palud. 4. c.
d. 15. q. 2.
art. 3.

Q 3 tene-

tenetur restituere ratione suæ operationis, & non excusatur, quia omnino hoc alius fecisset. Et confirmatur primo, quia in foro iudiciali non admittitur ista exceptio, si ego non fecissem, alter fecisset. Confirmatur secundo, ex illo Matt. 18. *Neceffe est, ut ueniant scandala, sed ne homini per quem scandala veniunt, id est quamuis scandalum per alium uenturum esset, ille tamen solus per quem uenit in culpa est.* Confirmatur etiam ex naturalibus si duo ignes eidem passo admoueantur, licet uterque per se illud combureret, nihilominus dum simul coeunt uterq; est causa. Ad iudicandum igitur an aliquis sit causa, uel concausa iniustæ acceptionis uidendum est an fecerit aliquid alicuius momenti ad illam causandam; si autem id, quod fecit est parui momenti, & non per se requisitum ad illam causam, nõ est proprie concausa, & non tenetur restituere, ut noctu transiens per uiam & inueniens sures admouentes muro scalam, illam tetigit ad nihil tenetur, quia non erat ex illis, & non tetigit quasi id ex ipso etiam penderet. Similiter, & famuli usurarij, qui non aliter, quam tangendo, uel seruando pecuniam, uel transcribendo libros seruiunt, moraliter loquendo nõ sunt causa usuræ, & quod efficiunt proprie non pertinet ad dationem ad usuram, sed illi, qui sunt usurariorum agentes, qui. s. contractus faciunt, & negotia tractant, sunt uerè causa.

Sed dubitatur adhuc, qui sint isti, Sylu. Vsuræ 7. §. 4. sic distinguit dicens, quod exigens nomine alieno usuras est duplex, quidam apud quem residet quasi principalis auctoritas domini, quia cum contrahitur ipse taxat pretium, & cogit soluere, quidam uero est minister tantum, siue merus exequutor, puta quia non taxat pretium, nec cum eo contrahitur, sed solum pecuniã manualiter tradit, & recipit pignus, ac pecuniam; primus (inquit) mortaliter peccat, & restituere tenetur, quia dat causam efficacem damni, quæ est in exactione usurarum, & non in mutatione, secundus mortaliter peccat, sed non tenetur restituere, nisi aliquid ad eum peruenerit, uel cooperatus sit ad exactionem, quia teneretur propter causam damni datam. Subdit, & dantes pecuniam domini sui ad usuram de eius mandato generali, tenentur restituere, domino non restituente, tanquam principales in hoc, quia in eorum optione erat mutuare, & non mutuare, & quia cooperantur in exactione usurarum; sed si tales de speciali mandato domini dicentis mutuare Petro decem libras ad usuram nomine meo, mutuent, licet peccent, tamen restituere non tenentur, & in eandem sententiã alios etiam citat,

& in

& in confirmationem adducit, c. fi. de iniurijs. Sed pace ipsius omnes prædicti restituere tenentur, Et punctus difficultatis consistit in hoc, quia illi restituere tenentur, qui fuerunt causa iniustæ acceptionis, seu damni; ex quo arguit ipse, iniusta acceptio, & damnum consistit in exactiõne usurarum, & non in datione ad usuram, ergo non dantes, sed exigentes tenentur restituere. Sed sic arguendum est, tota causa, & ratio iniustæ exactiõnis, & damni fuit datio ad usuram, ergo non solum exigentes, sed etiam dantes, restituere tenentur. & probatur ex eod. c. fin. quod ipse pro se adducit, cuius uerba sunt. *Si culpa tua datum est damnum, uel iniuria irrogata, seu alijs irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua siue negligentia euenerunt, iure super his satisfacere te oportet.* Si damnum dant exigentes usuras, certe dantes ad usuram opem ferunt exigentibus usuras, quia non nisi uirtute dationis illas exigunt, & per d. c. non solum tenentur restituere dantes damnum, sed etiam dantibus opem ferentes; & confirmatur, quia eadem ratione probaretur præcipientes, & consulentes furtum, recipientes, & defendentes furem non teneri ad restitutionem, contra communem, quia damnum non consistit in illis, sed in subtractione rei alienæ, cuius subtractionis causa est fur, & tamen certum est illos teneri; quia cum subtrahenti opem ferant, sunt etiam ipsi causa furti, certum etiam est magis esse causam exactiõnis usurarum dantes ad usuras, quam furi consulentes furtum, imo quam ipsi exigentes, cum uigore solius dationis exigantur, & soluantur; & totum damnum, & tota exactiõnis iniustitia reducitur ad dationem, nam exigere pecuniam ex se non est malum, sed malum est illam exigere, ut lucrum mutui. Et confirmatur etiam, quia si usurarius haberet duos ministros, unum principalem, qui daret ad usuram conuersiones, & contractus usurarios faceret, & aliũ uilẽ, qui huc, & illuc cursitet ad exigendas usuras, sequeretur hunc solũ, & nõ illum teneri ad restitutionem, & multo minus teneri consulentes dare ad usuram, & mediatores, & conficientes instrumenta in fauorem usurariorum, quod ipse facile concederet; & tamen falsum esse constat, nisi uelimus consèquenter dicere quomodo cumque consulentes, & adiuantès furem liberòs esse ab obligatione restitutionis, quod ipsemet syluester nullo modo concedit, nec concedere potest, cum sit falsissimum. Dicimus igitur omnes prædictos esse causam iniustæ solutionis, & exactiõnis usurarum, & teneri ad restitutionem, & ut inquit Nau. non solum tenentur ministri, & famuli, qui numerant, & tribuunt.

pecuniam ad usuram, sed etiam illi, qui ferunt pecuniã, quã mutua ad usurã mitti sciunt, secus de ignorantibus illã pecuniã, quã portant, & tribuunt usuraria prauitate maculatã esse, etiã si sciãt suos principales solitos esse aliquãdo dare ad usurã, quia cõcurrunt, ut causa illius, quæ est per se, nã per se, & proxime ad usurã requiritur traditio rei mutuata sub lucro. Et eadẽ ratione tenentur proxenerẽ, seu mediatores, & notarij cõficiẽtes instrumẽta, & testes, quia sine illis instrumẽtũ nõ ualet, & intellige quando se tenet ex parte usurarij ad dãdũ, secus quãdo se tenent ex parte illorũ, qui cũ necessitate prãmatur, & nõ inueniãt, qui gratis mutuet, accipiunt ad usurã ab existẽte parato dare, nã sicut isti licite accipiunt, ita illi licite sunt huius mediatores. Sed de notariis, & testibus aliqui dicunt tũc eos teneri ad restitutionẽ quando instrumẽtũ usurariũ est palliatũ, ut licitũ, titulo. s. uẽditionis cũ pacto de retro dẽdẽdo, uel cũ data sint 90. dñ. data fuisse 100. secus quãdo instrumẽtũ cõtinet apertã usurã, quia p illud, nec dãnũ intulit, nec fuit illius causa sufficiens, cũ, & qui accepit, & qui mutuũ dedit eo uti possint, quæ cũ Nau. limitãdũ est dũmodo huiusmodi instrumẽta non fiant in locis, ubi ex statuto iniusto, aut praua cõsuetudine, qui mutuũ ad usurã accipiunt, ad eã soluedã cõpelluntur. Aliqui etiã differentia constituit inter mediatores, & notarios, quãdo se tenet ex parte illorũ, qui coguntur accipere ad usurã, nã mediatores nõ solũ excusant a restitutione, sed etiã a peccato, sicut, & recipiẽtes, sed notarios excusant quidem a restitutione, sed dicunt eos peccare mortaliter, nõ tamẽ assignant rationem differentia, quæ forte fuit ista, quia mentiuntur dicentes data fuisse centum cum data fuerint 90. Sed si usurarius nõllet aliter dare, & recipiens non posset aliter reperire pecuniam, & cum necessitate prãmatur, liceat uti usurarii nequitia in bonum egentis, si notarius potest liberari à mẽdacio, ut non mentiatur nõ uideatur, quod ob defectum notarij, nolentis cõficere instrumẽtũ, indigens in sua necessitate sine spe auxilij sit relinquendus, facile autẽ à mendacio liberatur, quia recipiens, illa decẽ, quæ defunt, relinquit usurario pro solutione usuræ, & perinde est, ac si reciperet centum, & dedisset decem pro usura. Sed quid si uerẽ non esset usura, sed illa essent pro certo, uero, & reali interesse, & hoc recipienti, & notario constaret, dans autẽ ad euitandã suspitionem usuræ non uult in instrumento poni, quod ei dentur V. g. quinque pro reali interesse, sed cũ dederit 95. dicatur dedisse 100. dicitur, quod notarius eadẽ ratione excusatur à mendacio, sed in iudicio præsu-

me-

meretur fecisse contractum usurarium palliatũ, in rei tamen ueritate, & in conscientia si constat de uero, & reali interesse, sicut non est usura, ita etiam contractus non erit usurarius.

Omnes, qui simul concurrunt tanquam causa efficax iniuste acceptionis, siue directe, siue indirecte, tenentur in solidum, idest quilibet eorum, non restituente principali, siue quia non potest, siue quia non uult tenetur ad integrã restitutionẽ totius damni, quæ causauit, seu cõcausauit, quia fuit causa actionis, quæ totũ illud dãnũ intulit, quãuis nõ fuerit solus in causando. Inn. & Abb. in c. Sicut dignũ de Homic. dicunt, cõsulentẽ teneri ad restitutionẽ totius damni, at præstantem auxiliũ teneri tantũ ad partẽ dãni, quæ eius auxilio processit, & differentia rationẽ assignat, quia auxiliũ restringitur tantũ ad ea in quibus auxiliũ præstitit, sed consiliũ euagatur ad omnia damna. Verum, ut inquit Couar. hæc differentia est omnino falsa, nam consulens, & auxiliũ præstans absq; ullo discrimine tenentur ad damnum, cuius consilio, uel auxilio causam dederint, unde si consilium fuit causa totius damni, consulens tenẽbitur ad totum damnum, si partis ad partem, sic, etiam præstans auxiliũ tenẽbitur ad totius damni satisfactionem si causam auxilio dederit totius damni, si uero partis, tenẽbitur ad partem damni. Diximus singulos teneri in solidum, quando simul concurrunt, ut una causa, quia si non simul, sed disiunctim magnum aliquod damnum dederint, quilibet tenetur solũ pro damno, quod dedit, & nõ pro damno ab aliis dato, & si damnum à singulis illatum est paruum, & magnũ ab omnibus, ratione paruitatis materia singuli excusantur à mortali, & à restitutione, exemplum sit de transeuntibus diuersis diebus per uineam quorum singuli accipiunt duos, uel tres racemos uinæ, & sic totam uineã uindemiarunt; & si ratione magni damni ab omnibus illati præciperetur sub pœna excommunicationis restitutio, quilibet teneretur solũ restituere illud minimum, quod accepit, ita tamen, quod non se prodant, ut inquit Sotus.

Cum autem dictum sit omnes simul concurrentes teneri ad restitutionem in solidum, dubitatur an si unus eorum integram fecerit restitutionem, alij teneantur ei aliquid restituere, nã certum est, quod non tenentur amplius aliquid restituere domino, cum iam ei fuerit facta restitutio. Vbi distinguendum est, si quilibet eorum habuit partem furti, quilibet tenetur pro sua parte; si ille, qui restituit habuit totum furtum, alij remanent liberi, si aliter habuit integram furtum, ille tenetur ad integram

Quid si unus integram restitutionem fecerit.

gram satisfactionem ei, qui restituit. at si nullus eorum ex damno illato habuit lucrum, ut quia diruerunt domum, aut acceptam prædam ne caperentur, in flumen proiecerunt, distinguimus cum Soto, si ille, qui restituit ita efficaciter alios induxit ad damnum faciendum, quod sine eius persuasione non fecissent, alij nihil ei debent, at si ipsi uidebant eum sine illorum auxilio non facturum damnum illud, tenentur pro parte, at si omnes sponte sese sceleri obtulerunt, singuli aliorum debent ei, qui restituit singulas partes. Nec obstat, quod lex humana ei, qui integram restitutionem fecit non uideatur concedere actionem repetendi à sociis criminis partem aliquam eius, quod soluit, quia hoc est in penam criminis, an autem idem sit iudicium de foro conscientie patet ex his, quæ superius diximus de dato ob maleficium.

Quid sit restituendum, quantum & cui.

Cap. XXVII.

Quid sit restituendum.

SI restitutio facienda est propter aliquod acceptum illud ipsum si fieri potest regulariter restituendum est, nisi creditor sit alia re contentus: at si id quod acceptum fuit, non extat, aut ex aliquo singulari casu occurrente reddi non potest, ut si peccator occultus, inde manifestaretur, vel aliquod aliud maius incommodum sequeretur, restituendum est æquiualens. At si facienda sit propter damnum illatum, si damnum non est æstimabile qualia sunt uita, salus, libertas, honor, & fama, pro eo restituatur quod uir bonus arbitrabitur, quod si sit æstimabile, qualia sunt iurium fructum, feminum, damni emergentis vel lucri cessantis, restituatur quantum fieri potest æquiualens in aliis bonis, arbitrio boni uiri. Et si res iniuste retenta est fructifera, restituendi sunt etiam omnes fructus & emolumenta, quæ sunt ea, quæ deductis necessariis impensis, in illis acquirendis, colligendis, & conseruandis factis, supersunt. habita tamen ratione bonæ, uel malæ fidei iuxta ea, quæ dixi de prima restitutionis radice, quæ est ratione rei alienæ, nulla enim est differentia inter rem alienam, & fructus rei alienæ, quoad restitutionem, quia fructus ipse est res aliena si est rei alienæ. Si uero res non sit fructifera, non sunt restituendi fructus, qui ex eius usu, & industria illius, qui eam occupatam tenuit, lucrifacti sunt, quales exempligratia sunt fructus ex pecunia, usura, uel furto accepta, negociationi tradita, & illi,

quæ

qui fuerunt percepti ab eo, qui torquem aureum à non domino emptum sapius locauit, imo hos fructus accipere est usura, nisi quis acciperet pro suo interesse damni emergentis, uel lucri cessantis, quod ex re sibi suscepta passus est.

Tantum restituendum est, quantum satis est ad æqualitatem debiti, aut damni illati, ita ut si quantitas debiti, aut damni sit certa necesse sit tantundem restituere; at si quantitas est incerta, cuiusmodi est damni iniuriæ, uulnerum, fructuum speratorum interesse lucri cessantis, uel damni emergentis, & similibus, restituendum est quantum bono uiro, consideratis omnibus, rei temporis, loci personæ, &c. circumstantiis uidebitur, qui si æqualitatem statuere non poterit, ad eam quantum potest pro ius accedat. Quod si res restituenda est à possessore malæ fidei, in eius potestate periit, etiam sine sua culpa, uideatur tantum esse restituendum, quantum plus ualuit à tempore iniustæ acceptionis, aut retentionis, nam qui mala fide aliquid habet semper est in mora, & suo damno perit. ff. de cond. fur. si ex causa, ubi inquit Ulpianus, *Si furtiua res condicatur, cuius temporis æstimatione fiat, queritur? placet tamen id tempus spectandum, quo res uenquam plurimi fuit, maxime cum deterio rem factam fur dando non liberatur, semper enim moram fur facere uidetur.* Ex quibus uerbis Bart. inquit, quod re perempta succedit obligatio contra furem ad æstimationem quanti res plurimi fuerit eo tempore, quo dominus ea caruit, quod in foro conscientie limitamus cum Couar. ut procedat quando tunc dominus erat illam uenditurus, nam iuxta leges iustitiæ commutatiuæ satis est, quod res furto ablata domino restituatur, uel ea percepta iusta eius æstimatione, quæ iustissimam efficiat damni dati compensationem, & ad hanc æstimationem non pertinet quanti ea res plurimi fuerit à die commissi furti, ubi dominus eo tempore quo plus ualuerit non erat eam uenditurus, nec furis culpa illius ualor fuerit diminutus, ut etiam notauit Sylu. v. furtum.

Dubitatur an fur in conscientia possit sibi retinere pro sumptibus, & melioramentis factis in re furto sublata, & an sint ei in conscientia à domino rei restituenda; loquimur de foro conscientie, quia leges ciuiles, & doctores, furi, & malæ fidei possessori expensarum, & meliorationum repetitionem, & retentionem negant. l. ex argento. ff. de cond. furt. Et dicimus cum Couar. cum illa sibi retinere in conscientia posse, eiq; restituenda esse, nam ut diximus secundum iustitiam commutatiuam fur non tenetur nisi ad iustam damni compensationem, quod au-

tem

Quantum sit restituendum.

De expensis, & melioramentis in re furtiua.

tem secundum leges civiles perdat expensas, & melioramenta est pœna, quæ ante condemnationem in conscientia nõ est debita. at si dominus illa melioramenta fecisset, nisi res fuisset ab eo ablata, non posset reperere nisi expensas, quia dominus in hac melioratione per furtum læsus uidetur. Si autem essent melioramenta domino parum utilia, uel quæ nihil curat, & non posset subtrahi materia meliorationis seruatõ illæso pristino rei statu, in conscientia pro illis nihil restituendum esset.

Cui sit faci-
enda re-
stitutio.

Vt autem sciamus cui facienda sit restitutio notandum est, quod restitutio, uel facienda est ratione rei alienæ malè acceptæ, seu malè retentæ, eo tantum, quod est aliena; uel ratione damni illati, nomine damni intelligēdo; tam iniustam acceptio- nem, quam iniusti detrimenti illationem; Si ratione rei alienæ facienda est restitutio, dico rem alienam regulariter domino restituendam esse, & per dominum rei intelligitur etiam dispensator qualis est clericus bonorum ecclesiasticorum, ille quoque intelligitur, cuius custodiæ res accepta, aut damnificata commissa est, quamuis alius sit uerus illius rei dominus, & consequenter quoad hoc censetur dominus pignoris creditor, & de positi depositarius, in cuius custodia est, & uestis fingendæ sartor, & uestimenti lauandi fullo, seu lotor, & rei commodatæ comodatarius; nam quod ab eis acceptum est eis restituendum est, & non ijs quorum sunt, posset tamen in foro conscientia ueris dominis restitui, habita necessaria cautione, ne prædicti custodes, damno denuo restituendi, aut alia molestia afficiantur, neue incurrant in iacturam æstimationis, fidelitatis, diligentia, aut probitatis: quod tunc maximè fieri potest, quando aliquis prædictorum, habetur suspectus, quod non restituet domino, aut non sine magna difficultate, aut damno. Dixi regulariter, restitutionem domino faciendam esse, quia in aliquibus casibus potest alteri fieri, ut si dominus sit furiosus prodigus, aut habeat tutorem, seu curatorem, aut quando est longinquus, uel in tali loco, ut ad eum mitti non possit, uel non sine magno periculo, aut scandalo, aut quando ignoratur dominus rei, adhibita diligentia; aliqui etiam addunt, ut Caiet. quando Prælatus est dissipator reddituum ecclesiasticorum, restitutionem faciendam esse non illi, sed illius Ecclesiæ, quæ est uera illorum domina: at si Prælatus non est suspensus, nec ei datus est coadiutor, uerius uidetur illi restituendum esse, quia est uerus, & legitimus suorum bonorum dispensator, nec aliqua est lex, aut textus in contrarium, ubi tamen nullum posset timeri periculum scandali.

restit-

restitutio fieri potest Ecclesiæ, & non prælato, puta quando id ad Prælati notitiam deuenire non potest, qui lites moueat, & restituenti detrahat, uel noceat, & hunc credo, fuisse Caiet. sensum. Si restitutio facienda est ratione damni illati iuxta ea, quæ superius dixi, generalis regula est, quod regulariter damnificato fieri debet, dixi regulariter, quia aliquando ille, qui damnum passus est, uel mortuus est, uel longe abest, sicut, & de superiori regula dixi. Quando autem restitutio domino fieri non potest, quia mortuus est, uel longè abest, facienda est eius hæredibus, & affinibus, qui si neminem habet facienda est Christo Domino omnium hæredi, distribuendo illa, quæ sunt restitutioni obnoxia pauperibus, aut alijs pijs operibus; quo etiam modo restituenda sunt bona incerta, quorum post diligentem inquisitionem ignoratur dominus. & qui hæc restituere debet, poterit pro sua voluntate per seipsum sine Episcopo, & etiã sine confessore pauperibus, & pijs operibus distribuere, nec Episcopi contrarium iubere possunt, ut ex aliorum etiam sententia inquit Nauarrus: illa autem consuetudo Episcoporum, qui sibi horum bonorum restitutionem reseruant, ut sit bona, interpretanda est de absolute peccati commissi ob illorum non restitutionem. Quatuor tamen casibus potest hic Episcopus suã interponere auctoritatē. Quando scilicet restitutioni obligatus absq; hærede, & executore moritur. Quando ille, qui restituere tenetur, nõ uult id facere, & contra illũ in iudicio proceditur. Quando ille, qui distribuere debet nõ rectè distribuit; & quando huiusmodi res, ab eo possidentur, qui est, aut fuit manifestus usurarius. Quod si ille, qui pauperibus restituere debet, sit pauper, poterit totum, aut aliquã partem pro se retinere, maximè ex cõsilio Episcopi, aut Confessarij, tanquã unus ex pauperibus. At si illa, quæ inueniuntur, nunquam habuerunt dominũ, uel non extat eius memoria, uel dominus de eis non curat, sed habentur pro derelictis, sunt inuenientis.

Quando sit facien-
da paupe-
ribus, & a
quo.

Nau. c. 17
nu. 92.

Quando Episcopus suam possit interponere auctoritatē.

De Thesauris autem inuento, cuius dominus nescitur, dico, quod si in proprio fundo, uel domo inuenitur, totus est inuentoris; si casu in alieno inuenitur, una medietas est domini fundi, & altera inuentoris; si studiosè quærendo inuenitur cũ licetia domini donantis, totus est inuentoris; si quæritur contra, uel præter uoluntatē domini, totus est domini, & si sciendo thesaurũ esse in fundo, id dño ignorante, emitur fundus, uidetur, qd totus sit domini; & cõsuetudo in contrarium, qua thesauri inuenti Principibus reseruantur, non obligat in conscientia. De illis uerò, quæ

De thesauro.

tur-

turpiter dantur, iam dixi non esse necessariò restituenda; quæ si quis tanquam turpiter data, & accepta restituere uoluerit, non danti, sed illi in cuius iniuriam data sunt, Christo, scilicet, & Ecclesiæ restituenda essent, sicut & illa, quæ per simoniam accepta fuerunt, quæ, ut dixi, restituenda sunt, quia & contra iustitiam accepta fuerunt, & quia de illis est specialis lex.

Vbi facienda sit restitutio, quando, & quomodo.
Cap. XXVIII.

Vbi fit facienda.

SI restitutio ex re aliena consurgit, ibi facienda est, ubi res aliena habetur, ut ille, qui bona fide, & sine culpa possedit, ex tali restitutione nullum detrimentum patitur: si uerò ex contractu, aut quasi contractu debetur, fieri debet in loco expressè, uel tacitè solutioni destinato, aut ubi petitur; ea tamen lege, ut extra locum præstitutum solutio, nec creditori, nec debitori damno sit, & si nullus præstitutus fuit locus, restituendum; ubi coram indice competenti petitur. At si restitutio ex iniusta actione consurgit, ibi facienda est, ubi ille cui facienda est, nullum ex ea damnum incurret, & ita restituetur, uel ubi res accepta fuit, uel est dominus, uel in alio loco, ad quem dominus eam transtulisset: & quando res in alium locum mittenda est, malæ fidei possessor eam suis sumptibus mittere debet, ut sic ille, qui damnum passus est, nulla impensa, uel alio onere grauetur, ac si nullum ei fuisset illatum damnum.

Quando fit facienda.

De tempore autem, quo restituendum est, dicimus statim esse restituendum, nam licet restituere pertineat ad præceptum affirmatiuum, obligans pro loco, & tempore, habet tamen annexum præceptum negatiuum, scilicet, non detinebis alienum inuito domino, quod obligat semper, & ad semper, & propterea statim restituendum est, quod intelligitur, quantum ad præparationem animi, ut statim habeatur animus non detinendi alienum inuito domino, & restituendi unicuique, quod suum est; quantum uerò ad executionem, congruo tempore, seruatis debitis circumstantiis, restituendum est. Tria autem sunt, quæ à restitutione statim facienda excusare possunt, uoluntas, scilicet domini dilationem concedentis, rationabilis ignorantia iuris, uel facti, & impotentia, de qua quinque subiiciam conclusiones. Prima est, quod existens in ex-

Prima conclusio.

tre-

trema necessitate, non habens, nisi necessaria uita sua, & suorum, non tenetur statim restituere etiam si creditor eadem necessitate præmatur, quia tunc temporis omnia sunt communia. Secunda si probabiliter timetur subitam restitutionem futuram esse in damnum anime, uitæ, uel famæ ipsius restituentis, uel alterius, uel ex ea imminere periculum de aliquo mortali peccato, non est restituendum, nisi tali periculo cessante, quia hæc maiora sunt damna, quam statim non restituere. Tertia si statim restituere redundat in paruam commodum creditoris, & in magnum damnum debitoris, ut si opus esset debitori domum suam, multo minoris quam ualeat, uendere, non tenetur statim restituere, quia secundum rationem ei debetur dilatio; secus esset, si creditor in simili esset casu, quia nemo ut se commodet, alium incommodare debet, quod non solum locum habet in debito, quod est ex contractu, aut ultima uoluntate, sed etiam in eo, quod ex furto, aut alio delicto nascitur, licet Caiet. contrarium dicat. Quamuis enim hæc duo debita quoad suam originem differant, quia unum ex peccato nascitur, & non alterum; quoad hunc tamen effectum, saltem in foro conscientie, similia sunt. sicut enim utrumque restituendum est, & in utroque totalis impotentia omnino excusat, ita etiam in utroque mediocris impotentia mediocriter excusare debet. Aduertendum tamen est, quod nõ dicitur magnum damnum priorum bonorum, eo quod sint magnæ res alienæ restituendæ, quia illud non est suorum bonorum iacturam facere, sed aliena relinquere: nec etiam dicitur magnum damnum priorum bonorum, non lucrari, eo quod restitutus est, quia illud non est amittere suum, sed nõ uti alieno; nec etiam damnum priorum bonorum, à statim restituendo excusat, quando restitutionis dilatio infert etiam magnum damnum illi cui restituendum est. Quarta ille, qui totum statim restituendo non posset decenter pro dignitate status sui uiuere, etiam si dominus rei, qui non est in tali, uel maiori necessitate, nolit dilationem dare, non tenetur statim totum restituere debet tamen habere animum restituendi, quam primum poterit, & cauere ne sumptus faciat non necessarios. Quinta si ex restitutione statim facta, redundaret damnum corporis, aut anime eius, cui debetur, non est statim facienda, non enim furioso, nec irato ensi quod creditur se, aut alium percussurum, reddendus est, qua ratione

Secunda conclusio.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.
S. Ant. 2. p. tit. 2. c. 8 & Nau. ib. n. 62.

Quinta conclusio.

ex-

excusari possunt aliqui Principes, qui aliena retinent, probabiliter credentes ex eorum restitutione suos status passuros esse magna incommoda, & bella iniusta; quod tamen non habet locum, quando æqualia, uel maiora mala ex retentione, quam ex restitutione euentura creduntur. Et ne hoc præceptum de statim restituendo pœnitentes, & Confessores reos simul inuoluat, pœnitentes non sunt absoluendi, antequam in effectu restituant, si in alia confessione absoluti, neglexerunt restituere: debet enim Confessor pœnitenti credere pro se, & contra se, cum hoc tamen debet etiam cauere, ne mora delictum pariat, sicut aliàs peperit, nisi fortè talis pœnitens occurrat, & tales circumstantiæ temporis, loci, & causæ, ut confessor solo restituendi proposito contentus esse debeat. eadem ratione non est absoluendus ille, qui cum possit statim totum restituere, nõ uult nisi certam partem in singulos menses, & annos, & quousque solutionem finierit.

Quomodo sit restituendum.

Restituendum est eo modo, quem natura contractus ultimæ uoluntatis, aut delicti requirit; si delictum est publicum, restitutio quoque debet esse nota, & manifesta: si uerò sit occultum, debet etiam restitutio esse occulta, ut habeatur ratio famæ quæ ut magis conseruetur, potest quoque restitutio per tertiam personam fieri, ut persona, quæ damnum intulit, omnino incognita maneat: cauendum tamen est, ne quando per alium occulte restitutio fit, internuncius, quod restituendum est, retineat; & restituere debens, in sua obligatione permaneat: obquam causam, bonum est, ut ille per quem fit restitutio, syngrapham à creditore accipiat, in qua confiteatur si accepisse tantam summam per N. pro solutione eius, quod alius sibi debeat, sine nominis expressione, & eam pœnitenti, seu restituenti tradat. Quod si ille, qui restituere debet, sit pauper, poterit per se, uel per alium, ab eo cui restituendum est, condonationem petere, qui si uerè, & ex animo condonauerit, liber in conscientia existet.

Quis ordo seruandus sit in restitutione, & quæ causæ non restituentem à peccato excusent.

Cap. XXI X.

IN restituendo nullus est ei necessarius ordo, qui omnibus restituere potest, cum statim omnibus, quod debetur, soluendum

uendum sit: at si non suppetunt tot bona, ut omnibus creditoribus satisfieri possit, prius soluenda sunt debita certa, quorum creditores certò sciuntur, quam incerta, quorum creditores ignorantur; nisi incertum huiusmodi esset, ut certum sit, quod nunquam fuit certorum creditorum, ut calix consecratus repertus, aut ablatas: huiusmodi enim sine creditorum iniuria pauperibus dari possunt. In debitis certis, seruandus est ordo Baldi communiter recepti, scilicet, quod primum suo domino, id quod in propria forma, & specie reperitur, restituatur, ut commodatum depositum, furto subtractum. Secundo loco uenditori soluendum est pretium eius, quod uendidit, si emptor rem emptam in sua forma, & specie penes se habet, & si res emptæ pluris ualet, quam pretium pro ea promissum, eo soluto, residuum cedit aliis debitis soluendis: quod si res emptæ non sit penes emptorem, sed fuerit iterum uendita, uel cum alia re commutata, ille qui primo uendidit, non habebit hoc priuilegium, ut aliis creditoribus præferatur, quia nec pecuniam per illius nouam uenditionem habita, nec res cum qua permutata fuit in singularibus actionibus, in eius locum succedunt, nec sunt pro illa specialiter obligata. Tertio loco seruanda sunt statuta Regionis, si qua de hac re inueniantur specialia, & si non sunt seruetur ius commune, iuxta quod, ij quibus bona fuerint expressè obligata, aliis præferuntur, & postea in sua dote uxor, & fiscus aliis creditoribus, quibus non sunt bona expressè hypothecata, quamuis sint tacite; subsequuntur ij, quibus bona tacite sunt hypothecata suo ordine: postea depositarij si depositum non extat, quo tamen priuilegio non gaudet, qui sub nomine depositi, mutuat ad usuram. Tum subsequuntur illi, qui habent priuilegium personale sine obligatione reali: postremum locum tenent alij omnes creditores chirographarij, qui non habent hypothecam, nec obligationem bonorum expressam, nec tacitam, nec priuilegium personale, sine consideratione, quis eorum sit prior, aut posterior; ita ut quod prædictis satisfactis supererit, pro rata parte inter hos diuidatur: debent tamen ante omnia deduci impensæ necessariae, sed non pompasæ, & superfluas, funeris, & exequiarum debitoris mortui, & publicationis, & copias testamenti, & alia ad aditionem hæreditatis necessariae, ita ut si debita totam hæreditatem exauriunt, hæres sit immunis à lucro, & grauamine: quibus additur, quod qui alteri mutuum dedit pro reficienda domo, na-

In l. pro debito. C. de bon. aut. iud. poss.

R ui,

ui, aut alia re, præfertur omnibus habentibus hypothecam bonorum domini illius, in solutione ex eius pretio consequenda. Additur etiam, quod debitor, qui soluendo hunc ordinem non seruat, suæ conscientiæ non satisfacit, si eum ignorantia iuris, aut facti non excusat, nisi quando creditor aliquis, in suis creditis petendis in iudicio, aut extra illud, fuit cæteris diligentior; quia tunc non solum potest, sed etiam debet prius illi, quam aliis soluere, dummodo alii non sint magis priuilegiati; & hoc idem, quod dicitur de debitore soluente, dicitur dum est de creditore petente; nempe, quod non peccat accipiendo suum debitum, quod diligentius petiit, nisi alii sint magis priuilegiati, tunc enim peccarent uiolando iustitiam, quæ uult, ut illis prius, quam ipsi satisfiat; ex quo infertur peccare generos, & nurus, qui recipiunt, aut retinent de bonis socerorum, quod eis debetur scientes eorum bona aliis magis priuilegiatis deberi. De usurariis quoque, qui non possunt omnibus satisfacere, dicitur, quod prius debent soluere, quod debent per licitos contractus, quibus non sunt pauperiores effecti, quales sunt emptionis, & mutui, quam usuras inique extortas, etiam si ante illos contractus fuissent extortæ, dummodo non extent in propria specie res usurariæ, ut pignora; debent enim reddi dominis, pecuniam reddentibus. At si ex licitis contractibus pauperiores efficerentur, ut in contractibus donationis, & promissionis dotis accidit, prius debent extortas usuras soluere, quam id, quod per illos contractus gratuitos, debent.

Causæ excusantes à restitutione ac.

Nouem autem sunt causæ, quæ à restituendi obligatione, & restituente à peccato liberant. Prima est extrema necessitas, & impotentia, de qua in præcedenti capitulo ubi ostendimus, quæ impotentia excuset à statim restituendo. Secunda si ille cui restituendum est, debitorem ab obligatione liberet; dummodo talis condonatio fiat ab eo, qui donare potest, & scienter, & spontè fiat, sine uii, metu dolo, aut fraude aliqua. Tertia est, si in compensationem detur, aut procuretur officium aliquod uendibile: nam si alia officia, aut beneficia darentur, esset simonia: at si post datum, aut procuratum beneficium gratis, creditor, gratitudinis causa, debitum remiserit, debitor à restituendi obligatione liber existet. Quarta est, probabilis ignorantia facti, qua credit id, quod restituendum est, cum esse, & etiam ignorantia iuris obscuri, præsertim quando ue-

ri

ri scientia, & conscientia præditi ei consulunt, quod non tenetur restituere: non esset autem probabilis ignorantia, si creditor eos consuleret, quos nisi crederet sibi placita responsuros non consuleret: quam probabilem ignorantiam non possunt prætere illi, qui emunt à famulo orbem, aut salinum, argenteum, aut à iuvene pannoso sericum: credere enim, aut certè dubitare debent eos per furtum illa habuisse. Quinta est canonica præscriptio, hoc est cum bona fide à principio continuata possessio tanto tempore, ut iura canonica approbant, quæ ius parit in foro conscientiæ, ita ut sine peccato, quod sic præscriptum est retineatur, etiam si postea sciatur fuisse alienum, quia auctoritate legum rationabilium pro communi bono sancitarum acquisitum fuit dominium rerum legitime præscriptarum: at præscriptio legalis iuris ciuilibus, quæ sacris canonibus non consentit, sicut, & particulares regnorum leges, uel ciuitatum statuta, quibus statuitur, ne post aliquot annorum lapsum, debitum peti possit, debitorem scientem se debere, & non restituentem in foro conscientiæ minimè excusant. Sexta est cessio bonorum, qua debitor ea creditoribus relinquit, quæ tamen in foro conscientiæ non excusat, nisi quatenus necessitas sine ea excusaret. Septima est impotentia restituendi sine uitæ, & salutis periculo, cum enim restitutio sit actus iustitiæ commutatiue, quæ ad æqualitatem partes reducit, non sunt necessariò danda bona altioris ordinis, & inestimabilia, qualia sunt uita, & salus pro bonis fortunæ, quæ sunt inferioris ordinis. Octaua est impotentia restituendi sine amissione libertatis, & sui ipsius uenditione, cuius ratio eadem est, quæ & septimæ. Nona est impotentia restituendi bona fortunæ sine amissione famæ, cuius etiam est eadem ratio, quæ & duarum præcedentium: nam fama est sua natura bonum inestimabile, & superat pecuniarum bonum sicut salus, & uita, & quod dicit Sotus debitum aliquando superare estimationem famæ, & eum qui illustrem aliquam familiam infamauit, teneri ad restitutionem famæ cum iactura uitæ, durum est, & falsum, quod etiam patet ex decreto Innoc. 3. de pœn. & rem. c. Officij, inquit enim Innoc. quod metus indicandi suum adulterium marito excusat uxorem à restituenda hæreditate, nec distinguit inter hæreditatem magnam, uel paruam, & inter famam magnam, & infamam. Vbi notandum est, quod hæc causa à restitutione excusans est solum intelligenda de fama bonitatis, uirtutem.

R a theo-

260 De Sept. Præc. Dec. & Restitutione
 theologiam, & moralem consequente; & non de fama ex aliis
 præclaris rebus parata, qualis est fama ingenii, scientiæ, uirium,
 diuitiarum, & aliarum similium rerum: harum enim fama non
 uidetur inæstimabilis, sicut fama bonitatis. Et ista de hac se-
 cunda parte dicta sufficiant, ad Christi Domini nostri gloriam,
 tum etiam Beatæ Mariæ semper Virginis, Sanctæ Mariæ
 Magdalene, Sanctæ Catharinæ, & omnium Sanctorum
 quos suppliciter deprecor, ut pro me orare
 dignentur Dominum Nostrum Iesum
 Christum, Deum uerum, cum
 Patre, & Spiritu Sancto, in
 eadem gloria regnan-
 tem. Amen.



DE

D E
O F F I C I O
S A C E R D O T I S

CHRISTO SVMMO SACERDOTI
 ET EIVS IN TERRIS
 VICARIO.

Auctore.

COSMO PHILIARCO PISTORIENSI
 CANONICO, ET THEOLOGO
 FLORENTINO.

TERTIA PARS.



VM iuxta Principis Apostolo-
 rû doctrinâ semper debeamus
 esse parati ad satisfaciendû om-
 ni posceti nos rationem de ea
 quæ in nobis est fide, hanc ter-
 tiam partem, quæ ad populi in-
 structionem pertinet, ita tracta-
 bimus, ut etiâ hostes fidei suos
 possint agnoscere errores, & im-
 pietate relicta, catholicâ ueri-
 tatem amplecti: & in quatuor
 libros distinguemus, Primus
 erit de ueritate catholice fi-
 dei contra Gentiles. In secundo
 tractabimus de Christiana Re-
 ligione contra Iudæos, & Hæreticos, qui etiam ad fidelium con-
 firmationem pertinebunt. Tertius erit de præcipuis Christia-
 næ Religionis Dogmatibus. Quartus de Virtutibus.

Animam rationalem esse immortalem ex Voluntate multipliciter probatur. Cap. Primum.



M in hoc primo libro intendamus agere contra fidei hostes, & contra illos maxime, qui nolunt credere nisi ea, quæ corporeis oculis cernuntur; ut ex his, quæ uidentur cogantur credere ea, quæ non uidentur, & diuina adiuuante gratia, suauiter omnia disponente, obstinatione deposita, & depulsis erroribus ad lumen ueritatis manducantur, pro maiori etiam tractatorum.

explicatione, aliqua præmittemus fundamenta, ex quibus intellectus ad credendum, & intelligendum, & uoluntas ad amandum, & operandum, magis disponetur; quorum primum est Animam rationalem esse immortalem, illam enim mortalem, credentibus, uana, & ridicula sunt ea omnia, quæ de Deo, & de Religione dicuntur, cum nihil aliud nisi carnem, & carnalia sapere possint; quorum quanta sit stultitia, & impietas, ex rationibus luce clarioribus quas in medium adducemus constabit, illas autem sic formabimus, quod eisdem etiã manifestum erit, beatitudinem nostram in solo Deo consistere, & illam solam Religionem esse ueram, quæ est de uero Deo, & ad illum ducit, qualis est sola Christiana.

Hominem esse mortalem, & eius corpus putrefieri, satis experientia constat; quid autem sit de illius anima, intereat ne cū corpore, aut tanquam immortalis perseueret, experientia haberi non potest, nam cum sit spiritus, non percipitur sensibus; ob quam etiam causam ex illius operationibus in eius cognitione deuenire debemus; duæ autem sunt propriae hominis operationes, quæ cæteris animalibus non cōueniunt, intellectuālis, scilicet cognitio, & uoluitio, quarum potentia sunt Intellectus, & Voluntas, ex quibus animæ immortalitas multipliciter euidenter probatur; & omnes rationes, quæ ex illis desumi possunt, Iob. cap. 14. duobus uerbis insinuauit dicens, *Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret? immutabis faciem eius, & emittes eum? Roborasti, quo ad uoluntatem, qua homo est dominus suarum operationum; roborasti autem, ut in perpetuum transiret? nequaquam, Immutasti faciem eius, quo ad intellectum, quia dedisti illi alium modum cognoscendi ab aliis animalibus, & emittes eum,*

eum, ut in perpetuum non sit? Et ut prius de uoluntate loquamur, ita est roborata, ut sit undiq; munita uirtute infinita, eius autem quodammodo infinita uirtus, quinque uis ostenditur, quarum quælibet suam propriam infinitam uim habet; & istæ sunt eius libertas, capacitas, obiectum, appetitus, & modus operandi. Potentia quodammodo infinita uoluntatis, primo apparet ex eius libertate, & hoc tripliciter. Primo, quia seipsa primo mouet ad suas operationes. Secundo, quia à nulla uirtute etiam superiori potest cogi, ut aliquid uelit, uel quod nolit id, quod elegit; unde uidemus, quod sæpe aliquid uult contra omnem sensuum inclinationem, & talem, quæ uidetur habere uim cogendi, ut si quis eligeret fame perire, uel se præcipite dare, & nihilominus uoluntas est aliquando ita obstinata, ut neque à sensu, neque à ratione, neque ulla amicorum persuasione dimoueri possit. & non solum corpora cælestia, sed etiam ipsimet Angeli non possunt illam mouere, & efficere, ut aliquid uelit, uel nolit, sed uirtutes cælestes possunt ratione corporis inclinationem inducere, & Angeli proponere, & persuadere, non tamen possunt illam cogere, solus Deus tanquam creator illam mouere potest, & non potentia ordinaria, nam huic potentia sua libertate contradicit, & resistit, & quod est contra Dei uoluntatem eligit, & facit; sed potentia absoluta, qua Deus communiter non utitur, cum suauiter omnia disponat. 3. quod ex his duobus sequitur, uoluntas est domina suarum operationum: Ex quibus sequitur uoluntatem, & cōsequenter etiam animam cuius est potentia, esse immortalem, nam quicquid se primo mouet, & quod non mouetur ab alia creatura naturaliter naturali motu, aut ab aliquo agente naturali, est æternum, & non potest corrumpi; nam ut corrumpatur debet ab aliquo naturali agente, naturaliter, & efficaciter moueri; at uoluntas à nullo naturali agente potest efficaciter moueri ad suas operationes; neque potest eius operatio impediri, neque aliqua necessitas, aut uis ei ab ulla creatura inferri, ergo neque etiam poterit moueri, neque aliqua uolentia ei poterit afferri ad essentia ipsius corruptionem, nam quales sunt operationes, & quales sunt potentia rerum, talis est earum essentia, substantia, & existentia. Et confirmatur, quia substantia, que corrumpitur, per qualitates suis qualitatibus contrarias corrumpitur, per hoc quod remouentur eius qualitates sine quibus esse non potest, nam substantia nihil est contrarium, at nulla creatura potest agere in substantiam animæ, neque in aliquam eius qualitatem, seu potentiam, ut est.

Ex libertate infinita quodammodo potentia uoluntatis.

Animæ uoluntatis potentia

animæ rationalis, actione prædominante, cogente, & uim afferente, cum sit domina suarum operationum.

Infinite
litate po-
tentiæ ex
eius capa-
citate.

Secundo infinita uoluntatis potentia sumitur ex eius capacitate; quæ est infinita, nam uoluntas potest amare, & desiderare bonum maioris, & maioris perfectionis sine termino infinitum; & quibuscumque bonis ei propositis, adhuc potest plura, & maiora appetere; sed hæc eius infinita capacitas debet tandem aliquando repleri, & non potest in hac uita, ergo postea in futura. Et si obijciatur, quod etiam materia est infinita capacitatis. Responderetur ex hoc animæ rationalis immortalitatem confirmari, quia illa infinita capacitas, seu potentia materiæ, arguit eius imperfectionem, hæc autem uoluntatis perfectionem, nam capacitas materiæ non est ad formam infinitam, sed ad omnes indifferenter, at capacitas uoluntatis semper tendit ad perfectius; hinc sequitur, quod materia perfecte quiescit sub uilissima etiam forma, & ex se non appetit perfectiorem, & quod perfectiorem acquirat est ab agente naturali generante sibi simile; at uoluntas contemnit minus bonum, ut maius, & perfectius acquirat; & tamen materia ex hoc, quod est capacitatis infinita, est ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo multo magis uoluntas erit incorruptibilis, sed differenter earum incorruptibilitas ex infinita capacitate colligitur; nam capacitas materiæ est respectu formæ dantis esse specificum, & propterea est solum ad hoc, ut semper sit, siue sub isto esse specifico siue sub alio, parum ei refert, dummodo semper sit; at capacitas uoluntatis non est ad hoc, ut semper sit, nec est ad formam dantem esse specificum, quia est formæ specificæ immortalis, sed est ad hoc, ut perfectius sit, nam præsupponit esse perfectum naturale, & incorruptibile, cuius est potentia, & maiorem, & infinitam perfectionem adhuc in suo esse appetit, bono scilicet frui infinito.

Voluntatis
obiectum
est infini-
tum.

Tertio sumitur ex eius obiecto, quod est infinitum, nam uoluntatis nostræ obiectum est bonum in communi, & non hoc, aut illud particulare; non enim est sicut materia, quæ respicit infinitas formas diuisim, & si relinqueretur, sub quacumque quiescit; sed uoluntas quocumque bono adeptæ, semper plura appetit, & magis sub uno esse, quam sub diuersis particularibus, ut argentum, quam numos, aurum quam argentum dignitatem regiam; quam multas inferiores, nec potest quiescere nisi in illo bono, quod continet omne bonum, qualis est solus Deus, sed in hac uita non potest illo frui, ergo fruatur in-

alia,

alia, aliàs enim nobilissima potentia esset infelicissima, & cæteris aliis deterioris conditionis, aliæ enim omnes suum attingunt obiectum, & ipsa sola illo frustraretur, quod cum nullo modo sit dicendum, alia pro anima rationali asserenda est uita.

Quarto eius desideria, & appetitus sunt boni infiniti, & æternæ illius possessionis, nam appetit bonum, & bonum infinitum, ut infinitum, appetit beatitudinem, quæ comprehendat omne bonum, & excludat omne malum, & in illa sine fine esse desiderat, & posthanc uitam, æternam uitam ab intellectu ei propositam appetit, & desiderat non solum in specie, sed etiam in individuo, ex quo æternæ uitæ appetitu sequitur, quod homines licet sciant se ultimum, huius mortalis uitæ diem claustrum, nihilominus quærunt apud hominum memorias etiam in hac uita perpetuari, historiis, & edificiis, rebus bonè, & fortiter gestis, qui appetitus cum sint rerum, quæ in hac uita haberi non possunt, indicant animam manere post mortem, & tunc esse adimplendos, nam appetitus naturales non sunt uani, & quibus natura dedit appetitum, ordinauit etiam ea, quæ talem appetitum completerent.

Voluntatis
appetitus.
Sunt boni
infiniti.

Quinto. Virtus uoluntatis ex illius operationibus ita cognoscitur, ut etiam animæ immortalitas probetur; nam anima licet sit in corpore, & sit forma corporis, habet tamen operationes uoluntatis, & ut dicemus, etiam intellectus, independentes à corpore, nam uoluntas uult, & non uult; liberè, etiam contra omnem appetitum sensitium, quia est super omnem sensum, & se ipsa sola elicit hunc actum, imò nec intellectus potest ei necessitatem inferre, quia potest non sequi iudicium intellectus, & potest etiam intellectum diuertere ne illa consideret; & sicut habet operationes independentes à corpore, ita etiam ei competunt uirtutes, quæ nullo modo possunt esse in sensu, aut in corpore, ut iustitia, religio, timor Dei, amor Dei, & aliæ, quarum obiectum est Deus, nam sensus non potest ad tam altum obiectum ascendere, qualis est Deus, & res diuinæ; si autem uoluntas habet operationes independentes à corpore, anima rationalis cuius uoluntas est potentia, habebit esse independens à corpore, & consequenter destructo corpore remanebit, nam qualis est operatio, talem rem esse necesse est, unde ex operationibus deuenimus in cognitionem rerum, quem philosophandi modum secutus est Arist. nec alius esse potest.

Ex uolun-
tatis ope-
rationi-
bus habe-
tur animæ
immorta-
litas.

Ex in-

Ex intellectu multipliciter probatur anima immortalitas . Cap. II .

Intellectus equalis cognitioni a sensitua differt in quatuor ex quibus habetur immortalitas anime.

Mira uirtus intellectus ex hoc, quod est uniuersalium.

Secundo immortalitas anime probatur multis rationibus. ex intellectu altera eius potentia deductis, de quo Iob dicit, *Immutasti faciem eius*, id est dedisti homini diuersum modum cognoscendi ab aliis animalibus, & ista diuersitas consistit in quatuor, ex quibus manifeste colligitur immortalitas anime. Primo, quia alia animalia non cognoscunt nisi singularia, cum eorum cognitio sit sensitua, quæ est singularium, at intellectus cognoscit uniuersalia, & est proprie uniuersalium & tamen uniuersalia non sunt in rebus, non enim est in rerum natura homo in communi, aut planta in communi, id est separata a singularibus, eo modo quo intellectus apprehendit, considerat, & cognoscit. Intellectus ex hoc, quod intelligit uniuersalia, quæ non sunt, sic in rebus separata sicut ipse intelligit, quatuor facit ex quibus mira eius uirtus, & immortalitas anime elucet. primo, intellectus agens irradiat, & illuminat phantasmata, quæ sunt singularium, ut in illis appareat quidditas, seu natura, quæ latebat, & ex eis producantur species intelligibiles in intellectu possibili, & consequenter secundo, phantasmata denudat a conditionibus indiuiduantibus, & materialibus, & efficit species intelligibiles, quæ solum, quidditatem representant, & sic denudando separat etiam ea, quæ re ipsa sunt inseparabilia substantiam, scilicet a suis proprietatibus. 3. hac denudatione, & separatione abstrahit quidditatem a singularibus. 4. abstrahendo facit uniuersalia, quæ sic ab intellectu effecta, uirtute intellectus tres proprietates acquirunt. Prima, efficiuntur quodammodo spiritualia, nam licet humanitas constet ex materia, & forma, tamen non est longa lata, &c. sed est abstracta a dimensionibus, & ab omnibus materialibus accidentibus. Secunda sunt in generabilia, & incorruptibilia, nam Petrus, Paulus, &c. generantur, & corrumpuntur, & non homo in communi, nisi per accidens. Tertia, sunt consequenter æterna, & hæc omnia non sunt figmenta, sed realia, nam ipsæ rerum nature sunt fundamentaliter in singularibus, sub isto autem esse uniuersali, spirituali, incorruptibili, & æterno fiunt ab intellectu, & de istis sunt scientiæ, non enim sunt singularium. Si ergo est tantus intellectus, ut materialia, immaterialia, corruptibilia, incorruptibilia, & æterna reddat, quomodo ipse non erit immaterialis,

lis,

lis, & incorruptibilis? non enim potest dare, quod ipse non habet, neque efficere effectum sublimiorem, perfectiorem, & puriorem se; Si separat ea, quæ uigore omnium agentium naturalium separari non possunt, quomodo eius uirtus erit corporea, aut corpori astricta? Si ex phantasmatibus elicit species intelligibiles actu immateriales, & uniuersales, & illas in se recipit, quomodo non erit immaterialis? nam quod recipitur, recipitur ad modum recipientis, & obiectum debet esse proportionatum potentie.

Hinc sequitur secunda differentia, nam cognitio aliorum animalium est totius coniuncti, non enim sola eorum anima uidet sentit, memoratur, sed potentia ex anima, & corpore. At homo sic intelligit, quod licet ad intelligendum concurrant phantasmata, ipse tamen solus intellectus intelligit, & iudicat ita esse, & non esse, & actus intelligendi non est compositi, sed est solius intellectus, ut est a corpore abstractus, & potentia solius anime: non potest quidem in hac uita intelligere sine phantasmate, nam necesse est intelligentem phantasmata speculari; sed phantasmate ei representato ipse solus intelligit, & non aligatur phantasmatibus, & phantasmata, & apprehensiones terminorum, concurrunt tanquam causa, sine qua non; nam in actione duo præter alia sunt consideranda. Primo ipsius substantia, & quæ ipsi intrinsece insunt. Secundo modus ipsius actionis, secundum quem fit, ut quod uisio fiat in coniuncto, est natura ipsius uisionis, quod autem fiat in tali distantia, est modus, & licet uarietur modus, non ob id uariatur substantia actionis, secundum quam iudicandum est, ut in eodem exemplo, ob diuersam habitudinem oculi, quando oculus est male affectus parum uidet, & quando bene, uidet eminus, sed substantia uisionis est semper eadem. In intellectu autem ipsius substantia est, quod sit accidens immateriale, soli anime inharæs, absque corpore coniunctione, & quod sit solius intellectus operatio; quod autem fiat per phantasmata, pertinet ad modum, quatenus. si anima est in corpore, nam quam diu est in corpore, eo mediante intelligit, at separata, sine corpore, & phantasmatibus, intelliget, uariabitur modus intelligendi, sed non substantia intellectus, quia semper ipse solus intellectus immediate intelligit. Hinc sequuntur sex uirtutes intellectus, ex quibus manifeste colligitur, quod non est materialis, sed spiritualis, nam ut spiritualis, & a corpore in suo actu independens sequentia operatur. Primo ratiocinatur, definit, diuidit, de futuris discurret, &

futu-

Intelligere non est coniuncti, sed solius intellectus.

Sex inde uirtutes intellectus.

futurorum prouidentiam habet, quod est proprium ipsius; uirtus enim cognoscitiua corporea id solum cognoscit, quod repræsentat species, & non supergreditur species, oculus enim id solum uidet, quod ei per speciem rei præsentis repræsentatur; solus intellectus ex speciebus acceptis ratiocinatur circa ea, quæ illi repræsentantur, & ex illis alia deducit; quod si quædam animalia uidentur mira operari, id faciunt, uel instinctu nature uel ex assuetudine, ut sunt illa, quæ habent memoriam, & dicuntur disciplinabilia, sed nullo modo discuntur, aut ratiocinantur: Credere etiam est actus solius intellectus separatus, & supra omnem sensum, & corpus, neq; ab eo pendet, non solum, ut est actus fidei diuine, sed etiam humanæ, nam credimus, quia uolumus, neq; potest intellectus noster cogi ad credendum uir rationum, alioquin esset scientia, uel opinio, sed mouetur solû autoritate, & hoc, quia uult ei credere, neq; potest cogi ad credendum ab aliqua creatura. 2. alia animalia non cognoscunt nisi, quæ phantasmatis repræsentantur, nisi pauca quædam ui æstimatiuæ, quæ ad uitæ conseruationem sunt necessaria, ut ouis uiso lupo apprehendit inimicitiam, ut fugiat; at intellectus ex phantasmatis ratiocinando uenit in cognitionem eorum, quæ phantasmata nullo modo repræsentare possunt, & non aliorum tantum necessarium uitæ conseruationi ex instinctu nature, sed omnium ferè, & propter ipsam contemplationem, nam ratiocinando etiam ad Angelos, & ad Deum ipsum eleuatur; certum autem est sensum nõ posse eleuari ad cognitionem indiuisibilem, ut puncti, & instantis, nec rerum spiritualium, & Angelorum, nec æternitatis, & multo minus Dei. 3. sic eleuatus spiritualia, & corporalia, sibi quodammodo subiiciens, in quibus conueniant, & in quibus differant considerat, & differentias inter illa constituit. 4. Intellectus intelligendo separatur à materia, & à corpore, cum abstrahendo intelligat, & quo magis separatur, seu eleuatur, & abstrahit, eo altius intelligit; ex quo colligitur animam esse supra corpus, & ab eo separabilem, nulla enim res corrumpitur ex eo, in quo consistit sua perfectio, at perfectio animæ rationalis consistit in quadam abstractione animæ à corpore; nam perficitur scientia, & uirtute, secundum scientiam autem tanto magis perficitur, quanto magis abstrahitur à corpore, & immaterialia considerat; & uirtutis perfectio consistit in hoc, quod homo non sequatur corporis passiones, sed eas secundum rationem temperet, & refrenet. cū ergo perfectio operationis animæ consistat in separatione à corpore,

pore, anima secundum suum esse, est separabilis à corpore, & non definit esse cum corpore, nam operatio rei demonstrat substantiam, & esse ipsius, naturam, & entitatem. 5. licet intellectus aliquando debilitetur ratione corporis, propter modum intelligendi mediante ministerio corporis quamdiu est in corpore, non tamen secundum se, nec semper, imo quo magis senio debilitatur corpus, eo magis intellectus perficitur, & fit perspicacior, quod nullo modo fieret si intellectus esset uirtus corporea, ut pater in uegetatiuis, & sensitiuis potentiis, robore, forma, & pulchritudine, quæ cum corpore deficiunt; & ratio ipsa conuincit, quod enim cum corpore definit, debet cum ipso pariter magis, ac magis deficere, & declinare; at in senibus debilitatis omnibus uegetatiuis, & sensitiuis potentiis, uiget intelligere, etiam in illis, qui sunt propè mortem, ob quam causam monita morientium ab omnibus plurimi fiunt. 6. præter proprium modum cognoscendi quem habet per sensus, habet alterum per influxum, & motum superioris causæ, scilicet per reuelationem, & infusionem scientiæ à Deo, sicut patet multorum experientia, qui à Deo, & ab Angelis scientiam infusam habuerunt, qui modus intelligendi est proculdubio à corpore, & sensu omnino separatus; quia non à sensibus, sed ex altiori principio, & longe diuerso intellectus, intellectiones & intelligendi lumen recipit.

Tertia differentia, quæ sequitur ex præcedenti, quia alie omnes potentiæ cognoscitiuæ habent solum obiectum motiuum; nam id solum cognoscunt ad quod mouentur à speciebus suorum obiectorum; at intellectus non solum habet obiectum motiuum, sed etiam terminatiuum, nec solum terminatiuum, sed aliud adhuc superius, ad quod naturaliter inclinatur sed non potest illud naturaliter cognoscere. Obiectum motiuum est ens materiale, à quo solo mediantibus phantasmatis potest moueri; sed quia intellectus eleuatur super phantasmata, & ui sua omnia potest intelligere, etiam immaterialia, & Deum ipsum, obiectum terminatiuum est ens, ut ens in communi, ut omnia amplectitur, non tamen secundum omnes eius rationes; sed quatenus intellectus ex sensibilibus eleuari potest, ex quibus excitatus, & eleuatus, cognoscit uires sibi deficere, & se non posse ex naturalibus perfecte intelligere omnes rationes entis, & non solum Dei proprietates, & perfectiones, sed nec etiam illas substantiarum separatarum: unde cognoscit aliud adhuc esse sibi proportionatum obiectum,

Intellectus præter obiectum motiuum duo adhuc alia habet obiecta.

ctum, ad quod naturaliter inclinatur, & quod naturaliter cognoscere non potest, & hoc est ens in quantum ens absolute, & secundum omnes eius rationes, hinc intellectus habet tria. Primo, capacitatem infinitam, & nullus eius imaginationi potest assignari terminus, nam infinitos imaginatur mundos, infinita infinitis adiungit; & quocumque termino illi assignato, potest plura, & in infinitum imaginando addere, ut patet in progressu numerorum, unde semper plura, & plura desiderat intelligere. Secundo, hæc infinita capacitas non solum est respectu infinitorum numero, sed etiam respectu veri infiniti; hinc est, quod uiso effectu inquit usque ad primam causam, scilicet Deum, & cum ad eam peruenerit, statim naturaliter scire desiderat quid sit, & eius essentiam cognoscere, licet ad eius cognitionem naturaliter peruenire non possit. 3. non potest quietari nisi in uno ente, quod omne esse, & omnes ueritates contineat, & sit ipsamet ueritas, qualis est solus Deus, nam quocumque particulari ente, & quacumque peculiari ueritate cognita, necessario ulterius tendit cum illius obiectum sit ens in communi, at Deum in hac uita intueri non potest. Et non solum in hac uita non potest intueri Deum, sed nec etiam distinctè immaterialia cognoscere; nam ex speciebus materialium ad eorum cognitionem ratiocinando eleuatur; ex quo manifestè colligitur alium esse statum intellectus post corpus, in quo immaterialia distinctè cognoscat, & Deum intueatur, alias enim intellectus esset in suo genere imperfectissima omnium potentiarum cognoscitiuarum; nam omnis potentia distinctè percipit omnia ea, quæ sub suo obiecto continentur, ut patet discurrendo per omnes sensus.

Quarto, diuersitas cognoscendi, & etiã uoluntatis corroboratio, consistit in reflexione supra se ipsum, ex quo sequitur, quod habet esse spirituale, nam corpus potest quidem superponi alteri corpori, & pars alteri parti, sed non sibi ipsi, hoc enim proprium est rerum spiritualium, nam spiritus est totus in toto, & totus in qualibet parte, Deus est totus in toto mundo, & totus in qualibet parte, & est in se ipso, Angelus est totus in toto aliquo loco eius uirtuti correspondenti. V.g. in tota Florentia, quia in omni eius loco potest operari, & totus in qualibet eius parte, & potest etiam esse solum in uno eius angulo, non per sui coarctationem, sed prout uult, quia est in se ipso, & ubi est, non est, ut forma, sed ut assistens. Anima etiam rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte; aucto corpore il-

lud

Intellectus, & uoluntas reflectuntur supra se.

lud etiam informat, & non per sui extensionem, & abscisis membris definit in eis esse, non per sui diuisionem, nec coarctationem, sed quia est spiritus, & in se ipsa, non potest autem sicut Angelus esse prohibito in una sola parte corporis sibi correspondentis, & non in alijs, quia est in corpore non ut assistens, sed ut forma corporis, uerum ita informat corpus tanquam uera illius forma, ut sit in se ipsa (quando dicitur Animam, siue Angelum esse in se ipso, sanè intelligas, & non ut possit esse omnino sine loco, hoc enim est solius Dei, qui est æternus, & ubique, sed quia ita est in loco determinato, ut non sit per modum loci, diuisibilis ad illius diuisionem, & totus in toto, & pars in parte.) quod ex illius potentijs apparet, quæ super se ipsas reflectuntur, nam intellectus intelligit, & super se ipsum reflectitur, & intelligit se intelligere, & quomodo intelligat, & reflectitur etiam super uoluntatem, & memoriam, nam intelligit uoluntatem uelle, & memoriam memorari, similiter, & istæ eodem modo reflectuntur, nam uoluntas uult se uelle, & intellectum intelligere, & memoriam memorari, & memoria recordatur intellectum intellexisse, uoluntatem uoluisse, & se memoratum fuisse; non sic potentijs sensitivæ, nam oculus uidet, & non uidet se uidere. Ex hoc autem, quod potentijs animæ rationalis super se ipsas reflectuntur, confurgit stupèda quedam, & admirabilis earum uirtus, ut sint inuicem in seipsis, seipsas inuicem capiant, & non plus capiatur ab una, quam ab omnibus simul, ut in illis etiam appareat Sanctissimæ Trinitatis imago, nam tres sunt illius potentijs Intellectus, scilicet uoluntas, & Memoria, quæ inuicem dependent; ex intellectu enim oritur uoluntas, & ex intellectu, & uoluntate, memoria, & propterea ita debent reflecti super seipsas, ut una super aliam feratur, illamque in se comprehendat, & totum eius obiectum, & omnes eius operationes, & hoc uicissim, ut sint æquales, non solum singulæ singulis, sed (ut dicit Magister Sent. ex Aug.) singulæ omnibus; nam intellectus intelligit uoluntatem, & memoriam, & bonum quod est obiectum uoluntatis, & quod uis bonum, & omnes uoluntatis operationes, & uoluntas amat ueritatem, quæ est obiectum intellectus, & quas uis ueritates, & ipsum intellectum, & potest etiam uelle, & imperare omnes intellectus operationes, & in memoria reponuntur omnes actus, & operationes intellectus, & uoluntatis; quæ nullo modo corporibus conuenire possunt, repugnat enim corpori, quod idem contineatur in eo, quod continet, & quod sint tres corporeæ mensuræ talis dispositionis, quod singulæ alias

Sanctissimæ Trinitatis imago est in potentijs animæ.

ca-

capiant; & tantum capiat una, quantum omnes tres simul, & omnes tres non plus capiant, quam quælibet earum; cum ergo ista, quæ corporibus repugnant, experiamur in potentiis animæ rationalis, necessariò dicendum est illas esse incorporeas, & spirituales, & consequenter etiam animam cuius sunt potètiæ.

Colligendo ergo omnes prædictas rationes sub sua maxima; potentiæ animæ correspondent eius essentiæ, nam qualis est essentia tales sunt eius potentiæ, cum ex ipsa fluant; operationes correspondent potentiis, nam potentiæ sunt propter operationes, & obiectum correspondet potentiæ, & operationibus, nam potentiæ sunt propter obiectum, & potentiarum actus sunt, ut attingatur obiectum; Sed obiecta potentiarum animæ rationalis comprehendunt spiritualia, & materialia. Vt autè intellectui proportionentur, & ab eo intelligantur, uirtute eiusdem intellectus, materialia, & singularia reducuntur ad esse spirituale, & uniuersale. Operationes potentiarum eius, sunt independentes à corpore, & à sensitiuis potentiis, ut satis ostendimus: ergo potètiæ ipsæ non dependent à corpore, nec consequenter etiam anima rationalis, sed habet proprium esse, & propriam existentiam, qua destructo corpore existit: nam quod per se potest operari, potest per se subsistere, & quod per se operatur, per se subsistit, quia operari non est nisi entis in actu.

Et sicut ex effectibus demonstratione quia, procedimus ad cognitionem causæ, ita etiam cognita causâ demonstratione propter quid per eam probamus proprietates, & effectus. Ex operationibus animæ, probauimus illam habere propriam existentiam independentem à materia; modo ex eo, quod habet propriam existentiam, probatur illam esse immortalem; nã omne id, quod habet propriam existentiam, & non habet contrarium, neque ratione sui, neque ratione suarum propriarum qualitatum, est incorruptibile; sed anima rationalis est huiusmodi, ergo est incorruptibilis, Maior probatur, quia omne, quod corrumpitur, aut corrumpitur per se, aut corrumpitur per accidens quod corrumpitur per se, corrumpitur à suo contrario, ut calor à frigiditate; quod corrumpitur per accidens, dupliciter corrumpitur. Primo, ad corruptionem alterius à quo dependet, uel in quo habet, quod existat, quod per se à suo contrario corrumpitur, quo pacto substantia corrumpitur ad corruptionem propriarum qualitatum sine quibus esse non potest; & forma, quæ non habet propriam existentiam corrumpitur ad corruptionem compositi cuius est forma, similiter, & accidentia, quæ

à com-

à composito habent, quod existant. 2. corrumpitur ex absentia causæ efficientis, ut lumen in aere extincta lucerna, cuius est eadem causa, quia non habet propriam existentiam, ergo, quod habet propriam existentiam, non corrumpitur per accidens, & si non habet contrarium, non corrumpitur etiam per se; sed anima rationalis, ut probatum est, habet propriam existentiam, ergo non corrumpitur ad corruptionem compositi, & dependet à solo Deo, qui animam, & omnia potest ad libitum annihilare, sed id non facit; & non habet contrarium, nec ratione sui, quia est substantia, nec ratione suarum qualitatum, & uirtutum, quia illius potentiæ, & operationes sunt spirituales, ut probatum est, ergo est incorruptibilis. Et confirmatur, quia aliis rationibus, Dei, & Angelorum incorruptibilitatem non habemus, nisi quia sunt substantiæ spirituales, & non habent contrarium, & quod est spirituale non potest corrumpi ab agente corporeo, aut naturali.

Quod anima rationalis secundum Aristotelem sit immortalis, & de illius origine. Cap. III.

Est autem animæ rationalis immortalitas tot tantisque naturalibus rationibus à nobis probata, quod etiam si Aristoteles contrarium sensisset, ut aliqui falso uoluerunt, nihil debeat gentiles philosophos mouere; nam uera naturalis philosophia, & ratio, non est illa, quam tradit Aristoteles, sed quæ ex naturalibus principiis bene intellectis deducitur. Verum, quia Aristoteles, est Princeps Philosophorum, & tantum ei (sed falso) à quibusdam tribuitur, ut quæ non sunt Aristotelicæ doctrinæ consona, falsa esse existiment; ex Aristotele etiam animæ immortalitatem manifestè, non quidem diffusè, sed una, aut altera auctoritate probabimus, & hoc propter infidèles; nobis enim etiam si nulla adesset naturalis ratio, sufficit diuina auctoritas, & Ecclesiæ determinatio. Arist. 1. de Anima, text. 65. dicit Intellectum innasci hominibus, & esse quandam substantiam, quæ corrumpi non potest, idque signo ostendit, si corrumperetur maxime id fieret ex debilitate, quæ fit in senio, nam senium est uia in corruptionem totius, & dissolutionem eorum, quæ in ipso sunt, sed in eo non corrumpitur, & quod non corrumpatur ostendit dicens hoc esse simile ei, quod accidit circa sensoria sensuum, qui corrumpuntur, anima non corrupta, nec debilitata,

S secun-

Animeim
mortalitas
probat
ur demō
stratione
propter
quid.

secūdū se, unde senex debilitatur uisu, ratione organi, sed non ratione animæ, unde si animæ senis daretur oculus iuuenis, uideret sicut iuuenis, quia anima, secūdū se nihil est passiva, sed secūdū corpus, idē dicit accidere in morbis, & ebrietatibus, nā anima uideretur debilitari cū impediatur à suis operationibus, sed id non est secundum se, sed ratione corporis. Cum ostendisset impassibilitatem substantiæ animæ secundum se, textu sequenti ponit impassibilitatem operationum eius, & dicit intelligere, & speculari, quæ sunt operationes ipsius intellectus marcescere, & debilitari, & non secundum se, sed alio quodam interius corrupto, imaginatione, scilicet, uel spiritibus in corpore in quo est anima, ipsum autem est impassibile, sed cogitare, odisse, irasci, corrumpuntur, & non manent post compositum, quia non sunt operationes solius intellectus, sed compositi ex corpore, & intellectu, & propterea dissoluto composito non manent cum solo intellectu; non sic autem est de intellegere, & speculari, quæ sunt solius intellectus, & ob id cum ipso manent; ex quo infert, quod cum intellectus, & ipsius propria operatio non corrumpatur, fortasse est quid diuinius & impassibile. 2. de Anima, tex. 21. dicit intellectum esse aliud genus animæ à sensitiuo, & uegetatiuo, & posse ab his separari, sicut perpetuum à corruptibili. 3. de Anima tex. 20. dicit, quod intellectus in actu quo intelligimus quantum ad operationem non manet post corpus, unde non reminiscitur, tamen secundum se, & suum esse manet, & est immortalis, & ratio est, quia intellectus in corpore intelligit mediante sensu, & phantasmate materiali, & propterea destructo corpore debet etiā cessare hic modus intelligendi; sed quia intellectus, secūdum se manet, & est immortalis, habebit alium modum intelligendi sine phantasmate, iuxta illum statum à corpore separatum. 12. Met. tex. 16. & 17. constituit differentiam inter causas efficientes, & formales, nam efficientes sunt ante res quas efficiunt, at formæ non sunt ante corpora quorum sunt formæ, sed simul; nihil tamen prohibet (subdit) aliquam formam posterius manere, ut anima, non omnis, sed intellectus. Ex quo loco tria habemus. Primo, quod anima rationalis est forma. Secundo, quod non fuit ante corpus. Tertio, quod remanet post corpus. 2. de Gen. anim. cap. 3. dicit mentem, idest animam rationalem posse esse sine corpore, quia cum eius actione non communicat corpus; & dicit extrinsecus uenire, non quod fuerit ante corpus, sed quia non educitur

de

de potentia materiæ; nam ibi Arist. duas proposuit quæstiones, prima est. An animæ omnes essent ante corpus, an nullæ, an aliquæ sic, & aliquæ non. Secunda an essent in ipsius materia, an ex semine maris aduenirent, & si cum semine maris, an omnes fierent ex eius ui, an extrinsecus, uel partim extrinsecus partim non. Et ad primam quæstionem respondet animas omnes impossibile esse antea. Ad secundam animam rationalem extrinsecus aduenire, idest, non ex ui feminis, seu maris, seu quod idem est non educitur de potentia materiæ, sed fit ab extrinsecos, scilicet à Deo, & non ab agente naturali. Pro quo notandum est, ut animæ rationalis originem intelligamus, apud Aristotelem, & in rei ueritate illam formam educi de potentia materiæ, quæ habet totum suum esse, cum materia, & à materia dependens, illa autem, quæ quamuis producta sit in materia, non habet tamen totum suum esse pendens à materia, non educitur de eius potentia, qualis est anima rationalis; quod autem totum esse animæ pendeat, uel non pendeat à materia, cognoscitur ex eius operationibus, nam quale est esse rei, talis est eius operatio, cum operatio sequatur esse. & quod anima rationalis habeat operationes independentes à materia, satis probauimus; ex quo sequitur, quod non potest produci à uirtute seminali, nec ab aliquo agente naturali; cum enim omne agens naturale agat actione circa materiam, & recepta in materia, nullum agens naturale poterit producere aliquod esse supra ipsam materiam, quia nihil potest operari ultra proprias uires; Sed à solo Deo immediate producitur, non enim Deus sic animam rationalem producit, sicut reliquas formas, nam reliquas producit concurrēdo cum causis secundis, ita ut qua actione causa particularis producit formam, eadem etiam Deus producat simul cum ipsa causa particulari, sed animam rationalem ipse solus facit, sine actione causæ particularis; concurrunt quidē causæ particularis, non tamen ad productionem animæ, sed ad dispositionem etiam ultimam in materia inducendam, & ad unionem animæ cum materia, & consequenter ad productionem totius compositi, ob quas causas homo uerè est causa hominis, & hominem generat, licet anima rationalis à solo Deo producat, quia terminus generationis est compositum.

De animæ
origine.

S 2 Quod

Quod sit Deus, qui omnia ex nihilo creauit.
Cap. IIII.

Secundum fundamentum, quod præmittere uolumus est Deum esse, quod est omnium menti innatum, & in sculptum, ut enim inquit Cic. de hominibus nulla gens est, neque tam immanueta, neque tam fera, quæ non, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendū sciat. Sed quia in illius cognitionem per eius effectus deuenimus, licet Deum esse sit per se notum, & à priori demonstrari non possit, cum sit suum esse; nobis tamen non est per se notum, sed est à posteriori demonstrabile; non enim sunt eadem natura, & nobis nota; nec ullus ob id excusari potest si illū ignorat; quis enim esset adeò stultus, ut ex uehementi calore quem sentit, non iudicaret ignem, quem non uidet esse in proximo loco? quis est tam uecors (inquit Cic.) qui cum suspexerit in cœlum, Deum esse non sentiat, & ea, quæ tanta mente sūt, ut nulla arte, & ratione ordo rerum, & uicissitudo persequi possit, casu fieri putet? commoda quibus utimur, lucem qua fruimur, spiritum quem ducimus, à Deo nobis dari, & impartiri uidemus. Sed firmitus, & Apostolicum habemus testimonium Rom. I. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius uirtus, & diuinitas, ita ut sint in excusabiles.* Cum autem omnes creaturæ ita ducant in Dei cognitionem tãquam effectus in cognitione cause, ut etiam iuxta Prophetam omnes clament, *Scitote, quia ipse est Deus, quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos, eisdem rationibus Deū esse, & unum esse, & omnia ab illo ex nihilo creata fuisse probauimus.* Dei autem nomine intelligimus. Primā omnium rerū causā à qua omnia sunt, & dependent, in esse, & conseruari, quem creaturæ multipliciter ostendunt, dum in eis relucet diuina attributa, Potentiæ, Sapientiæ, Prouidentia, & alia, quæ soli Deo conueniunt. Et prima ratio sit ex perfectione, quam dicit esse a se; dicit enim in ente maximā perfectionem, quod. s. sit primum, & nulli subiectū, æternum, incorruptibile, quod suum esse non sit, nec dependeat ab alio, sed à seipso. at si confidetur tota natura, & in uniuersali, & in particulari, hæc perfectio ei nullo modo conuenit, tota. n. natura est propter humanā naturam, quæ non solum in indiuiduo, sed etiam secundū totam suam substantiam, est reducta ad ens caducum, & propterea

in in-

Deum esse est per se notum, sed nō nobis.

Quid intelligatur Dei nomine.

Quod sit unus Deus, qui omnia creauit. Prima ratio.

in indiuiduis corrūpitur, non. n. quia indiuidua corrūpuntur, homo est corruptibilis, sed è cōtra, quia homo est corruptibilis, ideo in indiuiduis corrūpitur; & suū esse ab eo nō depēdet, imo nec illud cognoscit, nō potest capillū albū facere, generat, & nō qualē uult generat, nec scit quomodo generet. *Nescio* (dixit Sācta illa Mulier 2. Macha. 7.) *qualiter in utero meo apparuisti neque. n. ego spiritum, & animam donauisti uobis, & uitam, & singulorum mēbra non ego ipsa compegi.* ergo natura humana, & cōsequēter etiā uniuersa natura producta fuit, & suū esse ab alio habuit ille autē à quo omnia esse habuerūt, dicitur Deus. Secunda ratio, quæ est cōfirmatio prioris, omne finitū, & limitatum in aliqua latitudine, hoc ipso, quod est limitatū, reducitur ad aliquod limitans, sicut omne, quod est tale per participationem, reducitur ad id, quod est tale per essentiā, repugnat enim rationi, quod huiusmodi sint talia à se, & independentia ab alio, at tota natura, & qualibet naturæ pars, est limitata sub certa mensura in essentia, & in operationibus. Tertia ratio sumitur ex operationibus naturæ, in illis enim tria considerantur, quæ singula Deum totius mundi creatorem, & gubernatorem ostendunt, & probant, primo operatio naturæ, ut intrinsecus ab ipsa procedit, est propter finem, & ad finem per ordinatissimā mediā, qui ordo est opus intellectus, hic autem intellectus dirigens non est in rebus ipsis, ut aliquid earum, & iste ordo ad finem per ordinatissimā mediā, non est rebus ipsis naturalibus superadditus sicut in artificialibus, sed est illis intrinsecus, & cōnatura lis, ergo necessarium est, quod res omnes naturales sint opus alicuius intellectus, & ab ipso acceperint esse, & essentiā; hæc. n. est differentia inter naturalia, & artificialia, quod artificialiū finis, & ordo, & dispositio mediorū ad finem, est ipsis rebus extrinsecus, accidētarius, nec ullo modo potest illis esse naturalis, quia est ab intellectu humano, qui nō est causa ipsarū rerū, nemo. n. potest alicui rei finem illi naturalem per ordinatissimā mediā acquirendum præscribere, nisi sit auctor, & effectōr ipsius naturæ. Secundo cum operatio ipsius naturæ sit ad finem per ordinatissimā mediā, ut ab ipsamet natura procedit, adeo quod omnes philosophi exclamant, & dicūt, opus naturæ esse opus intelligentiæ, nihilominus ipse modus operandi naturæ, & rerum omnium naturalium est cæcus, sine cognitione, ut etiā ex hoc cæco modo operadi Deū esse, qui hæc omnia naturalia fecit, & creauit cognosceremus. nam omnis operatio cæca, quæ sine cognitione procedit ab aliquo principio, si debita sit, & ordinata,

Secunda ratio.

Tertia ratio.

§ 3 per

per seipsam reducitur ad aliquam cognitionem, & non potest primo esse à tali principio, sed ab alio cognitionem habente. & hoc ex eo, quod est cæca, & ordinatissima; in tota autem natura reperitur hæc cæca operatio, etiam in his, quæ cognitionem habent, nam ipsa met cognitio cæco modo producit; oculus enim uidet, & non uidet se uidere, & quomodo uideat, similiter, & intellectus, intellectionem cæco modo, secundum naturam suam producit, & non intelligit seipsum, & quomodo intelligat, nisi per reflexionem. Tertio, quælibet res naturalis ita habet propriam operationem propter proprium finem, ut ex rebus ipsis, & earum operationibus, consurgat quædam uniuersalis totius mundi integritas; & hic uniuersalis effectus, nō potest esse à rebus ipsis, nam quælibet res particularis habet propriam operationem, & proprium finem, & cætera sūt ei extrinseca, & accidentaria, per se autem sunt respectu causæ uniuersalis, quæ sic omnia disposuit ad mundi integritatem, propter cuius conseruationem res ipsæ relicto naturali motu, cōtra naturam propriam ex se mouentur, secundum naturam uniuersalem, & sic sæpe uidemus grauiascendere, & leuia descendere ne detur uacuum; cum ergo hic effectus sit uniuersalis intrinsece consurgens ex singulis rebus totius mundi, necessario dicendum est unam esse uniuersalem causam huius uniuersalis effectus, cuius non potuit esse causa, nisi etiam esset causa rerū omnium particularium, & hic est Deus. Quarto, quia experientia constat has omnes causas inferiores esse secundarias, & subordinatas superioribus, & non posse agere, nisi uirtute causarum superiorum, unde est commune illud Philosophi dictum, sol, & homo generant hominem. Medici etiam ad medendum, & rustici ad seminandum, & nautæ ad nauigandum, cælorum rationem habent. in causis autem essentialiter subordinatis non potest dari processus in infinitum; nam causæ essentialiter ordinatæ in tribus differunt ab accidentaliter ordinatis, nam inessentialiter ordinatis, secunda causa dependet à prima, & causalitas superioris est alterius ordinis, & rationis, & perfectior. omnes etiā causæ essentialiter ordinatæ simul necessario requiruntur ad causandū, unde causæ inferiores nō possunt suos effectus producere, nisi prima concurrente, licet prima possit sine aliis, cum enim causa superior, sit perfectior, in infinitum superior, erit in infinitum perfectior, & consequenter non dependet ab aliis, sed omnia ab ipsa. Ex quibus sequitur, quod in causis essentialiter subordinatis non potest dari processus

Quarta
ratio.

cessus in infinitum, cum enim infinitum sit impertrāsibile non daretur prima causa; in essentialiter autem subordinatis debet dari primum, quod sit causa medii, seu mediorum, & medium causa ultimi, & si in causis efficientibus non esset prima causa, nec etiam essent mediæ, nec ultimus effectus; ista prima omnium rerum causa est Deus. Quinta ratio est illa, quam Arist. colligit ex motu, quia omne quod mouetur, ab alio mouetur, & omnes motus inferiores reducuntur ad motum cæli, cum autem non possit dari processus in infinitum, necessario deueniendum est ad unum primum motorem, qui moueat, & non moueatur, & hic est Deus. Sicut autem res omnes considerata, ut mobiles, & ut causæ suarum operationum referuntur ad Deum, ut ad primum motorem, & ad primam causam, ita etiā considerata in suo esse, & in sua substantia debent habere quendam ordinem ad Deum; hic autem ordo non potest esse alius, nisi ut sit causa totius illarum esse per creationem.

Quinta ratio.

Quod post hanc uitam, sit alia uita, & in ea sint duo status, bonorum, scilicet, & malorum. Cap. V.

EX his quæ diximus, manifestum est post hanc uitā aliam esse uitam, æternam, & sine fine duraturam; nam lucidius est esse Deum, qui est inuisibilis, & spiritus, & non uiuit hac mortali, sed æterna, & beata uita, à quo dependet, & in quo solo consistit beata intellectualium, & rationalium uita; Certum etiam est animam rationalem esse immortalem, ut satis probauimus, cum autem corporibus extinctis remaneant animæ rationales, & non ad hanc uitam, & huius uitæ operationes, ut per se patet, necessario sequitur aliam pro animabus rationalibus esse uitam, sine fine, & in perpetuū duraturā; quæ aliis adhuc rationibus probatur, ex quibus animæ immortalitas magis etiam confirmatur: Et prima ratio sit ex ultimo hominis fine, & beatitudine, nam omne ens naturale habet proprium finem in cuius consecutione quiescat, & delectetur; & finis ultimus, nō solum hominū, sed aliarum etiam rerum, debet esse talis, ut eum omnes, magna saltem ex parte consequantur, aut certe consequi possint, alias enim uanè, & superflue ordinarentur ad talem finem, si illius consecutio esset rara, uel impossibilis; & cum homo sit omnium naturalium primus, & quodammodo finis, & totius mundi epilodus, & cōpendium, debet præcipuè hunc habere finem quo fruatur; qui

finis debet homini sufficere, & consequenter debet continere omnē bonū, & excludere omnē malū; omni tristitia, & dolore remoto; summā iucunditatē, & delectationē afferre; quæ etiā debet esse cetera, stabilis, & perpetua, ut nulla ibi sit anxietas, & ambiguitas; Vnde Boetius beatitudinē descripsit esse statū omnium bonorum aggregatione perfectum; Sed hunc finem, & hanc beatitudinem, in hac uita nullus unquam consecutus est, nec consequi potest. quod enim decipiantur, & perditī sint illi, qui beatitudinem in diuitiis, uel honoribus, uel in fama, aut gloria, uel in potestate, uel in sanitate, aut corporali uoluptate, uel quocumque bono creato constituunt, est adeo certum, & euidens, ut cæci, & penitus stulti sint, qui hoc non uident; nam ista sensibilia sunt inferiora homine, communia bonis, & malis, eis benè, & malè uti possumus, omnia creata sunt finita, & hominis capacitas est ueri, & boni infiniti, qualis est solus Deus; ex quo sequitur, quod hominis beatitudo in contemplatione Dei, & uisione diuinæ essentia, illiusque fruitione consistit. Sed impossibile est Deum in hac uita per essentiam uideri, & illo frui. Nec potest dici, quod hominis beatitudo consistat in cognitione, & fruitione Dei, eo modo quo in hac uita à nobis cognosci potest, primo, quia sic paucissimi ad hanc beatitudinem peruenirent; nam ad diuinorum scientiam illi soli, qui ingenio maxime ualent, & ocio, & opibus abundant post longum studium, & tempus in ipsa senectute perueniunt, unde pueri, famine, pauperes, rudes ingenio, aliis negotiis occupati, & qui morte præoccupantur à beatitudine excluderentur. Secundo, quia cognitio diuinorum, quæ in hac uita haberi potest, est imperfecta, & cognoscitur imperfecta, & non satiat capacitatem intellectus. Tertio, scientia diuinorum, non liberat à laboribus, & miseriis in quibus tota nostra uita uersatur, nec est aliud animal, quod tot repleatur miserijs sicut homo, nam præter corporis labores, & infirmitates, sollicitudine, timore, & animi dolore concurritur. Et licet nos diuino lumine illustrati maiorem Dei cognitionem habeamus, & nullus quantumuis rudis ea priuetur, & in tribulationibus, & in infirmitatibus gloriemur, & in Dei cognitione, & amore ponamus huius uitæ beatitudinem; eadem tamen fides docet hanc beatitudinem esse in spe, & ueram, & perfectam esse in alia uita; Et quod illa non sit ultima nostra beatitudo, eisdem rationibus probatur; quia Dei cognitio, quæ fide habetur non satiat intellectus nostri capacitatem, & non libe-

rat

rat à miseriis; imo docet crucem amplecti, & portare; quare si post hanc uitam non esset alia uita, homo ordinaretur ad finem cuius consecutio esset illi impossibilis; quod nullo modo est dicendum, quia hic error non esset nisi auctoris naturæ, cuius perfecta sunt opera. Et confirmatur, quia natura cuiusque operi naturali concessit statum aliquem, quo quiesceret, suamque consequeretur perfectionem, & hunc statum debuit præcipue concedere rationi hominis, quæ est præcipuum naturæ opus, & prope diuinum; sed ratio quamdiu est in hoc corpore, semper est in continua lucta cum sensu, & nunquam partes istæ consentiunt, nec etiam in uiris perfectis; ergo post hanc uitam debet esse alius status animæ, quo libera sit, & ab omni perturbatione quieta.

Secunda ratio sit ex misera bonorum uita, & felici malorum, & Dei prouidentia, nam experientia constat in hac uita esse aliquos sceleratos, & aliquos bonos, & plerumque contingere, quod scelerati in hac uita prosperentur, & bonis huius mundi affluent, è contra uero boni, sint pauperes, afflicti, & miseri. Cum autem Deus sit iustus, & iustitia exigat, quod boni bona habeant, & mali, mala; necessario dicendum est, bonorum præmia, & malorum supplicia in alia uita reseruari. Confirmatur, quia si non esset alia uita, homo esset omnium imperfectissimus, & sequendo uirtutem stultissimus, nam multi Dei amore, timore, & pro uirtutum consecutione, presentibus bonis abstinent, carnem macerant, mortem ipsam pro Deo, pro Republica, pro ueritate, & pro iustitia exponunt; quæ omnia stulta essent, si cum corpore periret anima, & post hanc non esset alia uita. Nec obstat si dicatur, uirtutem solam tunc esse meliorem, & magis expetendam, quàm cætera omnia, & per se solam tunc facere beatiorem. nā responderi posset, tunc uirtutem esse, uitam bonis refertam conseruare, ocium se qui, uoluptates amplecti, iucundam ducere, & quantum fieri potest conseruare uitam, & illas quas dicimus uirtutes, esse uitia, quia bonis huius uitæ priuant, & nullum maius afferunt bonum, nec in hac uita, nec in alia. & sic amplissima omnibus uitis, & sceleribus aperiretur uia, & omnis uirtus de medio tolleretur, & uirtus nullius esset utilitatis, Vnde boni cum Apostolo dicere possent. *Miserabiliores effemus cunctis hominibus, si in hac uita tantum sperantes effemus.*

Ex quibus necessario concluditur post hanc, aliam esse pro anima uitam, & in illa duos esse status, beatorum, scilicet,

& æter-

& æternis suppliciis cruciandorum (quantum ad præsens at-
tinet, non enim est necessarium pro hac disputatione distin-
guere omnes status alterius uitæ .) nam multi boni moriuntur
quibus debetur beatitudo, quæ est bonorum operum merces,
& multi moriuntur in peccatis, quæ perpetrarunt, quibus de-
betur æternum supplicium. Experientia etiam, & ratione con-
stat, præter has substantias corporeas, & sensibiles, esse substan-
tias spirituales, quas Philosophi Intelligentias uocarunt, & nos
Angelos; de quibus habemus certius, & firmiter testimonium,
Sacrae. s. scripturae auctoritatem, sed cum modo contra infide-
les agamus, experientiam adducimus, quæ etiam docet quos-
dam spiritus esse bonos, & quosdam malos, non quo ad natu-
ram, sed propria eorum malitia; sunt enim eiusdem naturæ, &
essentiæ cum bonis, sicut & homines mali, sunt secundum na-
turam boni, sicut & alij; quod autem sint spiritus mali, ex mali-
gnis eorum operibus constat, ut uideri potest ex his, quæ su-
perius diximus de maleficijs, & quæ modo dicemus de Dijs
gentium.

*Quod sine Religione Mundus esse non possit, de distinctione
Religionum. Quando cæperit idololatria. Quot
fuerint eius species. Cap. V I.*

Cum lumine naturali constet Deum esse, & animam esse
immortalem, & beatitudinem nostram non posse ha-
beri in hac uita, sed in alia, in qua sunt duo status, bo-
norum. s. & malorum; ille beatorum, iste miserorum, &
lumen etiam naturale omnibus dicat, necessariam esse in hac
uita Religionem qua colatur Deus, & ad illam omnes inclinat
ut ea mediante simus Deo grati, eius beneficia promereamur,
& æternam beatitudinem tandem consequamur. Et sicut in-
ter omnia animalia, solus homo Deum cognoscit, & habet ani-
mam immortalem, & est capax æternæ beatitudinis, ita etiam
Religio est illi soli propria, cum sit uia ad æternam beatitudi-
nem perueniendi; cum enim Deus, & natura non abundant in
superfluis, nec deficient in necessarijs, naturalem inclinationem
ad Religionem, & aptitudinem ad illam amplectendam, & ser-
uandam, soli homini concedere debuerunt, nam media debet
esse proportionata fini, & qui non est capax alicuius finis, non
est etiam capax mediatorum per se illius finis. Sed quia homo
ad colendum Deum Religione ita naturaliter inclinatur, ut
super-

Religio
est homi-
ni propria

supernaturali fidei lumine debeat illustrari, & diuina gratia
adiuari, & suo libero arbitrio consentire, & cooperari, licet di-
uinum auxilium nunquam desit; homo tamen quatenus est ra-
tionalis, & liberi arbitrij, sicut potest errare, & de facto errauit
in uera Dei cognitione, uel quia diuina humano iudicio metri-
ri uoluit, uel quia passionibus excæcatus prout sibi uidebatur
Deum formabat, ita etiam errauit uanas, & falsas sibi religio-
nes fingendo; Semper igitur, & ubique uiguit religio, sicut,
& Dei cognitio, quia ipsa natura ad hoc nos ducit, & quodam-
modo impellit, ut Deum esse, & colendum esse confiteamur; li-
cet in applicatione multi suis sceleribus excæcati, errauerint,
& Dei nomen, & cultum creaturis tribuerint.

Cum autem ueritatem Christianæ Religionis ostendere, &
probare uelimus, & aliarum omnium falsitatem, & impietatem
detegere; nimis prolixum, & impossibile esset, ad singulas de-
scendere; propterea omnes religiones primo reducemus ad
duas genericas. Sub primo genere sunt illæ omnes, & innume-
re, quæ Dei nomen, & cultum creaturis tribuerunt, & dicitur
idololatria. Sub secundo genere sunt illæ omnes, quæ habent
cognitionem ueri Dei, & fundantur in Doctrina à Deo diuini-
tus reuelata; Sed istæ sunt in duplici differentia, nam una Reli-
gio est, quæ omnem reuelatam doctrinam amplectitur, illius
uerum, & legitimum sensum tenet, & ab eo nunquam discessit
nec discedere potest, & hæc est sola Religio catholica, Aposto-
lica, & Romana. Aliæ omnes innumeræ, quæ falso sibi Reli-
gionis nomen usurpant, præsupponunt quidem doctrinam à
Deo reuelatam, non tamen omnem, sed partem, quam corrup-
tunt, impiè, & sacrilegè interpretantur, ut sic tentent an ueram
Religionem deicere possint, sed portæ inferi aduersus eam
præualere non possunt.

Et ut ab Idololatria incipiamus, quinque de illa explicabi-
mus. Primo, quid sit. 2. quando cæperit. 3. quot fuerint
eius species. 4. quæ fuerint eius causæ. 5. quomodo om-
nes dijs gentium fuerint dæmonia. Idololatria est cum latræ
cultus, soli Deo debitus, creaturæ exhibetur, & creatura tan-
quam Deus colitur; quod genere suo est peccatum omnium
grauissimum. De tempore autem quo cæpit, notandum est,
quod à principio, mundus per multos annos fuit sine idolola-
triæ peccato, nam ut inquit Cyrillus, lib. 1. & 3. contra Iulianum,
ab Adam, usque ad Noe ab illo decimum, effluxerunt ducenti,
& quadraginta duo anni ultra duo millia, quo tempore non le-
gitur

Religionis
distinctio.

De Idolo-
latria.

Quid sit.

Quando
cæperit.

gitur fuisse peccatum idololatriæ; accusantur quidem homines de aliis peccatis, propter quæ etiam perierunt inducto diluuiio, corruerat enim (inquit scriptura) omnis caro uiuam suam, tamen idololatriæ crimini, per totum illud tempus nullū implicitum fuisse legimus; nec etiam post Noe per multos annos; nam primi parentes, qui Dei cognitionem habuerunt, & cum fuerint in statu innocentia, experientia sciebant omnes huius uitæ miserias, esse pœnas primi eorum peccati, filios docuerunt, ut Deum timerent, & colerent, & ita traditione fides, & aliquis cultus ueri Dei, per multos annos perseverauit, licet multiplicarentur peccata, quibus Dei cognitio paulatim imminuebatur. Nongentis, & quadraginta duobus annis post Noe completis, dispersa posteritate Noe undequaque, & habitantibus iam hominibus ad orientem, & ad maritima, congregatisq; in Ciuitates, primus regnauit in terra Assyriorum uir superbus, & arrogans Belus, qui primus hominum dicitur à subditis nomen deitatis accepisse, huius filius fuit Ninus, qui ædificauit Ciuitatem, quæ ab eius nomine Ninues dicta est, cuius tempore uixit Abraham. Et ut inquit Magister Historiarum, cap. 40. hist. Genesis, mortuo Belo, Ninus in solacium doloris imaginem patris sibi fecit, cui tantam exhibebat reuerentiam, ut quibuslibet reis, qui ad eam confugissent, parceret; unde homines illius regni diuinos honores eius imagini ceperunt impendere; huius exemplo plurimi caris suis mortuis imagines dedicauerunt, & sicut ab idolo Beli, cetera traxerunt originem, sic etiam ab eius nomine generale nomē idolorum; sicut enim dictus est Belus ab Assyriis, sic & aliæ nationes, secundum idiomata linguæ suæ dixerunt, aliæ, bel, aliæ bee, aliæ baal, aliæ baalim; imo & nomina specificauerunt, aliæ beelphegor, aliæ beelzebub dicentes. hæc ergo fuit prima idololatriæ origo, ut inter alios dicunt Cyrillus, & Magister historiarum, quod sacris litteris tribus rationibus consonum esse ostendimus. Prima est, quia idolorum nomina, quæ in eis exprimuntur, à Belo (ut diximus) uidentur deducta. 2. quia Apostolus ad Romanos inquit peccatum contra naturam fuisse idololatriæ pœnā; non quod sit grauius idololatria, sed quia est peccatū adeo enorme, & manifestum, ut hominem sibi, & alijs detestabilem reddat, nec quod ista sit sola illius pœna; nam æterno inferni igne, cum alijs mortalibus peccatis punienda est; sed eo modo quo unum peccatum dicitur alterius pœna; & est quidem conueniens pœna, ut sicut homo per idololatriam ordinem

Probatur,
quod tunc
ceperit.
Rom. 1.

diuini

diuini honoris peruertit, ita per peccatum contra naturam, propria naturæ confusibilem peruersitatem patiatur. peccatū autem contra naturam tunc cæpit, quo quinque illæ nefandæ ciuitates sedate fuerunt, & à Sodomia principali Ciuitate nomen desumpsit, propter quod igne, & sulphure combustæ fuerunt, ergo circa illud tempus paulò antè cæpit idololatria, ex qua hoc nefandum peccatum, tanquam eius pœna processit. Tertio, quia tunc temporis ex Assyriæ partibus Deus uocauit Abraham, qui Assyriorum idololatriam abominabatur, & in illo sibi populum ex eo nasciturum elegit, qui in ueri Dei cognitione, & cultu perseveraret, & cui se reuelaret; ideo autem tunc sibi populum elegit, quia homines à cognitione ueri Dei defecerant, & in idololatriæ peccatum inciderant; & Deus Abraham non ex quocumque populo, sed ex idololatro elegit; non enim tunc totus mundus in idololatriam incidit, sed paulatim hæc impietas creuit, ex quo Cyrillus infert, quod assumptio Abraham, fuit uocatio gentium, quod non ita intelligas quasi Ecclesia, & salus gentium fuerit post synagogam, & electionem populi iudæorum in Abraham, uel quasi tunc perierit Ecclesia gentium, quia Ecclesia gentium fuit antiquior à principio mundi, & licet per idololatriam fere tota perierit, nunquam tamen fuit penitus extincta; Sed quod in Abraham fuit electus populus iudæorum ex eo nasciturus, & constituturus synagogam, seu Ecclesiam iudæorum, quæ fuit distincta, & processit in Abraham ab Ecclesia gentium, ad restorationem Ecclesiæ gentium, & redemptionem totius generis humani per Messiam ex iudæis nasciturum; de qua Ecclesiarum distinctione uide libro sequenti, cap. 6.

Circa tertium, postquam homines à ueri Dei cognitione descuerunt, & diuinum cultum hominibus, & eorum statuis tribuere ceperunt (ut diximus) adeo creuit idololatriæ impietas, ut homines sibi pro libito Deos fecerint, ut propterea impossibile ferè sit omnes Deos gentium enumerare; sed tamen omnes ad duo idololatriæ genera reducuntur, quæ in multis species diuiduntur, quidam enim colebāt quasdam imagines, & statuas, quas per quandam nefariam artem constituebant, & quæ uirtute dæmonum aliquos certos habebāt effectus; unde in ipsis imaginibus aliquid diuinitatis esse putabant, & per consequens, quod diuinus cultus eis deberetur; & hæc fuit opinio Hermetis Trimegisti, ut dicit Aug. in 8. de Ciuit. Dei. Alij uero non exhibebāt cultum diuinitatis ipsis imaginibus, sed

Abraham
quando à
Deo uo-
catus.

In Abra-
ham facta
est distin-
ctio Eccle-
siæ.

De specie
bus idolo-
latriæ.

sed creaturis quarum erant imagines, & utrumq; idololatriæ genus tangit Apost. Rom. 1. nam quantum ad primum dicit, *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & serpentum,* quantum autem ad secundum subdit, *Coluerunt, & seruiuerunt creaturæ potius quam Creatori.* Qui creaturas coluerunt in tria ueluti genera subdiuiduntur; Quidam enim existimabant quosdam homines Deos fuisse, quos per eorum imagines colebant sicut Iouem Mercurium, & alios huiusmodi. Quidam uerò credebant totum mundum esse unum Deum, non propter corporalem substantiam, sed propter animam, quam Deum esse credebant, dicentes Deum nihil aliud esse, quam animam motu, & ratione mundum gubernatam, sicut homo dicitur sapiens propter animam, & non propter corpus, unde putabant toti mundo, & omnibus partibus eius, cultum diuinitatis exhibendum esse, cælo, aeri, aquæ, & omnibus huiusmodi partibus, & ad hæc referebant nomina, & imagines suorum Deorum, sicut dicebat Varro, ut 7. de Ciuit. Dei narrat Aug. Alij uerò. s. Platonici posuerunt unum esse summum Deum causam omnium, postquam ponebant esse substantias quasdam spirituales à Summo Deo creatas, quas Deos nominabant, participatione. s. diuinitatis, nos autem eos Angelos dicimus, post quos ponebant animas cælestium corporum, & sub his dæmones, quos dicebant esse aerea quædam animalia, & sub his ponebant animas hominum, quas per uirtutis meritum ad Deorum, uel dæmonum societatem assumi credebant, & his omnibus cultum diuinitatis exhibebant, ut narrat Aug. 18. de Ciuit. Dei. Secundum has opiniones Pontifex Scæuola, ut inquit Aug. 4. de Ciuit. Dei, cap. 17. constituebat tria genera Deorum, unum poetarum, quod & nugatorium dicebat esse, & hoc erat de hominibus in numerum Deorum relatis, de quorum sceleribus poetæ tractant. Secundum est, quod pertinet ad Pontifices, & hoc cōtinet idola, & imagines, circa quas pontifices in templis occupabantur. Tertium est Philosophorum iuxta Varronis, & Platoniorum opiniones.

De causis
idololatriæ.

Circa quartum duplex est causa idololatriæ, una dispositiua ex parte hominis, altera consummatiua ex parte dæmonum, dispositiua ex parte hominis, est duplex, prima est ignorantia intellectus, nam homines Deum ignorantes, uel eius dignitatem non considerantes, quibusdam creaturis diuinitatis cultum exhibuerunt. Secunda, est inordinatio, affectus, ex qua

mul-

multe deducuntur causæ, nam iuxta diuersas affectuum inordinationes, diuersos etiam sibi homines formabant Deos. Sed primo uideamus causas ob quas homines fuerunt adorati, ut Dij, similiter & eorum statuarum, postea uero causas adorationis bestiarum adducemus; Et quod homines, & eorum imagines & statuarum adorantur, quatuor fuerunt præcipuæ causæ, prima, fuit inordinatus amor suorum filiorum, & parentum; unde Pater amisso filio, quem inordinate amabat, ut acerbum dolorem mitigaret, illius imaginem fieri fecit, cui ceperunt adhiberi honores, & successu temporis ceperunt, ut Dii coli, hæc causa assignatur Sap. 14. ubi dicitur. *Acerbo luctu dolens pater, cito rapti filij fecit imaginem, ac illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cepit, & constituit inter seruos suos sacra, & sacrificia.* Secunda fuit Principum superbia, qui non attendentes infirmitatem suam, uoluerunt se, ut Deus honorari, ut Nabuchodonosor, qui præcepit Holoferni principi militiæ, ut omnes Deos terræ exterminaret, ut ipse solus diceretur Deus ab illis nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari ut habetur Iudith. 2. Et superbi Principes statuas suas ab his, qui erant ab eis subiugati adorari faciebant. hæc ratio habetur eodem, cap. 14. ubi dicitur. *Tyrannorum imperio colebantur figmenta, & hos quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc, quod longe essent, à longinquo figura eorum allata, eidentem imaginem regis, quem honorare uolebant fecerunt, ut illum, qui aberat tanquam presentem colerent.* Qui etiam, ut ibidem inquit Glosa, ut uiderentur de diuina stirpe nati, diuinos honores parentibus detulerunt, deferriq; iusserunt. Tertia, fuit adulatio, seu desiderium, quod habebant minores acquirendi gratiam maiorum, quæ ratio habetur in eodem, cap. 14. in hæc uerba, *Affectui, aut Regibus deseruientes homines in communicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* Quarta causa, fuit amor Reip. ut enim alligerentur homines ad Remp. iuuandam, ampliandam, & illustrandam, illos qui de ea benemeriti erant, uel rebus fortiter gestis, uel artium inuentione, uel alia quacumque ratione in Deorum numerum referebant hanc causam assert Glosa super idem, cap. 14. Ciceronisq; auctoritate confirmat, dicens quod defunctos, & eorum statuas colere ceperunt, ut benemeritis gratiam referrent, & successores eorum ad bene imperandum allicerent; Unde Cicero suscepit hominum consuetudo communis, ut beneficiis excellentes uiros in Cælum fama, & uoluntate tollerent, hinc hercules, hinc castor, hinc pollux, hinc Escu-

Quare ho-
mines, &
eorum sta-
tuarum suc-
cint adora-
ti, ut Dii.

la-

lapius, hinc liber, & alio loco dicit idem Cicero, Atque in plebisq; ciuitatibus intelligi potest acquirendæ uirtutis gratia, ut libentius Reip. gratia periculum adirent optimos quosq; uirorum fortium, honore Deorum immortalium esse consecratos, hinc Romani, Cæsares suos consecrauerunt, & Mauri suos Reges.

Quare adorauerit alia ratione, & sensu carentia.

Quod autem adorauerint alia, ratione etiam, & sensu carentia quinque fuerunt præcipuæ causæ. Prima pulchritudo, & uirtus creaturarum, ob quam causam aliqui adorauerunt solem, alij lunam, alij stellas, alij ignem, alij nimiam aquam, & alij alia de quibus Sap. 13. *Quorum, & si specie delectati deos putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est, aut si uirtutem, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam, qui hæc fecit fortior est illis.* Diodorus Siculus, lib. 2. de fabulosis Antiquorum gestis adducit quatuor sequentes causas, ob quas Antiqui adorauerunt ut Deos animalia bruta, & fructus terræ. Est ergo secunda, in ordine, quia dii in bestias conuersi sunt, cuius rei Aegyptij hanc adducebant rationem, quia priores dii cum pauci essent numero, uiribusq; populo impares, & hominum impietatem timerent, similes se quibusdam animalibus finxerunt, eoque modo crudelitatem uimq; hominum effugerunt; parte deinceps orbis imperio, ut redderetur animalibus gratia, quæ suæ salutis causam præbuisent consecrarunt illa quorum sumptu perierunt formam; ostenderuntq; quomodo, & uia nutrienda essent, & mortua sepelienda; quam causam Diodorus dicit esse fabulosam; non tamen est merum Poetarum figmentum, sed innititur dæmonum illusionibus, qui sub bestiarum formis illis apparuerunt, sicut etiam, & nunc aliquando apparent. Tertia causa est, quia à principio conuenientes simul homines ex Syluestri uita, carnibus humanis uescebantur, bellabanturque inuicem, eo cui plus uirium inerat superante; tunc iniurijs potentiorum imbecilles, urgente necessitate edocti, acie facta signum animalis crexerunt, quod milites sequerentur, ad quod postmodum congregati infirmiores, aduersus aliorum iniurias se tuebantur, quo factum est, ut animalibus, quæ salutis causa fuerant, gratiam exhibentes, deorum honores tribuerent, statutumque sit nephas esse, quodpiam eorum quorum imago delata fuerit occidi, sed coli potius debere, honoreq; affici. Ex qua re Aegyptij præter alias nationes erga benemeritos de se, grati esse dicuntur. Quarta causa fuit Regum institutio, nam cum populi contra suos Reges rebellarent; Reges ad causan-

dam

dam inter populos diffensionem, ne contra eos in unum conuenirent, diuersis populis, Ciuitatibus, & locis, diuersa animalia; pro diis separatim colenda dederunt, simulq; statuerunt à quibus cibus in eorum honorem abstinendum esset, ut sic cum alij aliorum deos contemnerent, & eorum carnibus uescerentur, illis essent perosi, & simul aduersus Principes nequaquam conspirarent; quod & sequutum fuit, nam diuersorum finium homines inuicem dissentiebant, mutuo sibi cultus impietatem obiiicientes. Quinta causa fuit utilitas, quam uictui hominum afferrebant, & sic adorabant bouem femellam, quia alios parit qui terram arant, & ipsa haud inutilis est ad arandum, & oues, quia bis factus ædunt, & lanam, lac, & caseum præbent; Et canes quia uenationi, & ad custodiam profunt; feles etiam mures capiunt, Ichneumona, seu muros indicos (sunt enim species muris) quia crocodillorum oua conterunt, ipsoq; crocodillos occidunt, nam cum in lirtore dormientes iacent, per os infra corpus insiliunt, uentreq; perforato confestim absq; ullo periculo fera mortua, egrediuntur; Imo etiam crocodillus, fuit ut deus adoratus, duplici de causa, & quia propter multos crocodillos in Nilo existentes, Arabiæ, & Libiæ latrones flumen transire non audent, sicq; populi illi propter crocodillos à latronibus non ita infestantur, & etiam quia Mina Rex cum à suis canibus persequeretur in Miridem paludem fugit, ibique à crocodillo fuit susceptus, & in continentem delatus; ut autem Mina animali gratiam redderet propè paludem ciuitatem condidit, quæ crocodillam appellauit, mandauitq; accolis, ut pro deo ea bestia coleretur. Sic etiam multa alia animalia pro diis adorata fuerunt, imo, & partes obscenæ, & strepitus uentris, quia à laterum dolore liberat; tanta fuit antiquorum cæcitas. Istæ igitur fuerunt causæ proximæ idololatriæ, sed causa consummatiuæ fuit ex parte dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, & alia faciendo, quæ hominibus mirabilia uidebantur, de quibus superius locuti sumus cum de superstitionibus ageremus.

De falsitate Deorum Gentium, & quod omnes fuerint dæmonia. Cap. VII.

Quinto loco magis detegenda est deorum gentium uanitas, & impietas, & uidendum quomodo illi, qui ut dii adorabantur, erant iniquissimi dæmones, ut agnoscetes

T de

Prima ratio.

de quātis tenebris nos eripuerit misericors Deus, nō cessamus ei gratias agere, & toto corde seruire. Quod igitur illi qui adorantur, ut Dij, non essent dij, relictiis multis rationibus, quæ possent adduci, duabus solis contenti erimus, probare. Prima est ex eorum impotentia, & imbecillitate, ob quam causam gentiles, deos suos infirmos agnoscetes, eos multiplicauerunt, & non ausi sunt plures res curæ unius tribuere; imo nec unā rem, sed prout res aliqua incrementa suscipit, & mutatur, diuersis dijs eam commiserunt, ut de segete ex Aug. 4. de ciuit. Dei, c. 8. exemplum habemus, frumenta sata quamdiu erant sub terra præpositam habere noluerunt deam Seiam, cum uero essent super terram, & segetem facerent, deam segetiam, sed segetia per se sola non sufficiebat, ideo multos adhuc deos, & deas instituerunt, præfecerunt ergo Proserpinam frumentis germinātib; geniculis, nodisq; culmorum, deum Nodotum; inuolumentis folliculorum, deam Volutinam; cum folliculi patefcunt, ut spica exeat, deam Patelenam; cum segetes nouis aristis æquantur, quia ueteres æquare hostire dixerunt, deam Hostilinam; florentibus frumentis, deam floram; lactescētibus, deum Lacturnem; marescentibus, deam Maturam; cum runcantur idest à terra auferuntur, deam Runcinam, frumentis uerò collectis, atq; reconditis, ut tuto referuarentur, deam Tutilinam præposuerūt. & subdit Aug. se non omnia commemorare, quia eum piget, q̄ illi non pudet. Et tot Romani multiplicauerunt deos, & deas, ut eorum nomina grandis uoluminibus uix compræhendere potuerint, ut ibid. testatur Aug. Secūda ratio sumitur ex consideratione eorum quos, ut deos adorabant, nam adorauerunt mulieres, & homines iniquos, & omnibus sceleribus inuolutos ut Venerem, Iouem, & huiusmodi, & non solum homines, sed etiam uilissima quæq; bruta, ut canes, feles, mures, crocodillos; non solum bruta, sed etiam insensibilia, ut cæpas, allia, ligna, lapides; imo etiam membra pudenda; nec solum illa, quæ generationi inferuiunt, sed etiam illa quibus nefando cōtra naturam uitio abutebantur; & magis ac magis semper insanientes, fatidum quoq; uentris crepitem, ut Deum adorauerunt; nec solū ea, quæ sunt, licet impudica; sed etiam impossibilia mōstra, quæ ipsi fingebant, deos esse affirmabant, ut apud Aegiptios Canicipites, Serpenticipites, Asincipites, & in Libia Iuppiter Ammon uernecino capite configuratus. Isti erant dii gentium, istis diuinum cultum exhibebant; quam autem istos suos deos ueneraretur, ex his quæ de Aegiptiis Diodorus Siculus, eodē 2. lib.

Secunda ratio.

non ut audita, sed ut ab eo uisa scribit, cognoscere poterimus; nā animalibus (inquit) quæ adorant, ut deos, uota faciunt, & cū aliquod eorū moritur, sindone contextum cum ululatu pectus percutientes, sale liniunt, ac cedri liquore, unguentisq; odoriferis, quo diutius seruetur corpus, unctum in locis sacris sumptuose sepeliunt; & de sumptibus in eis sepeliēdis, narrat ibid. Diodorus, quod post obitum Alexandri, cum Ptolomæus Lægus Aegiptū teneret, boue in memphi, ex senecta mortuo, qui illius nutriendi curam cæperat, pecuniam quæ in eius sumptu data erat, per magnam, ac insuper quinquaginta talenta argenti mutuo à Ptolomeo sumpta, in eius sepulturam impendit. Et subdit, quod suo tempore, quidam qui ea animalia nutrierant in illorum sepulcra haud minus centum talentis contulere. Subiungit, eam quæ circa Sacri tauri, quem uocant apim curam fieri uidit, eo mortuo magnificeq; sepulto, quærunt ad id delicti Sacerdotes uitulum priori similem; inuento, populus luctū finit; Sacerdotes quibus ea imminet sollicitudo, primum in ciuitatem Nili uitulum producant; in qua eum nutriunt diebus quadraginta, deinceps in nauim contextam, habitaculum aureum habentem, introducentes, & ad Memphim, ut deum ducentes, in Vulcani fano locant; his diebus solæ mulieres Taurū uident, quæ ante eius faciem astantes, uestibus sublatis, ei abrasum femen ostentant. reliquo tempore prohibentur in conspectu huius dei accedere. Si quis aliquod horum animalium sponte occiderit, morte damnatur; Eluro, & Ibide exceptis, quos sponte an secus occiderit, interficitur, accurrente turba; & absq; iudicio hominem uariis supplicijs interficiente; quo timore, qui hos mortuos conspexit, procul astans, lamentatur, testificans animal absque sua culpa mortuū esse; cuius rei Diodorus affert exemplum sui temporis, à se uisum; quo tempore, inquit, Ptolomeus Rex à Romanis socius, atq; amicus dictus est, applaudentibus Aegiptiis, Italosq; ad se uenientes summo studio colentibus, maximeq; annitentibus, ne quam dissensionem, aut belli causam præberent; Tamen cum quidam Romanus felem occidisset, ad domum eius concursu plebis facto, neque ab regis, ad id missis principibus; neq; à Romanorum timore, à pœna hominis absterreri potuerunt, quamuis non sponte bestiam occidisset. Et subiungit, quæ præmente aliquando Aegiptios fame, adeo ut plures ab humana carne ob inopiam cibi nō abstinerēt, animalia ista omnino intacta reliquere. Ecce quibus rebus diuinū cultum exhibebant, istos ne dicemus Deos?

Sed fortè respondent, quod licet essent animalia corruptibilia, ligna, & lapides, in illis nihilominus apparebat quædam uis occulta, supra eorum naturam; nam lapides, & ligna loquebantur, dabant responsa, futura prædicebant, & mirabilia operabantur, hæc autem uirtus, quæ in illis residebat, non uidetur nisi diuina; ergo propter hanc uirtutem in eis existentem erant adoranda, ut Dij. Non est dubium, quin multa mira per ea efficerentur, quod autem ista non essent supernaturalia, & à dæmonibus fieret, diximus superius, ubi de superstitionibus egimus, nunc autem magis adhuc ostendemus eam uirtutem nõ solum non fuisse diuinam, sed nec etiam spiritus boni, sed immundorum, & iniquorum dæmonum, & consequenter omnes Deos gentium dæmonia fuisse, quod duplici ratione probatur. Prima est Aug. 2. de Ciuit. Dei, c. 4. & 6. quia illi dij nulla unquam suis cultoribus dederunt probitatis præcepta, nec ullum unquam habuerunt locum in quo doctrina bene uiuendi traderetur, sicut habuerunt ad obscenos ludos peragendos. Nec potest dici fuisse scolas, disputationesq; philosophorum, nã ut ibid. c. 7. inquit Aug. istæ scolæ, & disputationes non erant Romæ, ubi uigebat Deorum cultus, sed in Græcia; & non erant ex Deorum institutione; & illa probitatis præcepta, non Deorum, sed hominũ inuenta fuerunt, qui utcumq; conati sunt ingeniis acutissimis præditi, ratiocinando inuestigare, quid in rerum natura latigaret, quid in moribus appetendum, fugiendumue esset; & quidã eorum quædam magna quantum diuinitus adiuti sunt inueniunt; quantum uerò humanitus impediti sunt, errauerunt, maxime cum eorum superbiæ iuste diuina prouidentia resisteret. Quanto igitur iustius talibus diuini honores decernuntur? Quanto satius erat ad erudiendam, ad iustitiam iuuentutem publice recitari leges Deorum, quã laudari inaniter leges, atq; instituta maiorum? omnes enim cultores talium deorum, mox ut eos libido perpulerit, feruenti (ut ait Persius) tincta ueneno, magis intuetur quid Iuppiter fecerit, quam quid docuerit Plato, uel censuerit Cato; hinc apud Terentium flagitiosus adolescens, inspecta pictura Iouis quo pacto danæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum; ab hac tanta auctoritate adhibet patrociniũ turpitudini suæ, cū in ea se iactat Deũ imitari. Nec etiam obstat, quod eorum dij aliqua dederint probitatis præcepta, quia ita illa dederunt, ut ex hoc ipso aduertenda, & conuincenda sit calidior malitiã spirituum noxiõrum, nam (ut inquit Aug. eod. lib. 2. cap. 26.) tanta est uis probita-

Quod spiritus operantes mira in Diis gèntium essent mali, & dæmones. Nulla eis fuit cura bene, & honestè uiuendi.

bitatis, & castitatis, ut eius laude omnis, uel penè omnis humana natura moueatur, nec usq; adeo sit turpitudinè uitiosa, ut totum amittat sensum honestatis, Proinde malignitas dæmonũ, nisi alicubi se (quemadmodũ scriptũ in nostris libris nouimus) transfiguret in Angelum lucis, nõ implet negociũ deceptionis: foris itaq; populis celeberrimo strepitu impietas impura circũsonat, & intus paucis castitas simulata uix sonat, præbetur propatula pudendis, & secreta laudãdis; decus lateret, & decus patet; quod malũ geritur, omnes conuocat spectatores, quod bonum dicitur, uix aliquos inuenit auditores, tãquã honesta erubescenda sint, & inhonesta gloriãda; illud. n. fit, ut honestiores, qui pauci sunt capiantur; hoc autem ne plures, qui sunt turpissimi corriganter. Vbi autem, & quando honestatis præcepta fuerint data nescimus, scãnisci autem & inhonestissimi ludi in ipsis templis, & ante ipsa delubra, & simulacra exhibebantur. Vnde Romani, (ut eod. 2. lib. c. 16. inquit Aug.) cū à diis suis bene uiuendi leges accipere nõ possent, ab Atheniẽsibus Solonis leges mutuauerunt, quas, & meliores, & emẽdatiores facere conati sunt. Et quãuis Lycurgus Lacedæmoniis leges ex Appollinis auctoritate se instituisse cõfinerit, id tamẽ prudenter Romani credere noluerunt, & propterea inde nõ acceperunt. Nec potest dici propterea Romano populo nõ fuisse leges à numinibus cõstitutas, quia sicut Salustius ait, ius bonũ apud eos, nõ legibus magis, quã natura ualebat; nã Aug. eod. 2. lib. c. 17. & 18. multis eorũ cõnumeratis, & quæ cõnumerari possent sceleribus ostendit, etiã ipsius Salustii auctoritate, eos naturę ius minime seruasse. Si igitur cultores illorũ Deorũ nõ seruabãt naturę ius sed erãt multis sceleribus implicati, quomodo illi erãt Dij, aut spiritus boni, si nullam eis dederunt legem, nec ullũ bone uiuendi præceptum, nec ulla eis fuit cura, ut bene, & honestè uiueret?

Secũda ratio est, quia nõ solũ nulla eis fuit cura bene, & honestè uiuendi; sed q; peius est, ipsi omni uitiorũ genere delectabantur, & suos cultores ad omnia uitia inducere studebãt; & ut eos liberius ad scelera queq; induceret, ipsi se illorũ scelerũ auctores præbebãt, & omnia eorũ scelera tãquã sacrũ quid, & diuinũ in suis solenitatibus populo repræsẽtari uolebãt. Et ut nullũ scelus omitteretur, cuius ipsi nõ essent auctores, sed ut ad omnia scelera homines, ueluti diuina auctoritate, suoq; diuino exẽplo liberius induceret, dij illi inter se bipartiti erant. Quidã. n. delectabãtur crudelitate, & homicidiis. Alii immũditiis, & obscenitatibus; illos Labeo (quem huiuscemodi rerum peritissimum

Suos cultores ad omnia uitia eorum exemplo inducere studebãt. Quidã delectabantur, & placabantur crudelitatibus, quidã obscenitatibus.

prædicant, ut refert Aug. eod. 2. lib. c. 11. deos malos uocabat; quia cædibus, & tristibus supplicationibus, & uictimis propitiabantur; istos uero bonos, quia obsequiis lætis, atque iucundis, qualia sunt, ut ipse ait, ludi conuiuia, & lectisternia, placabantur, & propitiabantur. De prioribus refert S. Athanasius in oratione contra Idola, quod Scitæ Dianæ naufragos, & quoscumque ex Græcis cæperint, pro hostiis iugulant, & quod alij Marti ex prælio reduces reportato triumpho, captos bello centesimant, & in centurias diuisis pro numero centuriarum, hostias cædunt; quod idem etiam Aegiptij (ut inquit idem Athanasius) faciebant, uictimas Iunoni immolando; Phenices, & Cretenfes Saturnum placabant ei filios suos sacrificando. De posterioribus Diis quos uocabant bonos, quia lætis iucundisq; obsequiis delectabantur, idem Athanasius refert, quod adeo obscenitatibus delectabantur, ut mulieres phenicæ ante idola prostituerentur, dedicantes diis suis quæstum, quem meretricando faciebant, ut sic illos propitios haberent; & uiri quoque ut Matri Deorum rem gratam facerent, abdicato sexu, nec se amplius mares esse ferentes, mulierum naturam affectauerunt. Et in honorem Deorum instituti fuerunt ludi scenici, in quibus eorum scelera, adulteria, stupra, & peccata contra naturam, mulierum, & iuuenum raptus, & huiusmodi representabantur, & decantabantur; quæ cum non sine maxima uerecundia dici possint, melius est silentio præterire. Sed ut melius cognoscamus de quantis tenebris misericors Deus nos liberauerit, unicum exemplum cum Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei, c. 21. adducemus; Sacra, Libero in Italiæ compitis celebrabantur cum tanta licentia turpitudinis, ut in eius honorem pudenda uirilia colebantur, non in secreto, sed in propatulo exultante nequitia; nã membrum Liberi per dies festos cum honore magno postellis impositum, prius per rura in compitis, & usque in urbem, portata, uectabatur; & unus totus mēsis Libero tribuebatur in quo singulis diebus omnes uerbis flagitiosissimis utebantur, donec illud membrum per forum transuectum esset, atque in loco suo quiesceret; cui membro inhonesto, matremfamilias honestissimam, palam coronã necesse erat imponere, sic Liber Deus placandus erat. Et magnæ matri Deorum molles contra omnem uirorum, mulierumque uerecundiam consecrabantur, qui madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incestu famineo per plateas, uicosque Carthaginis à populo unde turpiter uerent exigebant; sic uolebãt. dij illi à suis cultoribus honorari.

De ludis
scenicis.

Ne-

Neque hoc illis sufficiebat, sed ad maiorem suorum cultorum perniciem, uolebant etiam ludos scenicos sibi exhiberi, in quibus eorum furta, adulteria, incestus, & uitia representabantur, & decantabantur, qualiter. s. Deæ inter se de præmio pulchritudinis concertarunt, Iuppiter in bouem, aut Cignum conuersus fuerit, ut cum aliqua concuberet; pulcherrimum iuuenem impudice amauerit, & rapuerit; qualiter deæ hominibus nupsent, Saturnus filios deuorauerit; & nihil denique malorum, uictiorum, ac scelerum confingi potest, quod ibi non reperiatur; Et isti ludi, ipsorum deorum auctoritate instituti erant, & eos sibi exhiberi uolebant, & si non exhibebantur, minis, terroribus, & pœnis ui extorquebant. lib. 4. de Ciuit. Dei, c. 26. refert. Aug. Tito latino rustico romano patrifamilias, dictum fuisse in somniis, ut in senatu nunciaret, ut ludi romani instaurarentur, eo quod primo eorum die in quodam scelerato, qui populo spectante ad supplicium duci iussus est, triste displicuisset imperium, numinibus ex ludis hilaritatem querentibus; cum autem ille, qui somno commonitus erat, postera die iussa facere non ausus esset, secunda nocte rursus hoc idem seuerius imperatum est; amisit filium, quia non fecit; tertia nocte dictum est homini, quod maior ei pœna si non faceret immineret, cum autem sic non auderet, in morbum incidit acrem, & horribilem, tunc ex amicorum sententia, ad Magistratus rem detulit, atque in lectica allatus est in senatum, expositoque somno recepta continuo ualitudine pedibus suis sanus abscellit, tanto stupefactus miraculo senatus, quadruplicata pecunia ludos censuit instaurari; Et cum pestis in populo grassaretur, admonuerunt dij, quod non nisi ludis scenicis placandi essent, & pestis tollenda.

Quam autem detestandi essent isti ludi, & omnino de medio tollendi, docuit Nascia Scipio, cuius tanta erat prudentia, & probitas, ut sæpe à Senatu sine sententiarum discrepantia, Summus Pontifex fuerit electus, qui (ut refert Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei, c. 31.) Senatum caueam Theatri pro ludis scenicis construere molientem, ab hac dispositione, & cupiditate cõpescuit persuasitque; oratione grauissima, ne Græcorum luxuriam uirilibus patriæ moribus paterentur obrepere, & ad uirtutem labefactandam, eneruandamque romanam, peregrinæ consentire nequitie; tantumque auctoritate ualuit, ut eius uerbis commota senatoria prouidentia etiam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo uti Ciuitas cæperat, deinceps prohiberet apponi: Dij propter sedandam corporum pestilentiam,

Ludi scenici quam detestandi essent.

T 4 ludos

Differētia
inter Græ-
cos, & Ro-
manos
quoad sce-
nicos.

ludos sibi scenicos exhiberi iubebant; Eorum autem Pontifex Scipio, propter animorum cauendam pestilentiam, ipse scenam construi prohibebat. Illa autem corporum pestilentia nō ideo cōquieuit, sed astutia spiritū nefandorū prauidēs illā pestilentiam sine debito cessaturam, aliā longē grauiorem, qua plurimū gaudet, ex hac occasione, non corporibus, sed moribus curauit immittere. Est ulterius notandū ex eod. Aug. lib. 2. de Ciu. Dei c. 12. & 13. q̄ quāuis Græci, & Romani ludos scenicos celebrarent, magna tamen fuit inter eos differētia, nam Græci scenicis actoribus libertatem de se dicendi turpia dederūt, ne Diis suis honestiores uiderentur, & illos sic ad iracundiā prouocarent; imo scenicos actores in maximo honore habebant, cum scenicos ludos diis suis acceptos uiderent. At Romani, ut apud Ciceronem gloriatur Scipio, uitam, famamq; probris, & iniuriis poetarum subiectam habere noluerunt, capite etiam puniri sanctes tale crimen condere, si quis auderet; quod erga se quidem satis honeste constituerunt, sed erga deos suos superbē, & irreligiose; quos cum scirent non solum patienter, sed etiam libenter poetarum probris, maledictisq; lacerari, se potius, quā illos huiusmodi iniuriis indignos esse duxerunt, seq; ab eis etiam lege munierunt, illorum autem ista etiam sacris solemnitatibus miscuerunt. Sed contra Romanos arguit Aug. quomodo homines scenici ab omni honore pelluntur, si ludi scenici deorum honoribus, & sacris solennitatibus admiscentur? in qua controuersia Græci, Romaniq; concertant, Græci putant se rectē honorare, homines scenicos, cum colant ludorum scenicorū flagitatores Deos. Romani uerō hominibus scenicis, nec plebeiam tribum, quanto minus senatoriam curiā honestari sinunt, In hac disceptatione (subiungit Aug.) huiusmodi ratiocinatio summā quæstionis absoluit. Præsupponunt Græci, si dii tales colendi sunt, profecto etiā tales homines honorandi sunt; Assumunt Romani, sed nullo modo tales homines honorādi sunt, Concludunt Christiani, Nullo igitur modo dii tales colēdi sunt. Cōcludamus igitur deos gentiū fuisse iniquissima dæmonia, q̄ etiam gentiles facilē cognoscere potuerūt, cum illos omnium iniquitatū, & scelerū auctores esse uiderēt, nam ut inquit Aug. 8. de Ciu. Dei, c. 17. Maxima stultitia, errorq; miserabilis est, ut ei quis se faciat uenerando humilem cui se cupiat esse uiuendo dissimilem, & religione colat, quē imitari nolit, cū religionis sūma sit imitari quē colimus, q̄ & uiri, (ut ita dicā) ratione utentes (nam alijs inter belluas potius annumerādos

cen-

cenfeo) cognouerunt, licet cum fidei lumine caruerint, in uera Dei cognitione multum errauerint; hinc est illa pontificis scæuolæ deorum distinctio, ut alii a poetis, alii a philosophis, alii a Principibus dii asserti sint; Primū deorū genus. Varro fabulosū appellauit, secūdū naturale, & tertium ciuile, fabulosi dii, quos populi colebant, a Philosophis, & Principibus irridebātur, licet ipsi quoq; ob metum populi, & ob minas ipsorū deorū eos colere simulauerint; hinc Dionysius Tirranus iunior, ut inquit Cle. Alex. in oratione ad Gentes, cū auream uestem Ioui abstulisset in Sicilia, iussit eum indui lana, facete dicēs, eam esse aurea meliorem, ut quæ esset, & æstate leuior, & hyeme calidior; & Antiochus Cyzicenus, cum egeret pecuniis, Iouis aureā statnam, quæ erat magnitudinis quindecim cubitorum, fundi iussit, & ex alia uiliori mātēria statuam illi similem rursus reponi. Dii a Principibus constituti, ab eisdem etiam Principibus irridebantur, hinc natus est ille iocus Antonini Caracallæ, qui cum fratrem Getam Imperii haberet confortē, eundē interfecit, ut solus Imperio potiretur, eū autem sic parricidio sublatū inter deos retulit, facete dicēs, sit diuus frater, dū nō sit uiuus; Diū autem a Philosophis constituti, licet a Populo, & Principibus non reciperentur, non tamen ita facile poterant conuinci, cum philosophi rationibus agerent, sed quia errantes ad ueri Dei cognitionē non peruenerunt; & illi qui propius ad eā accedentes, superbia elati in suis cogitationibus euauerunt, inter se discrepabāt, & inuicē cōtrarii, disputationibus cōcertabant, & qui aliquo modo naturali lumine Deum cognouerūt, non ob id ab idolorū cultu récesserunt, & ei debitū honorem exhibuerunt, nisi illi qui speciali Dei gratia a Deo uero illuminabantur, & adiuuabantur, qui quantum in se est nemini unquam defuit. Ecce in quantis ignorantia tenebris gentilis populus uersabatur.

Quomodo Sacra Scriptura vanitatem Deorum Gentium ostendat. Cap. VIII.

Sed uideamus quomodo Sacra scriptura deorū gētiū uanitatē ostēdat: nā cū idololatriā prohibeat, ostēdet etiā idola, & Deos gētiū nō esse Deos, nec ali quo honore dignos; & multis quidem modis id facit, sed nouem nobis in præfenti collegisse sufficiat, ex quibus habentur omnia, quæ ad idololatriæ detestationem faciunt. Primus, quia omnes eorum deos dæmonia fuisse docet, ps. 95. *Omnes dij gentium, dæmonia.* 1. Cor. 10. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo,* Sed

Aug. de
Ciu. Dei,
lib. 4. c. 27
& lib. 6. c.
6.
Deorum
gentium
distinctio.

Sed dubitatur quomodo hoc sit uerum; nam licet colerēt multos Deos, multi tamen colebant etiam summum Deum, quem uocabant Primam causam, primum motorē, de quo non potest dici, quod sit dæmon, cum sit uerus Deus; colebant etiam motores Cælorum, quos constat non esse dæmones, similiter, nec homines, nec belluæ, nec cæterę creaturę quas colebant, erant dæmones; quare id, quod asserit Sacra scriptura nõ uidetur posse uerificari, nisi de spiritibus immundis, qui in idolis colebantur. Ad hoc Caiet. 2. 2. q. 94. ar. 4. dupliciter respondet. Primo, cum S. Tho. ibid. quod omnes dii gentium dicuntur dæmonia non essentialiter, sed casualiter, quia dæmonia erant causę conformatiue omnis cultus idololatrię. Respondet secundo, quod omnes dii gentium etiam essentialiter, aut participatiue erant dæmonia, in quantum erant dii gentium, quia non uenerabantur secundum id, quod in ueritate erant, sed secundum id, quod non erant, hoc est secundum deitatem, cum nõ essent dii, sed creaturę unius Dei; ipsum etiam Deum non adorabant secundum id quod erat, sed secundum id, quod ipsi de eo concipiebant; unde alii dicebant nullam horum inferiorum habere curam, alii mundum ei coeternũ ponebant; alii negabant eũ esse infinitę uirtutis; unde non adorabant ipsum Deum, secundum se, sed secundum id, quod ipsi uocabant Deum, quod non est uerus Deus, & sic omnes Dii gentium, aut erant dæmonia, aut figmenta dæmonia, quę participatiue dæmonia erant, & dicuntur; Dices non satis est dicere, sed opus est rationibus ostendere ideo. 2. Sacra scriptura probat uanitatem deorum gentium, per hoc, quod sunt dii noui, & recentes. ps. 80. *Non erit in te Deus recens;* nam implicat, quod sit Deus, & si de nouo factus, nam Deus est prima omnium rerum causa; quo argumento etiam omnes sectę non tantum gentilium, sed etiam hæreticorum confunduntur, nam sicut Deus est æternus, & mundum creauit in tẽpore, semper debuit coli, ut Deus, & illa erit uera religio, quę a principio mundi cępit, & perseuerat, qualis est sola Christiana. 3. cum sint noui, habent causas, ideo illorũ uanitatem ostendit ex eorum causis. & primo quidem ex causa efficienti, nam sunt ab hominibus effecti, ps. 113. *Simulachra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum. Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Isa. 11. Secundo, ex causa materiali, quia sunt facti non solum ex argento, & auro, sed etiam ex lignis, Esa. 44. *Artifex lignarius succidit cedros, tulit illicem, & quercum, quę steterat inter ligna saltus, plantauit pinum, &**

facta

*facta est hominibus in focum, sumpsit ex eis, & calefactus est, & succendit, & coxit panes, de reliquo autem operatus est Deum, & adorauit, fecit sculptile, & curuatus est ante illud, medium eius combussit igni, & de medio eius carnes coxit, coxit pulmentum, & saturatus est, & calefactus est, & dixit, V ab calefactus sum, uidi focum, reliquum autem eius Deũ fecit, & sculptibile sibi, &c. Tertio ex eorũ causa formali, quia licet sint effigies uiuentium, non tamen uiuunt, sed sunt sine anima, & sine ulla uirtute, & consequenter prorsus inutiles ps. 113. *Os habent, & non loquentur, aures habent, & non audient, manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, & non clamabunt in gutture suo.* Dices licet sint facti ab hominibus ex uili materia, forte sunt alicuius uirtutis ideo 4. ex eorum impotentia, illorum uanitatem ostendit, Sap. 13. *Non erubescit loqui, cum illo, qui sine anima est, & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro uita rogat mortuum, & in adiutorium, in utilem inuocat, & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest, & de acquirendo, & de operando, & de omni rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.* Ind. 6. Gedeon uocatus est Hierobaal, quia cum destruxisset aram baal, & homines illius loci eum quærerēt ad mortem Ioas pater eius illos irridens dixit, *Nunquid ultores estis baal, ut pugnetis pro eo, si deus est nõ dicet sede eo, qui suffodit arã eius.* 3. Re. 18. Ventum est ad experientiam, ut cognosceretur, quis posset opẽ ferre Baal ne, an Deus Israel, & inuocatus Baal a prophetis eius qui erant quadringenti quinquaginta, ut ignem mitteret, & incenderet holocaustum, nõ erat auditus, nec uox; inuocatus autem Deus Israel ab Helia, qui solus erat, & ad tollendum omnem suspicionem fraudis, super holocaustum fecit effundere magnam copiam aquę, cecidit ignis domini, & uorauit holocaustum. Sed quia comparationibus, res maxime elucescunt, ideo. Quinto, eos cum hominibus, qui illos colunt comparat, quia homines illi, sunt meliores diis suis Sap. 15. *Melior est homo his quos colit, quia ipse quidem uixit cum esset mortalis, illi autem nunquam.* Vbi notandum est, quod non dixit, quia rationalis fuit, sed quia uixit, in quo significatur, quod non solum minimum animal, sed minima herba est etiam eis melior, cum uiuat uita uegetatiua, imo ut ibidem dicitur, c. 14. lignum mortuum est illis melius, nam ligna ad alium usum applicata, sunt utilia, ut ad nauigandum si ex illis fiat nauis, at si fiat idolum est penitus inutile. Cum autem sint uiliores cunctis rebus, posset quis credere, quod nullum malum eorum cultus asserre possit; ideo 6. dicitur, quod sunt omnium malorum causa; *Infando-**

rum

rum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis. Sap. 14. & consequenter septimo, quod sunt maledicti, & ipsi dii, & qui illos fecerunt, Sap. 14. *Per manus autem, quod fit idolum, maledictum est, & ipsum, & qui fecit illud, ille quidem, quia operatus est, illud autem cum esset fragile, Deus cognominatus est.* Nec solum sunt maledicti, sed etiam sunt exterminandi, & hoc est, quod octauo dicitur, Hier. 10. *Dij, qui caelos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quae sub caelo sunt, & Paulo inferius. Vana sunt, & opus risu dignum, in tempore uisitationis suae peribunt.* Nono, eorum uanitatem ostendit, homines qui eos colunt multipliciter arguendo; nam primo illos, ut stultos irridet, sumpta occasione tum a materia, & causa efficiente illorum deorum, Esa. 44. *Medium ligni cum bursit igni, & dixit; Vab calefactus sum uidi focum reliquum autem eius deum fecit,* tum a suorum deorum impotentia 3. Re. 18. Cum Sacerdotes Baal a mane, usque ad meridiem inuocassent nomen Baal, dicentes, Baal audi nos, nec esset uox, nec qui responderet, Helias illudebat eis dicens, *Clamate uoce maiore, deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur,* clamabant ergo uoce magna, & incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis donec perfunderetur sanguine. Secundo eis ostendit Sacerdotum Deorum suorum deceptiones, & fraudes, Dan. 14. Babilonii per singulos dies dabant idolo suo Beli simili artabè duodecim, & oues quadraginta, uiniq; amphora sex, Sacerdotes autem noctu illa omnia fumebant, & Populo dicebant Bel illa commedis; Cum autem negaret Daniel Bel uiuum esse, illaq; commedere: & Sacerdotes Belis e contra afferrent, dixerunt Sacerdotes ad regem, Ecce nos egrediemur foras, & tu Rex pone escas, & uinum misce, & claude ostium, & signa anulo tuo, & cum ingressus fueris mane, nisi inueneris omnia comesta a Bel, morte moriemur, uel Daniel, qui mentitus est aduersus nos; hoc autem dicebant confidentes, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, & per illum ingrediebantur semper, & deuorabant ea. Cum igitur egressi essent, Rex posuit cibos ante Bel, Daniel autem accipit cinerem, & cribrauit per totum templum coram Rege, & egressi clauserunt ostium, & signantes anulo Regis abierunt. Sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam, & uxores, & filii eorum, & commederunt omnia, & biberunt; mane Rex aperuit ostium, & intuitus mensam exclamauit uoce magna, magnus es Bel, non est in te dolus quisquam, Daniel autem risit, & tenuit Regem ne ingrederetur intro, & dixit,

dixit, animaduerte cuius uestigia sunt haec; & dixit Rex, uideo uestigia uiro- rum mulierum, & infantium, erant enim Sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus, & paruulis, & filiis; Rex autem iratus apprehendit eos, & ostenderunt ei abscondita ostiola per quae ingrediebantur, & occidit illos, & tradidit Bel, in potestatem Danielis, qui subuertit eum, & templum eius. Tertio, illos ex suorum deorum cultu omni ignominia, & confusione dignos esse ostendit, ps. 96. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* Esa. 42. *Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt constabili, Vos dii nostri.* Quarto, qua poena digni sint ostendit, quia digni sunt poena mortis, Sap. 15. *Malorum amatores digni sunt morte, qui spem habent in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.* Sed multi euadunt poenam temporalis mortis, nullus tamen euadit dignam, & huius, & alterius uitae poenam, ut. illis quos colunt similes efficiantur, ps. 113. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* ubi huius, & alterius uitae poena in sinuatur, nam idolum dupliciter consideratur, & ut idolum, & ut diabolus in eo ad illud colentium deceptionem, miros effectus operabatur, similes in hac uita efficiuntur idolo, quia os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non uident, &c. quia. labuntur sensibus, & illis non utuntur, nisi ad eorum perditionem, & quae eis ad salutem prodesse possunt, nullo modo intelligunt, ac si inanimati essent. Et in altera similes erunt diabolo, qui in idolo, & per idolum operatur, quia cum illo aeterno inferni igne cruciabantur, hac utraq; poena omnes idololatras. qui non resipiscunt, puniuntur; at illi, qui uerum Deum cognouerunt, & eo relicto an idola conuertuntur, sunt etiam morte multandi, ut habetur Deut. 13.

Quod ad salutem sit necessaria fides, & doctrina diuinitus reuelata. Cap. I X.

Confutatis impiis Gentilium erroribus, quos de Deo, & de Religione habuerunt, accedendum nunc est ad illas Religiones, quae in doctrina a uero Deo reuelata fundantur; quae tamen non ob id omnes sunt uerae, & bonae; nam stante doctrina diuinitus reuelata, aliqui propria excacati malitia, & a diabolo patre mendacii, & ueritatis, & bonitatis inimico excitati, & adiuti, diuinæ reuelationi proprium intellectum subdere noluerunt; sed reuelatorum se iudices constituerunt,

runt, & ueritatem deprauantes aliqua ex reuelatis, aliis reuelatis, receperunt; quæ etiam peruersè intelligunt, & interpretantur, ad hoc solum, ut nouam Satane sectam confingant; huiusmodi sunt omnes impiæ hæreticorum sectæ; & in hoc numero modo reponendi sunt etiam Iudæi; Sed illa sola est dicenda Religio, tanquam uera, & diuina, quæ in doctrina diuinitus reuelata, & sanè intellecta fundatur, qualis est sola Apostolica Romana. Et cum satis ostensum fuerit omnes gentilium sectas fuisse, & esse idololatricas, & sathanicas, & experientia constet, alias omnes sectas fundari in illa scriptura, quæ nos, & ipsi quoque sacram, & à Deo reuelatam dicimus, si probauerimus uerum, & legitimum Sacræ scripturæ sensum, esse apud nos solum manifestum erit solam Christianam Religionem, Apostolicam, & Romanam, esse ueram Religionem, & extra illam neminem posse saluum fieri.

Sed quia Gentiles negarent ad salutem præter eam cognitionem, quæ naturali ratione haberi potest, esse nobis necessariam fidem earum rerum, quæ diuinitus reuelatæ sunt; ut illos magis adhuc confutemus, & simul nobis uiam paremus ad ueram Religionem, breuiter ostendemus necessarium fuisse, hæc à Deo nobis reuelari, & quod nos illis firma fide operibus confirmata adhareamus. Hoc ex necessitate fidei humanæ, arguendo probare possemus, si enim, ut cum aliis uiuere possimus, necessariū est, ut mutuam fidem nobis adhibeamus, quanto magis necessarium est ad spiritualem uitam, & ut Deo grati simus, Deum, Deo, & in Deum credere, qui lucem habitat in accessibilem. Sed ex magis propriis, & nobis (ut non cum solis gentilibus loquamur) & ipsis etiam gentilibus, qui solis rationibus insistant, manifeste probabimus. Et primo quidem, auctoritate Sacræ Scripturæ, Baruch. 3. *Non est qui possit scire uias eius, sed qui scit uniuersa nouit eam, & adiuuenit eam prudentia sua, qui præparauit terram in æterno tempore, & c. hic est Deus noster.* Ergo nullus potest eam habere nisi à sciente uniuersa, qui est Deus, & hoc quantum ad necessitatem, nam sine uia non potest perueniri ad terminum; & de facto subdit. *Tradidit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo, & hoc quo ad uetus testamentum, & sequitur. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est.* quando. sc. eam tradidit in nouo testamento. De hac reuelata doctrina eiusque necessitate, inquit etiam Apost. 2. Tim. 3. *Omnia scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum in fructu*

Sed

Sed parum nobis prodesset aliquam doctrinam diuinitus reuelari, nisi per fidem firmū ei assensum præberemus, quod ad salutem necessarium esse docet Apost. Heb. 11. dicens. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Secundo probatur rationibus contra gentiles, ex quibus etiam habebitur plenitudo doctrinæ; cum enim sint beatitudo, & media ad illam consequendam, dubitari posset unde sumatur necessitas reuelatæ doctrinæ, & propterea duæ priores rationes sumuntur ex parte finis, & ex parte mediorum; dubitari etiam posset unde proueniat, quod intellectus hanc reuelatam doctrinam naturaliter consequi non potest, quæ erit tertia ratio, quæ causa cognita, adhuc remanebit dubium, quare homo ad finem supernaturalem ordinetur, ex quo sumetur quarta ratio. Prima igitur ratio sit ex parte finis, quia omni agenti per cognitionem, necessaria est distincta cognitio finis, sicut enim agenti naturali, est necessarius naturalis appetitus finis, qui naturalem inclinationem sequitur, propter quem debet agere; ita agenti per cognitionem necessarius est appetitus sui finis, propter quem debet agere, qui sequitur cognitionem; sed homo ex naturalibus non potest suum finem distincte cognoscere, ergo necessaria est illi de suo fine aliqua supernaturalis cognitio; quod autem ex naturalibus non possit homo suum finem distincte cognoscere, probatur, tum auctoritate Isaie, c. 64. *Oculus non uidit Deum absque te, quæ præparasti diligentibus te;* & 1. Cor. 2. *Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum, tum rationibus Scoti, 1. f. q. 1. prologi, Philosophus. n. sequens naturalē rationem, aut ponit perfectam felicitatem esse in acquisita separataram substantiarum cognitione, ut uideatur dicere 1. & 10. Ethic. aut si non determinate asserit istam esse supremam nobis possibilem, aliam tamen naturali ratione non concludit; & ita soli rationi naturali innitendo, uel errabit circa finem in particulari, uel dubius remanebit. Probatur secundo, quia nullius substantiæ finis proprius, à nobis cognoscitur, nisi ex eius actibus nobis manifestis, ex quibus colligatur, quod talis finis sit tali naturæ conueniens, ut ex descensu grauis cognoscimus centrum esse illius locum; quod per se patet, licet enim finis possit etiam cognosci ex cognitione substantiæ, sub illa propria ratione, qua ordinatur ad finem, demonstratione propter quid, tamen, quia nulla substantia sic à nobis nunc cognoscitur, nullum finem possumus concludere esse proprium substantiæ, nisi per euiden-

tem

Necessitas doctrinæ reuelatæ rationibus probatur.

Prima ratio ex parte finis.

tem illius substantiæ actum ad talem finem; sed nullos actus experimur, nec cognoscimus in esse naturæ nostræ in isto statu, ex quibus cognoscamus Dei uisionem ita esse nobis cōuenientem, ut in ea beatitudo nostra consistat; nam licet concederemus naturalem rationem sufficere ad probandum nudam Dei uisionem, & fruitionem esse hominis finem; certum tamen est, quod sunt quædam conditiones finis, propter quas est appetibilior, & feruentius inquirendus, quæ determinatē naturali ratione concludi non possunt; huiusmodi sunt, quod nuda Dei uisio perpetuo conueniat homini, & homini perfecto in anima, & corpore; & quod sumus resurrecturi, & quod animæ beatitudo ex Dei uisione redundet in corpus, quod ei nunc contrarium est, corpus enim, quod corrumpitur aggrauat animam, & intellectum à contemplatione retrahit, & nimia intellectus contemplatio sensuum, & uegetariæ operationes impedit; & quod licet unus sit futurus beator altero, nulla tamē erit inuidia, nec ullum desiderium ad maiorem gradum ascendēdi, sed omnes erunt suo gradu contenti; ergo saltem propter istas, & similes conditiones finis, quæ ad efficaciter inquirendum finem notæ esse debent, & naturaliter sciri non possunt, non enim naturali ratione mortuorum resurrectio haberi potest, reuelata doctrina nobis necessaria fuit. Secunda ratio Scōti quæ reuelatē doctrinæ, & fidei necessitas probatur, sumitur ex parte mediōrum ad finem, & est, quia omni agenti per cognitionem propter finem, est necessaria triplex cognitio. Prima, quomodo, & qualiter acquiratur finis. Secunda est cognitio omnium, quæ sūt ad finem necessaria. Tertia est, quod ista omnia ad talē finem consequendum sufficiant. Quod prima sit necessaria patet, quia si quis nescit quomodo finis acquiratur, nesciet etiā qualiter se ad illius consecutionem disponat; patet etiam de secunda, quia si nescit omnia necessaria ad ipsum finem, propter aliquis necessarii ignorantiam, à fine deficere poterit; similiter de tertia, quia si ignorat ista necessaria sufficere, dubitabit se ignorare aliquod necessarium, & ita illud, quod necessariū est, nō efficaciter prosequetur; sed hæc tria naturali ratione cognoscere non possumus, primum quidem, quia beatitudo datur tantquam præmium pro meritis eius, quem Deus acceptat tantquam dignum tali præmio, & ita uocatur merces. Gen. 15. *Ego ero merces tua magna nimis.* Mat. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedē,* & per consequens nulla naturali necessitate sequitur ad qualescumque actus nostros, sed contingenter datur à Deo accipiente

Secunda ratio ex parte mediōrum.

præstante actus aliquos in ordine ad ipsam tanquam meritorios; hoc autem naturaliter non est scibile; si enim quis dicat rationem naturalem dicere, quod detur bonis operibus, id quidem concedimus, Sed difficultas est quibus bonis operibus detur, & quomodo factis. s. in gratia, & ita, quod qui in uno mandatorum deficit, factus sit omnium reus, quæ naturali ratione sciri non possunt; philosophus enim sequens rationem naturalem, solam substantiam operis, & operatis intentionem attenderet; quomodo etiam Deus peccatis offensus reconciliari possit, & pro peccatis ei satisfacere possimus, naturaliter sciri nō potest, nam si dicatur operibus bonis, opera bona sunt debita, quomodo ergo est pro peccatis satisfaciendum? Si operans etiam est Dei inimicus, quomodo erunt ei accepta, quæ facit? unde uidemus Philosophos in hoc errasse, qui dixerunt omnia, quæ sunt, à Deo immediate, necessario ab eo esse; reliqua duo sunt nobis multo magis ignota, non enim naturaliter sciri potest acceptatio uoluntatis diuinæ, cum contingenter acceptet talia, uel talia tanquam digna uita æterna; & quod etiam illa sufficiant, dependet merè ex uoluntate diuina, circa quæ contingenter se habet; Et confirmatur auctoritate S. Aug. 2. de Ciuit. Dei, c. 2. quid prodest (inquit) nosse quo eundum sit, si ignoratur uia, qua eundum sit; in hoc enim errabant philosophi, quia & si aliqua de uirtutibus uera tradiderunt, tamen falsa miscuerunt, ut patet ex eorum libris. Arist. enim pollitias à multis aliis dispositas improbat, 2. Polit. sed, & sua non est irreprehensibilis 7. enim Polit. docet Deos esse honorandos, & ibid. inquit, quod Iex nullum orbatum tradit nutriti, & in eod. lib. c. 8. dicit, quod oportet fieri abortum in casu. Ergo ad hanc triplicem cognitionem habendam necessaria fuit diuina reuelatio, ut enim dicitur Baruch. 3. *Non est, qui possit scire uias eius, sed qui scit uniuersa nouit eam.*

Sed dicet aliquis unde prouenit, quod homo, nec ultimum finem suum, nec media sufficientia ad ipsum potest naturaliter cognoscere? Respondetur cum Alex. 3. p. q. 68. memb. 1. ex Hugone de S. Victore (quæ erit tertia ratio ad probandam fidei necessitatem) duplicem esse causam, una est excellentia primæ ueritatis, alia imbecillitas humanæ fragilitatis. Primam demonstrat Hugo per diuisionē eorū, quæ à nobis cōprehēduntur, nā cum quædam comprehendamus sensu, ut corporalia, quædam uerò intellectu per rerum similitudinem, quædam uero experientia, ut ea quæ in anima sentiuntur, ut gaudium, tristitia, ti-

Tertia ratio ex excellentia primæ ueritatis, & infirmitate humane imbecillitatis.

mor, & amor; Diuina non comprahēduntur, primo modo. s. sensu, quia non sunt actu præsentiā, nec corporalia; nec secundo modo, quia omnem similitudinem, puritatis excellentia trascendunt; nec tertio modo, ut illa quæ in nobis sentiuntur, quia nō sunt de substantia animi, nec de his, quæ in animo subsistunt, et ergo sola fide creduntur; quia sunt, sed non comprahēduntur qualia sunt, ergo Deus credi potest, comprahēdi non potest. Secunda causa est infirmitas humanæ fragilitatis, quia (sicut ostendit Hugo in suis sent.) erāt tria, corpus. s. spiritus, & Deus; & corpus quidem mundus erat, anima spiritus, & ipsa animas quasi in mediō quodam erat, habens extra se mundum, intra se Deum, & acceperat oculum, quo extra se mundum, & ea quæ in mundo erant uideret, & hic erat oculus carnis, alium oculū acceperat quo se ipsam, & ea quæ in ipsa erant uideret, & hic erat oculus rationis; alium rursus oculum acceperat, quo intra se Deum uideret, & ea quæ in Deo erāt, & hic est oculus cōtemplationis; Postquam autem tenebræ peccati in illam intrauerunt, oculus quidem contemplationis extinctus est, ut nihil uideret: oculus uerō rationis lippus effectus, ut dubiè uideret, solus oculus carnis in sua claritate permansit. Homo ergo, quia oculum carnis habet, mundum uidere potest, & ea, quæ in mundo sunt; item quia oculum rationis ex parte habet, animum similiter ex parte uidet, & ea, quæ in animo sunt, quia uerō oculum contemplationis non habet, Deum, & quæ in Deo sunt, uidere non ualet. Fides ergo necessaria est, qua credantur ea, quæ non uidentur. Sed uidebitur alicui, quod nondum euacuata sit difficultas, nec sufficienter ostensa fidei, & doctrinæ reuelatæ necessitas, esto enim, quod sit ueritas diuina, ad quam humani intellectus imbecillitas attingere non possit, quare homo ad bonum ita super excellens ordinatur, & nō potius ei est assignatus finis illi proportionatus, quē naturaliter cognoscere, & consequi possit? Huius difficultatis solutio erit quarta ratio, qua fidei necessitas ostendetur, & est S. Th. 2. 2. q. 2. art. 3. dicimus igitur huius causam esse, quia natura hominis dependet à superiori natura, & ita ad eius perfectionem non sufficit cognitio naturalis, sed requiritur etiam quædam supernaturalis cognitio. Pro maiori explicatione huius rationis notandum est ex eod. S. Th. quod in omnibus naturis inuenitur, quod ad perfectionem naturæ inferioris duo concurrunt. Vnum quidem, quod est secundum proprium motum, aliud autem, quod est secundum motum superioris naturæ; sicut aqua secundum

Quarta ratio ex hoc quod finis est supernaturalis.

mo-

motum proprium, mouetur ad centrum, secundum autem motum lunæ mouetur circa centrum, secundum fluxum, & refluxum: Similiter etiam orbis planetarum mouetur propriis motibus ab occidente in orientem, motu autem primi orbis, ab oriente in occidentem; sola autem natura rationalis creata habet immediatum ordinem ad Deum, quia cæteræ creaturæ nō attingunt ad aliquid uniuersale, sed solum ad aliquid particulare, participantēs diuinam bonitatem, uel in essendo, sicut inanimata, uel etiam in uiuendo, & cognoscēdo singularia, sicut plāte, & animalia. Natura autem rationalis in quantum cognoscit uniuersalem boni, & entis rationem, habet immediatum ordinem ad uniuersale essendi principium. Perfectio ergo rationalis creaturæ non solum consistit in eo, quod ei competit, secundum suam naturam, sed in eo etiam, quod ei attribuitur ex quadam supernaturali perfectione diuinæ bonitatis; Vnde ultima beatitudo hominis cōsistit in quadam supernaturali Dei uisione; ad quam quidem uisionem homo pertingere non potest, nisi per modum addiscentis à Deo Doctore, secundū illud Ioa. 6. *Omnis, qui audit à Patre, & dedit, uenit ad me.* Huius autem disciplinæ fit homo particeps, non statim, sed successiuè, secundum modum suæ nature; Omnis autem talis addiscēs oportet, quod credat, ad hoc, quod ad perfectam scientiam perueniat; sicut etiam Philosophus dicit, quod oportet addiscentem credere; Vnde ad hoc, quod homo perueniat ad perfectam uisionē beatitudinum præexigitur, quod credat Deo tanquam discipulus Magistro docenti; licet enim inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciantur, quia tamen hominis perfectio in supernaturali Dei uisione consistit, necesse est, ut de Deo supernaturalem cognitionem præhabeat, & multa de eo cognoscat, ad quæ naturalis ratio ex creaturis procedens, pertingere non potest, quæ non nisi per fidem, & per modum addiscētis à Deo reuelante cognoscere possumus; Vnde Eccles. 3. dicitur. *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* Et confirmatur ex ratione extremorum. Si enim in naturalibus non est transitus ab extremo ad extremum nisi per medium, multo minus, erit in spiritualibus; cum illa, quæ à Deo sunt, maximè ordinata sint, duo autem hic sunt extrema, beatitudo. s. quæ est æternā, diuina, & omnium bonorū possessio, & homo qui est mortalis, carnalis, & bonis omnibus defuitus, ut ergo ad tantam gloriam homo peruenire posset, debuit in hac uita supra seipsum eleuari, & sic ad illam per quosdam ueluti gradus tendere, sic autem

V 2 in-

intellectus eleuatur, dum in obsequium fidei captiuatur, & ea, quæ reuelata sunt, quamuis non intelligat, firma fide tenet; & uoluntas dum in amorem summi Dei, fide cogniti inflammatur, & Diuina charitate ordinatur; ipsa etiam animæ essentia Diuina gratia qua informatur ad esse quodammodo Diuinum sublimatur; & cum operationes sequantur esse, ex esse Diuino ad quod eleuamur, operationes nostræ sunt, & dicuntur diuinæ.

Qua ratione hæc reuelata doctrina dicatur supernaturalis. Cap. X.

Cum rationibus naturalibus modo contra infideles agamus, ad maiorem huius ueritatis, & tertiæ etiã rationis declarationem, uidendum est hoc loco, quomodo intellectus noster se habeat ad beatitudinem, & ad hanc reuelatam doctrinam, an eius potentia ad ipsam, sit naturalis, quamuis supernaturaliter eam assequatur, uel nõ naturalis, sed obedientialis; ut sic etiam magis nota sit causa necessitatis huius reuelatæ doctrinæ de ultimo fine; si, n. ad ultimum nostrum finem, & ad hæc reuelatã doctrinã habemus naturalem potetiam, ergo ne sit frustra, naturaliter assequi poterimus, & finem, & media, & eorum cognitionem; si autem non habemus naturalem potetiam, ergo perfectio, quæ nobis ex eo accidet, erit accidentalis, & consequenter non consistet in eo beatitudo nostra. Vt rursus, si ad ultimum nostrum finem non habemus naturalem potetiam, quantumcumque nobis perfecte cognita esset natura animæ nostræ, quoad naturalia, nunquam tamen illam cognosceremus sub ratione, qua in talem finem ordinatur, quia tam finis, quam illa animæ ratio, est extra naturalium latitudinem, ac proinde ultimi finis nostri cognitio esset nobis supernaturalis, non solum, quia illam per reuelationem habemus, sed etiam, quia nostra potentia ad ipsam non est naturalis, sicut nec ad finem, sed obedientialis; At si habemus naturalem potetiam ad ultimum finem; illam etiam habebimus ad eius cognitionem, sed sicut finem supernaturaliter assequimur, ita etiam eius cognitio est nobis supernaturalis, quia cum anima nostra, saltem pro isto statu, sub illa propria speciali ratione, qua ad illum finem ordinatur, non sit nobis naturaliter nota, per reuelationem illam habere debemus: Si Philosophorum doctrinam attendamus, ut inquit Henricus de Gandauo p. p.

An habemus potetiam naturalem ad reuelatã doctrinam, & beatitudinem.

Philosophorum sententia.

sum.

sum. art. 4. q. 5. Auer. qui exponens illud 11. Metaph. Dispositio intellectus in anima, & c. ponit, quod homo ex naturalibus suis possit deuenire, ut intelligat primum principium & principia separata post ipsum, diceret, quod desiderium hominis esset ad sciendum ea, nec sine illorum adeptione cessaret appetitus. Hoc licet uerum sit, tamen falsum est illud ex quo deducitur, dicit enim, quod ex pura cognitione naturali, quæ est ex phantasmatibus de rebus sensibilibus, possibile sit, deuenire in cognitionem quidditatis substantiarum separatarum, quod erroneum est, quia medium cognoscendi ex phantasmatibus, limitatum est, ut de substantiis separatis ex sensibilibus, sicut ex effectibus earum, amplius non possit homo cognoscere, nisi quia sunt, non autem quid sunt, nisi in generali, & remanet omnino cognoscendum, quid in natura, & in substantia sunt in speciali. Cum enim effectus exteriores sint effectus artis, siue substantiæ separatæ, ut ars est: non autem essentiæ, ut essentiæ est, in notitiam artis ducere possunt, ut ars est, non autem in notitiam essentiæ, ut essentiæ est. Limitata est ergo in hoc notitia naturalis, ut ad illa cognoscenda attingere non possit, nec ad hoc se extendit lumen intellectus agentis, ut dictum est. Philosophi ponentes finem humanæ cognitionis ex puris naturalibus haberi, & in uita sua, ex cognitione scientiarum speculatiuarum, & primorum principiorum, quantum homini possibile est, & quod in modica cognitione Diuinorum, consistit eius summa perfectio, & delectatio, licet non possit attingere ad quidditates substantiarum separatarum, & eorum, quæ apud illas sunt; dicerent, quod homo nullum appetitum haberet illa sciendi, ex quo ex suis naturalibus ad ea peruenire non posset, ne ille appetitus esset frustra.

Inter Theologos etiam duæ sunt de hac re contrariæ sententiæ, altera est Scoti, qui distinguit duplicem comparationem potetiam receptiuam; ad actum, scilicet, quem recipit, & ad agens à quo recipit; & inquit potetiam receptiuam comparatam ad actum, quem recipit, esse, uel naturalem, uel uiolentam, uel neutram; naturalem, si naturaliter inclinatur, uiolentam, si sit contra naturalem inclinationem; neutram, si neque inclinatur ad istam formam, neque ad oppositum; & in hac comparatione nullam dicit esse supernaturalitatem; comparatam uerò ad agens à quo recipit formam, fortiri rationem

Theologorum sententiæ. Scoti in prologo p. sent. q. 2.

naturalis, uel supernaturalis; nam si potentia comparatur ad agens, quod naturaliter natum sit imprimere talem formam in tali passo, naturaliter illam recipiet: si uero comparatur ad tale agens, quod non est naturaliter impræssum illius formæ in tali potentia, supernaturaliter illam recipiet. Qua distinctione supposita dicit, quod si intellectus possibilis comparatur ad notitiam in se, nulla cognitio est sibi supernaturalis, quia intellectus possibilis quacumque cognitione naturaliter perficitur, & ad quancumque naturaliter inclinatur. Si uero comparatur ad agens, sic potest supernaturalis cognitio, respectu agentis inueniri, illa scilicet, quæ generatur ab agente, quod naturaliter non potest mouere intellectum possibilem ad talem cognitionem; & pro isto quidem statu, secundum Philosophum intellectus possibilis natus est moueri ad cognitionem ab intellectu agente, & phantasmate; unde illa sola est naturalis, quæ ab istis agentibus imprimi potest; quorum uirtute potest haberi omnis cognitio incomplexa, quæ secundum legem communem habetur à uiatore, quia eundem omnium terminorum conceptum quem habent Christiani, habent etiam, & pagani; & ideo licet Deus possit per reuelationem, specialem alicuius incomplexi cognitionem causare, sicut in raptu, non est tamen talis cognitio supernaturalis necessaria de communi lege: Secus autem est de complexis ueritatibus, quia ut probatum est, posita tota actione intellectus agentis, & phantasmatum, multæ complexionis remanebunt nobis ignotæ, quarum cognitio est nobis necessaria; istarum igitur notitiam necesse est nobis supernaturaliter tradi per reuelationem, quæ ideo est supernaturalis, quia est ab agente, quod pro statu isto non est naturaliter motuum intellectus nostri.

Altera sententia est Caietani, qui contra Scotum nullam uult esse in natura potentiam neutram, & ad actus supernaturales, & ad hanc reuelatam doctrinam ponit in nobis potentiam non naturalem, sed obedientialem; ac proinde asserit doctrinam istam, esse supernaturalem; non ea solum ratione, quia est ab agente, quod pro statu isto non est naturaliter motuum intellectus nostri, sed etiam quia nostri intellectus ad eam potentiam non est naturalis, sed obedientialis, cuius rationes examinabimus inferius.

Sententia Scoti mihi probabilior uidetur, dummodo cum

Ca-

Caietano potentiam illam neutram, quam in natura asserit, de medio tollamus; illam quidem quo ad artificialia concedimus, quia formarum artificialium subiecta non habent inclinationem ad formam artificialem, nec consequenter ad unam magis, quam ad aliam inclinatur; potentia autem, & subiecta formarum naturalium, ad illas habent naturalem inclinationem, ut benè probat Caietan. Sed sicut cum Caietano censemus contra Scotum remouendam esse à natura potentiam neutram; ita etiam cum Scoto contra Caietanum, credimus potentiam ad actus supernaturales, qui sunt de fine, & de mediis ad finem, esse naturalem, & non obedientialem; quam obedientialem potentiam non prorsus negamus, sicut nec etiam omnino abstulimus potentiam neutram, propter formas artificiales, concedimus ergo uniuersam naturam esse in potentia obedientiali ad Dei motionem, & ad ea quæ Deus de sua absoluta potentia, uult, & potest circa ipsam efficere; huiusmodi sunt multa opera miraculosa, quæ leguntur facta, & fieri in fine mundi, quia omnis creatura est Deo subiecta, & obediens, non solum quo ad ea, quæ eius naturam, conseruationem, & perfectionem respiciunt; sed etiam, ut immutetur, & in nihilum redigatur; quæ potentia posset etiam uocari neutra, quia cum Deus multa sua absoluta potentia efficere possit, ad nullum eorum creatura habet naturalem inclinationem; sed ad illa omnia indifferenter se habet; sed quia hæc potentia respicit absolutam Dei potentiam, cui nihil contradicere potest, conuenientius dicitur obedientialis; potentia quoque neutra respectu formarum artificialium, posset comparata ad intellectum artificis, dici obedientialis, quia iuxta ideam, quam pro libito format, artifex potest disponere huiusmodi formarum subiecta; sed quia potentia artificis non se extendit ad omnia, & subiecta potius respiciunt formas artificiales, quibus accidentaliter perficiuntur, quam intellectum artificis, imo artifex ita potest pro libito nouam formam inducere, ut cogatur habere rationem dispositionis subiecti, ob id conuenientius dicitur neutra; Quamuis ergo sic concedamus obedientialem potentiam, dicimus tamē, quod animæ nostra potētia ad actus supernaturales, qui sunt de fine, & de mediis, est naturalis, qualis est potentia ad notitiam reuelatam, ad gratiam, Charitatem, & uirtutes infusas, licet hæc sint supernaturalia, & supernaturaliter habeantur. Quod probatur primo

Quod nostra potētia sit naturalis.

ratione humani intellectus, quia secundum Philosophum ipse est in potentia omnia intelligibilia, sicut sensus omnia sensibilia; & non solum omnia intelligibilia ex sensibus abstracta, sed etiam separata, quæ ex se sunt maxime intelligibilia, & ad illa intellectus maxime inclinatur; sicut enim uisibile, ut uisibile, essentialiter respicit potentiam uisuum, & potentia uisua essentialiter respicit uisibile; ita intelligibile essentialiter respicit intellectum, & intellectus essentialiter respicit intelligibile; & inter uehemens sensibile, & uehemens intelligibile, hæc constituitur à Philosophis differentia; quod illud lædit potentiam, & hoc perficit intellectum. si autem illa sunt nobis difficile intelligibilia, hoc est ratione debilitatis intellectus nostri, qui (ut inquit Philosophus) ad illa se habet sicut oculus uespertilionis ad lumen solis. nec propterea, ut dicit Commentator est nobis impossibile illa intelligere, frustra enim facta essent nobis intelligibilia, si numquam ea intelligere possemus; quamuis autem modus illa intelligendi sit diuersus, per supernaturalem, scilicet reuelationem, non ob id potentia intelligendi non est naturalis; sicut materia prima si esset in potentia ad formas, ut quasdam reciperet opere naturæ, & alias non posset recipere, nisi opere supernaturali, omnes tam has, quam illas naturaliter appeteret. Probatur secundo, ratione scientiæ incompletæ, quam intellectus noster habet de spiritualibus, & diuinis, ex rebus naturalibus; quia omne imperfectum, quod se experitur imperfectum in aliquo actu, desiderat consequi perfectionem in illo, quoniam notitia imperfecta de aliquo, necessario excitat intellectum bene dispositum ad desiderandum eius perfectionem. Nunc autem experimur in nobis notitiam imperfectam separatorum ex effectibus eorum, scilicet notitiam, quia sunt, & quid sunt in generali, quæ est imperfecta respectu notitiæ eorum, quid sunt in speciali; sicut in complexis imperfecta est notitia, quia est, ut quod sol eclipsatur, nisi sciatur quare eclipsatur. Quare necessarium est, quod homo desideret consequi illam notitiam perfectam. Ex hoc ergo, quod homo aliqua ex creaturis sensibilibus cognoscit de Deo, & separatis, non quiescit eius desiderium, sed necessario excitatur magis ad cognoscendum ea; ad quæ tamen naturaliter attingere non potest; semper enim effectus cognitus incitat appetitum ad cognoscendum causam ignotam, secundum quod dicitur, 1. Met. de primis Philosophis, quod uidentes à principio effectus apparentes, & deficientes in cognitione causarum, ut

de

de lunæ passionibus, & ijs, quæ fiunt circa solem, & astra, admirati sunt, & propter id quod est admirari, tunc primum incipiunt philosophari; & constat, quod hoc non erat nisi, quia ex eis, quæ nouerunt, excitatus est in eis appetitus ad cognoscendum ea, quæ latere eis perceperunt. Ex quo desumitur tertium argumentum. Non enim solum est in homine desiderium ad perficiendum imperfectam notitiam, quam experitur in se, sed etiam ad expellendam illam, quam in se experitur ignorantiam, secundum quod etiam dicitur ibidem. Propter id, quod est fugere ignorantiam philosophati sunt. Quare cum homo ex effectibus creaturarum, experiat esse illa, quæ naturalem eius cognitionem excedunt, & sciat naturam, & quiditatem eorum sibi esse ignotam; impossibile est, quod appetitus eius non tendat ad illa cognoscenda, & tanto magis, quanto plura circa illa per creaturas experitur, & cognoscit ex hoc, suam incompletam cognitionem, & ignorantiam, ut prædictum est. Quarto, probatur ex parte finis, & appetitus naturalis ad illum; quia quælibet res naturaliter inclinatur, & appetit suum finem, & mediæ ad illum consequendum, ergo etiam homo cum non sit cæterarum rerum inferioris conditionis, habebit naturalem inclinationem, & potentiam ad finem suum, & ad mediæ. Nec potest dici, quod hoc est uerum de fine huius status; quia anima nostra præter statum præsentis uitæ naturaliter habet alium statum præstantiorem, & perpetuum, ad quem ordinatur huius uitæ status, cum naturaliter sit immortalis, ut superius probauimus; ergo sicut quatenus est in corpore habet finem ad quem naturaliter inclinatur, ita etiam à fortiori habebit finem ad quem naturaliter inclinabitur pro alio statu æterno. Nec ualet si dicatur, quod sicut homo non assequitur naturaliter ultimum finem suum, ita etiam ad illum non habet naturalem potentiam, & inclinationem; quia modus assequendi finem dependet etiam ex externis mediis, & si naturaliter haberi non possunt mediæ, & finis, supernaturaliter habebuntur; at ordo, seu potentia ad finem, & ad eius mediæ fuit ex ipsa essentia rei; & dicere, quod homo non ordinatur naturaliter, nec habeat naturalem potentiam ad suum ultimum finem, est dicere, quod temerè, & casualiter fuerit creatus, & quod iste finis ei postea accidentaliter fuerit datus, nam quæ ex intentione fiunt, propter finem, & cum ordine ad illum finem, fiunt. Et confirmatur hæc ratio. Primo, quia licet finis supernaturaliter acquiratur,

na-

naturalibus tamen potentiis possidentur, intellectu scilicet, & uoluntate, nec est extra limites obiectorum istarum potentialium, imo in illo perfectissime, & essentialiter saluatur eorum obiectorum ratio, ueri scilicet, & boni; ergo potentia nostra ad ultimum finem, ueri scilicet, & non obedientialis, nam potentia obedientialis denotat, quod res ex se, & naturaliter non sit capax illius finis, sed Dei absoluta potentia ad illum eleuetur, qualis possit dici potentia lapidis ad istum finem, de qua potest intelligi illud Christi, *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ*; quod etiam confirmatur auctoritate Damasceni inferius in solutione secundæ rationis Caietani adductæ. Probatum etiam quinto auctoritate S. August. lib. de prædest. san. cap. 5. ubi dicit; *Proinde posse habere fidem, sicut posse habere Charitatem, naturæ est hominum, habere autem, gratiæ est fidelium*. Ad quam auctoritatem respondet Caietan. quod August. non dixit, quod posse habere fidem sit naturale homini, sed quod sit naturæ hominum, quod significat subiectum potentia, & non potentia modum, ut sensus, potentia obedientialis ad fidem, & charitatem, est in natura hominum, & non in natura leonina. Sed hæc responsio nullo modo satisfacit, tum quia cum clarum sit potentiam ad fidem, & charitatem, esse in natura hominis, & non leonina, si posse habere fidem, & charitatem, dicitur esse naturæ hominum, non ut significetur modus potentia, id est, quod sit homini naturalis, sed eius subiectum, tanquam differentia ad excludendas belluas, ridiculosa erit differentia, & tãto Doctore indigna; tum etiam quia S. Aug. distinguit habere actu fidem, a posse habere; & illud tribuit gratiæ, & hoc naturæ, ergo hic sumitur natura, ut distinguitur contra gratiam, & significat naturalem potentiam; nam si posse habere fidem non est homini naturale, sed id homo accipit a Deo tanquam ei obediens, posse habere, sicut & habere gratiæ tribuetur. Absolute igitur dicendum est, quod homo appetit scire ea, quæ rationis naturalis notitiam excedunt, ita ut per naturam quiescere non possit humanus appetitus quousque deueniat ad apertam substantiarum separatarum, & ipsius Dei notitiam; nec aliquid citra Deum potest sedare eius appetitum; cum enim anima naturaliter sit capax summi boni per affectum, & summi ueri per intellectum, minori impleri non potest, nã quod potest capere maius, non potest impleri minori; & ideo S. Aug. in principio confess. ait, *Tu excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec quiescat in te*.

Et

Et magna certe fuit Philosophorum confusio, qui hæc uidere poterat, imo in se ipsis experiebatur; & tamē in infimis perfectionem humanæ notitiæ posuerunt; multi quidē eorum uidentes hominis appetitum, & desiderium ad substantiarum separatarum, & maxime ipsius Dei clarā notitiā, & quod desiderium naturale non potest esse frustra, nec ociosum, multis, & uariis modis, sed erroneis conati sunt ostendere quomodo homo ad perfectā substantiarum separatarum, & Dei cognitionem peruenire posset, uiderunt enim (ut inquit Aug. super Ioa.) quo oportebat tendere, sed uiam ignorauerunt, quæ est uia fidei; errabant igitur isti nimis tribuendo naturæ; Alii autē in altero extremo errarunt, denegando naturam, quæ habuit, uidentes enim hominem ex naturalibus non posse quiditates illarum substantiarum cognoscere, potentiam, & appetitum ad clarā illarum notitiam negarunt.

Argumenta, & dubia in contrarium, cum suis solutionibus. Cap. XI.

Sed quia Gentiles uti possent argumentis Caietani. nõ ad probandam cum ipso in nobis potentiā obedientialem, ad actus supernaturales, sed ad illos prorsus negandos, si nõ est in nobis ad illos naturalis potētia; ideo illa cum suis solutionibus adducemus, Primū est ex parte actus, nã actus supernaturalis est duplex, & secundū se, ut gratia; & secundū talē modū fiendi, ut uisus cæco datus, sed in natura nulla est potentia naturalis ad actum supernaturalem ratione modi, ut sic, ut patet ex frequenti usu, quo naturalem potētia ad miracula negamus, ergo a fortiori nulla est in natura naturalis potentia ad actus simpliciter supernaturales. Responderetur negando consequentiam, & ratio diuersitatis est, quia actus supernaturales, secundum se, ut fides, gratia, &c. sunt media ad finem, & respiciunt Dei ordinariam potentiam; actus uero supernaturales, secundum modum fiendi, non sunt media ad finem, sed sunt potius ueritatis confirmationes, & respiciunt absolutam Dei potentiam, respectu cuius absolutæ potētiæ, diximus naturam habere potentiam obedientialem; ad ordinariam uero potentiam, & ad finem, & media ad finem, naturalem potentiam, & inclinationem habemus. Dicitur etiam, quod ad actus supernaturales, secundum modum fiendi, est in natura potentia naturalis illius actus receptiua, sed ratione modi deficit in natura potentia actiua; Et probatur ex illo Arist. si senex acciperet

Primum
argumentum.

Solutio.

ocu-

oculos iuuenis, uideret sicut iuuenis, quia anima nihil est passa; unde eadem ratione si cæcus acciperet oculos uidentis, uideret sicut uidentis, quia anima nihil est passa; ex parte igitur animæ, est naturalis potentia ad uidendum etiam in cæco, & reddito illi supernaturaliter lumine, uidere erit ei naturalis, quia est actus naturalis potentiæ, & actus uitæ, sicut & phisica rustico reuelata, est scientia naturalis.

Secundum
argumētū

Secundum argumentum est ex parte potentiæ, Omni enim potentiæ passiuæ naturali, respondet aliqua potentia actiua proxima naturalis; ergo si potentia receptiua horum actuum est naturalis, etiam eorum impræsiua potentia erit naturalis. Respondetur, quod omni potentiæ passiuæ naturali, respondet in natura aliqua potentia actiua proxima naturalis eius, quod naturaliter potest habere; sed quando natura propter sui excellentiam ordinatur naturaliter ad recipiendam perfectionem ita eminentem, quod non possit subesse causalitati agentis naturalis, respectu huius perfectionis, non ei respondet naturalis potentia; Nec ob id sequitur, quod naturalis potentia passiuæ, & naturalis appetitus sit frustra; quia licet per agens naturale non possit principaliter reduci ad actum; potest tamen per tale agens dispositio ad ipsum induci; & potest per aliquod agens in natura, idest in tota coordinatione entium, puta per agens supernaturale, complete reduci ad actum. naturali igitur appetitu, & cognoscitio, inclinatur homo propter naturæ suæ excellentiam, non solum ad id, quod per se potest attingere, sed etiam ad illud, quod dono gratiæ habere potest; licet enim dono alterius illud attingat, nihilominus oportet, quod in se naturalem potentiam habeat, ut enim inquit Damascenus in lib. de duabus naturis, & una persona Christi, impossibile est qualemcumque naturam uti actione, cuius potentiam, secundum naturam non accepit. Quod etiam patet de anima rationali ad quam materia habet naturalem potentiam, & inclinationem; & tamen non est in natura naturale principium, quod sit illius causa, & illam producat; sed solum ad illam disponens, quæ postea immediate à Deo producitur. Nec ob id natura deficit in necessariis, quia non deficit, ubi prouidere potest; & quando naturalis potentia ad supernaturalem perfectionem ordinatur, non dicitur deficere, si illam supernaturali agenti perficiendam relinquit.

Tertium
argumētū

Tertium argumētū est ex parte subiecti, cū. n. quiditativa cognitio

ratio alicuius, sit sufficiens ratio omnium proprietatum eius, & ex ea soluantur omnes difficultates contingentes rei, 4. Phys. consequens est, quod cognita quiditativa re aliqua, ex ea possint cognosci omnes eius naturales potentiæ; & cum potentiæ cognitio pendeat ex actu 9. Meta. consequens est, quod actus ad quos sunt naturales potentiæ cognoscantur, & cum huiusmodi actus, secundum Scotum sint supernaturales, sequitur de primo ad ultimum, quod ex cognitione quiditativa alicuius naturalis cognoscantur supernaturalia, quod est falsum; & confirmatur, quia certe scimus, quod nulla naturalis potentia est frustra, ergo si etiam certe scimus, quod in anima est naturalis potentia ad actum supernaturalem, necessario concedendum est, quod etiam scimus supernaturalia illa debere esse, & sic sciremus resurrectionem mortuorum futuram, gratiam iustificantem impium, &c. Respondetur, quod anima rationalis, & illius potentia, non est à nobis naturaliter cognoscibilis sub illa ratione propria, & speciali, sub qua ad talem finem ordinatur, & sub qua habet Deum per essentiam uisum pro perfectissimo obiecto; nam substantia, & substantiæ finis, non cognoscitur à nobis nisi per suos actus, cum autem modus intelligendi noster sit dependens à phantasmatis, non potest anima, & natura nostra, à nobis cognosci, nisi sub ratione aliqua generali, abstracta à sensibilibus; & licet intellectus sit idem sibi ipsi, non est tamen sibi proportionatus pro statu isto, tanquam obiectum, nisi secundum rationes generales, quæ possunt abstracti à phantasmatis; secundum autem talem rationem, non ei conuenit ordinari ad talem finem, nec posse habere gratiam, nec habere sic Deum pro obiecto. Si autem anima nostra à nobis perfecte cognosceretur, sicut cognosceretur in statu beatitudinis, ex illa etiam cognosceremus, & in illo statu cognosceremus, quod ad supernaturalem finem, per supernaturalia media ordinatur. hoc reputat Caietanus inconueniens, quod per naturalia cognoscantur supernaturalia, etiam pro illo statu; sed nullum est inconueniens, quando naturalia intrinsicè naturaliter, & essentialiter eleuantur, & ordinantur ad perfectionem supernaturalem; & ratio est, quia subiecti capacitas, potentia, & inclinatio, est naturalis; actus etiam potentiæ quo habetur est naturalis, quia est actus uitæ, & potentiæ naturalis, intellectus scilicet, & uoluntatis; & supernaturalitas est, ut inquit Scotus respectu agentis, quia non potest haberi ab agente naturali.

Solutio.

Sed

Primum
dubium.
Scot. q. 1.
prolog. 1.
sent.
Solutio.

Sed adhuc remanent tria dubia, quæ contra necessitatem fidei, philosophi naturæ perfectionem tenentes, mouere possent, quæ mouet Scotus. Et primum est, quia omnis potentia, quæ habet aliquod commune pro primo obiecto naturali, potest in quodlibet contentum suo illo, sicut in suum per se obiectum naturale; quod patet inductione, cum enim primum, & adæ quatum obiectum uisus sit color, uisus fertur in omnes species coloris, sicut in suum per se obiectum naturale; similiter, & auditus, & cæteræ omnes potentia feruntur in omnes species suorum obiectorum; quod etiam ratione confirmatur, quia primum obiectum debet esse adæ quatum potentia, ita ut non excedat potentiam, nec ab ea excedatur; at si in aliquo esset ratio obiecti, circa quod potentia non posset naturaliter habere suum actum, non esset adæ quatum potentia, sed illam excederet; Sed primum obiectum naturale intellectus est ens in quantum ens, ut enim inquit Auic. 1. Meta. c. 5. ens, & res, prima impræssione imprimuntur in animam, nec possunt manifestari ex aliis; ergo intellectus noster potest naturaliter habere actum circa quodcumque ens, & circa quodcumque intelligibile. Respondetur concedendo maiorem, quod. s. omnis potentia, quæ habet aliquod commune pro primo obiecto naturali, potest in quodlibet contentum sub illo, sicut in suum per se obiectum naturale; sed negamus minorem, seu potius distinguimus obiectum naturale intellectus, nam eius naturale obiectum dupliciter accipi potest, uel pro eo, quod naturaliter, seu rationibus naturalibus intelligere potest, uel pro illo ad quod naturaliter inclinatur, siue illud naturaliter cognoscere possit, siue non; obiectum naturale primo modo, quod. s. naturaliter intelligi potest, non est ens in quantum ens, secundum totam suam latitudinem, & omnes eius rationes; sed obiectum naturaliter motiuum est ens sensibile, cum intellectus noster dum est in hoc corpore, non possit naturaliter moueri nisi à phantasmate, quod est rei sensibilis; Obiectum uero absolute loquendo comprehendens, tam motiuum, quam terminatiuum naturale, hoc primo modo est ens absolute, & uniuersale, non tamen uniuersaliter, & secundum omnes eius rationes, sed quatenus est sensibile, essentialiter, uel virtualiter, id est ex sensibilibus cognosci potest; non enim cognoscimus solum materialia, & sensibilia, sed etiam intelligentias, & Deum. Sed Deus, & Intelligentia immateriales substantia, cum non imprimant suas species in intellectum, non sunt eius obiecta motiua, sed terminatiua, quia licet non moueant

per

per se intellectum, intelliguntur tamen quatenus intellectus à sensibilibus uelut mediis mouetur, & ita immateriales substantia non possunt à nobis naturaliter cognosci, secundum omnes suas rationes, sed solum quatenus ex sensibilibus manifestari possunt. Obiectum uero naturale intellectus secundo modo, ad quod. s. naturaliter inclinatur, siue illud naturaliter cognoscere possit, siue non, est ens in quantum ens, absolute, & secundum omnes eius rationes, & de hoc solo obiecto uerificatur minor; sed tunc negatur consequentia, quia restringit minorem ad obiectum naturale primo modo, & fit æquiuocatio in obiecto; nam consequentia debet esse, quod intellectus potest habere actum circa quodcumque ens, uel naturaliter, uel per reuelationem. Ratio autem quare obiectum ad quod naturaliter inclinatur intellectus noster, comprehendat etiã illud ens, quod nõ est à nobis naturaliter cognoscibile, est, quia intellectus noster non est pure materialis, nec pure spiritualis, sed medius, quatenus ergo est spiritualis, & independens à phantasmate, in quo conuenit cum Angelis, inclinatur in eam cognitionem, quam pro isto statu naturaliter habere non potest (cum nihil possit nunc, naturaliter intelligere, nisi mediante phantasmate) & cuius ignorantiam se habere cognoscit. Nec est inconueniens intellectum, & animam nostram naturaliter ordinatam esse ad obiectum, quod non potest naturaliter attingere; quia quilibet potentia ex se ordinatur ad actum, quem tamen non potest ex se sola exercere, ut dicit Ansel. c. 2. de lib. arb. quod autem alia naturales potentia eliciant suos actus, mediis solum naturalibus adiutis, & intellectus, uoluntas, & anima, indigeant supernaturali reuelatione, & infusione ad aliquos actus exercendos, in hoc maxime commendatur nobilitas, & perfectio animæ rationalis, ut modo dicemus.

Secundum dubium est, quia sensus non indiget aliqua cognitione supernaturali pro isto statu, ergo nec intellectus, quia natura non deficit in necessariis 3. de Anima, & si non deficit in imperfectis, & inferioribus potentiis, quantum ad eis necessaria, propter suos actus exercendos, & earum finem consequendum, multo magis non deficiet in perfectis, & in necessariis potentia superiori, ad suum actum, & finem consequendum. Respondetur, quod natura defecisset intellectui, & intellectus esset de terioris conditionis sensu, si ad naturalem tantummodo perfectionem ordinaretur, sed cum ordinetur ad supernaturalem perfectionem, & beatitudinem, ad quam uires nostræ minime

Secundum
dubium.

Solutio.

suf-

sufficiunt, si ut ad eam peruenire possit, indiget supernaturali auxilio, in hoc magis dignificatur. quemadmodum filius rustici, cum possit ex patrimonio rustice uiuere, non redditur uiliior si ab Imperatore deputatus Rex alicuius Regni, non ei sufficiunt bona paterna, ad hoc ut tanquam Rex uiuere possit; sed ei necessarij sunt redditus regni.

Tertium
dubium.

Tertium dubium est, si aliqua doctrina supernaturalis est necessaria, est quia potentia in puris naturalibus est improporcionata obiecto sic cognoscibili, & ita oportet, quod per aliquid aliud a se fiat ei proporcionata, & de hoc peto, an sit naturale, uel supernaturale, si naturale, totum est improporcionatum primo obiecto, si supernaturale, ergo potentia est illi improporcionata, & ita sequitur, quod per aliud debet ei proporcionari, & sic in infinitum; cum ergo non detur processus in infinitum 2. Met. sistendum est in primo, & dicendum, quod potentia intellectiua est ex se proporcionata omni cognoscibili, & secundum omnem modum cognoscibilis. Respondeo detur, quod intellectus possibilis sit alicui ueritati complexae firmiter tenenda, improporcionatus, est ex eo, quia non est naturaliter mobilis a talibus agentibus, quae non possunt ex phantasmatibus, & ex lumine naturali cognosci, huiusmodi sunt ueritates fidei reuelatae, quae quia non sunt sufficienter inclinatae intellectus ad asserendum sibi, per aliquid aliud debet intellectus illis fieri proporcionatus, ut eis firmiter asseriri ualeat; sit autem eis proporcionatus in ratione quidem mouentis, quia mouetur ab agente supernaturali reuelante ad eis asserendum; quod cum suauiter moueat, dedit etiam nobis de eius reuelatione certum, & infallibile testimonium Ecclesiae, in ratione uero formae, per habitum fidei a supernaturali agente infusum, quo intellectus inclinatur ad eis assentiendum, & sit eis proporcionatus; & utrunque motio. scilicet supernaturalis agentis, & fides infusa, est supernaturalis, & naturalis; supernaturalis, quia est ab agente supernaturali; naturalis, quia anima, intellectus, & uoluntas, sunt naturaliter capaces illarum formarum, & illorum actuum qui sunt actus potentiarum animae. Et cum in argumento subditur, quod per aliud debet intellectus fieri istis proporcionatus, & sic in infinitum; dicitur, quod intellectus ad agens supernaturale, est in potentia obedienciali, & ita sufficienter proporcionatur illi, ad hoc, ut ab ipso moueatur; habitus uero fidei, & illius assensus causati a tali agente, intellectus naturaliter est capax, ut probauimus; ergo non oportet, quod per aliud proporcionetur, cum satis proporcionatus sit, per potentiam obediencialem respectu agentis supernaturalis, & per potentiam naturalem, ad habitum fidei, & illius assensum, & idem dicitur de alijs formis, & actibus uirtutum infusarum.

TERTIAE

TERTIAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER SECVNDVS.

De Christiana Religione, contra Iudeos, & Hæreticos.

De principio, & progressu Christianae Religionis.
Cap. Primum.



Mundus fuerit a Deo creatus, & Dei prouidentia conseruetur, & gubernetur, nunquam debuit esse sine uero Dei cultu; & inter alia signa uerae Religionis qua colitur Deus, illud antiquitatis eius, est praecipuum; nam debuit incipere cum ipso mundo in primo homine, huiusmodi est sola Christiana Religio, non enim a Christo nomen accepit, quasi in ipso tunc caperetur, sed quia in illo, & ab illo suam habuit perfectionem, & quia ita caput cum mundo, ut esset de Christo futuro; nostrae igitur Religionis sunt diuersi status, sed una eademque religio, sicut est idem homo, qui primo fuit puer, & postea adolescens; Religionis nostrae pueritia fuit in statu legis naturae, adolescentia in statu legis scriptae, uiriliter autem caput in Christo, & est praesentis status gratiae, cui succedet perfectissimus ille gloriae.

Sed ut nostrae Religionis principium, & progressum Diuina fauente gratia intelligamus, notandum est, quod cum homo sit rationalis, & totius mundi epilogus, omnes totius entis gradus continens, in eo est impressa lex naturalis, secundum omnes suos gradus, perfectiori tamen modo, quam sit in alijs rebus; quia non per naturae impulsus ex necessitate, sed iuxta naturam suam, per dictamen rationis libere inclinatur. Vnde cum res omnes ad tria praecipue entium genera subordinata reducantur, nam omnia sunt in genere entis, & ut entia considerantur, aliqua

X prates

Christiana
Religionis
principium, &
status.

Quod lex
naturalis
secundum
omnes suos
gradus
sunt impres-
sa in homi-
ne.

Tres gra-
dus legis
naturalis.

præter gradum entis, sunt etiam uiuētia; aliqua uero ita sūt entia, & uiuunt, ut sint etiam rationalia quālis est homo, tres sūt præcipui gradus legis naturalis, primus ut est omnium entium, est inclinatio ad conseruationē sui esse, & expugnationē sui oppositi corruptiui. Secundus, ut est omnium animalium, est naturalis inclinatio ad generandū sibi simile, & genitū educādū; qui etiam sunt in homine ex libera electione, secundū dictamen rationis, primus, ut decēter, & honeste uiuat in cibo potu, & uestitu pro cōseruatione sui esse, secundus ut decēter se habeat in cōmuni- catione naturæ suę pro cōseruatione speciei, & filiorū educatio- ne. Tertius est proprius hominis, ad eligendū bonū, & fugiendū malū, ad faciendū unicuiq; q̄ sibi uellet fieri, & ut Deū timeat, & colat, quod primo dicendum erat, nā ex eo cætera sequitur.

De inte-
gritate, &
corruptio
nenaturę.

Est secundo notādum, q̄ cum Dei perfecta sint opera lex naturalis in homine sub statu innocentie erat adeo serena, & effi- cax, ut nullū ei esset impedimētū, & nihil cōtra rationē, uel præ- ter rationē, posset homini surrepere; sed cū homo libero suo ar- bitrio à Deo se auertisset, ad inferiora, ad carnalia, & ad semet- ipsū se conuertens, iusto Dei iudicio destitutus fuit gratia ori- ginalis iustitię, qua perdita sicut mēs rebellauit Deo ita etiā nō solum bruta, & cætera alia ab homine, qui eis fuerat prepositus defecerūt; sed ipsa quoq; hominis caro, secundū uires sensuales, suos caput habere impetus, stimulos, & inclinationes, præter, & etiā contra legē naturalem, ut sic homo iusto Dei iudicio, quia Deo rebellauit, cōtinuam in se experiretur carnis rebellionē; & quia Deo cōtumeliosus fuit, sibi metip̄si cōtumeliosus, abomi- nabilis, & execrabilis esset, & in proprio corpore turpitudinem excerneret. & ira per peccatū primi hominis corrupta est huma- na natura, & secuta est in omnium mēbris lex repugnās legi men- tis, nō ex aliqua rātum parte, sed absolute omnibus eius gradi- bus, & officijs, erat. n. Adam pater omnium, & in præcepto sibi à Deo tradito, omnium nomine merebatur, & demerebatur.

Homoper
Adē pec-
catum in-
cidit in
quatuor
mala.

Est tertio notandum, q̄ homo per Adæ peccatum, incidit in quatuor mala; primū est culpa, & hoc est præcipuū, secundū est poenæ, quæ multiplex est; & cum in tantis malis esset genus hu- manū, in duo alia incidit, quibus ei præclusa erat uia ab eis se li- berandi; quorū alterum fuit cæcitas, quę est causa, ut cū simus sub peccato uenundati, & detrusi in regionem umbræ mortis, nobis derelicti, uiam salutis ignoremus. Baruch. 3. *Non est qui possit scire uias eius.* Vnde orabat Dauid. *Vias tuas Domine de- monstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Alterum est impotentia,

quę

quæ est causa, ut ipsi ex nobis, quasi ex nobis, non possimus bonum agere, & à seruitute peccati nos liberare. Vnde Apost. *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*, Et quod peius erat, homo suā cæcitatē, & impotentiam non cognoscebat. ps. 11. *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt*, quod ad scientiam pertinet; quo ad potentiam uero subdunt. *Quis nos- ser dominus est?* Non fuit autem tanta cæcitas in primis homi- nibus, quanta fuit postea in gentibus; primi enim homines, & culpam ob præcepti transgressionem, & omnem huius uitæ mi- seriam, corruptionem, & mortalitatem, cognouerunt non esse conditionem naturę, sed supplicia primarię culpæ; primi qui- dem parentes experientia cognouerunt, cum se expoliatos uiderint gratijs quas in creatione acceperant; eorum uero filij à parentibus didicerunt; sed sibi ipsis fidentes, crediderunt ad sa- lutē nullum aliud sibi esse necessarium auxilium; procedēte au- tē tempore, adeo creuit hominū malitia, & ignorantia, ut nō so- lum non cognouerint uiam liberandi se à peccatorum culpa, & ab æterna damnatione ei debita; & eorum impotētiam, sed nec etiam ipsam culpam, nec poenam ob eam humano generi infli- ctam, sed has misérias conditionem esse naturæ arbitrabantur.

Est quarto notandū, q̄ cum Deus ab æterno humanū genus redimere, & sanare decreuerit, id cōgruēti tempore facere de- buit; tēpus autē cōueniens fuit quādo homo suā cæcitatē, & im- potentiā, & q̄ saluatore indigebat cognoscere caput, aut facile poterat, & de eo cōuinci; nā infirmus, qui sanū se esse credit, me- dicū contēnit, & medicinas reiicit, Vnde Christus. *Non est opus ualentibus medicus, sed male habentibus*, quia igitur confidebat in uiribus naturæ, & eas sibi sufficere credebat, ad eius superbiā retundendā conuenientissimum fuit, ut à Deo in statu naturæ relinqueretur. Sed antequā ulterius progrediamur, est primo notandū, q̄ cū dicimus hominem in statu legis naturę, uel scri- ptæ relicto fuisse, non ob id existimes illum à Deo suo auxilio aliquando destitutum fuisse; nā singulis, quantum ex se erat, se per præsto fuit, & faciētibus, quod erat in ipsis, sua gratia adi- uti, peccata dimittebat, gratiam conferebat, illosq; illuminabat, & adiuuabat, ut in uia salutis incedentes ab æterna dānatione erepti, in loco eis deputato, Christum Dominū expectarent, cuius passionis, uirtus, & efficacia, in eis operabatur; sed hoc auxi- lium, hoc lumen, & hæc gratia erat particularis, & quantū erat ex parte Dei singulis hominibus dabatur. Sed q̄ præter hęc par- ticularē gratiā singulariter singulis oblatā, daretur uniuersali-

De conue-
nientem
pore In-
carnatio-
nis.

Quomo-
do intelli-
gatur ho-
minē in le-
ge naturæ
& scripta
fuisse reli-
ctum.

X 2 ter,

Quomodo intelligatur tempus conueniens legis, & incarnationis.

ter, ut omnibus esset nota, primo quidē cōtra cæcitatē generis humani, lex, ueluti lucerna super cadelabrū posita; deinde contra impotentia, Saluator Dei filius, & Lex Euāgelica iustificans, debuit prius expectari, q̄ humanū genus suā cæcitatē, & impotentia agnosceret. Est 2. notandū, q̄ quando dicitur ad dandā legē expectandū esse, q̄ cōuinceretur hominis superbia de scientia; & ante Christi aduentū conuincendā esse hominis superbiā de potentia, quas se habere præsumebat, non ita accipiendū esse, quasi homines tunc fuerint dispositi, & meruerint legem, & Christi aduentum; nam tempore legis fuit maior Dei ignorātia quā unquam fuerit, tunc. n. capit idololatria, quæ usq; ad Christū regnauit; & Populus Israeliticus non obstante lege, quam à Deo acceperat, semper fuit duræ ceruicis, & ad idololatriā propensus, & tempore aduentus Christi fuit deterior, quā unquam fuerit, quia Messiam Dei filium, quē expectabant, & in propria uenit, non receperunt, & tandem occiderunt; Sed sensus est, q̄ tempore legis tunc maxime conuincabantur homines de ignorantia, non quod illam agnoscerent, sed quia tunc maxime uiguit, & de illa conuinci poterant; similiter, & de impotentia tēpore Christi, nō quod propria agnoscerent infirmitatē, & impotentia, & q̄ indigebāt auxilio gratiæ, & propterea tūc uenerit Christus; sed quia tūc præcipue cōuinci poterat hominū infirmitas. quā ad extremū laborantes nō cognoscebant. Cū igitur homo de naturali sapientia, & potētia extolleretur, cōgruentissimū fuit, ut Deus, secundū infinitā suā sapientiam, humanum genus suo fauore, ad sensū expositū, desereret, donec lōgo experimento cognosceret, quā esset suapte natura, & ad cognoscēdū, qd sibi expediret ignarum, atq; ignauū ad agēdum; & ut tunc legem suam daret, quando mūdus in maxima Dei ignoratione uersabatur; hac igitur de causa humanū genus duabus integris ætati bus destituit, una. s. annis circiter duobus millibus, ante diluuium quo mundū scelerum flagitiorumq; fetore infectum submersit; & ne posset homo postea superbiendo dicere, q̄ sic diluuiō correptus, & quasi à somno excitatus, potuisset suapte natura sine alio auxilio, quid sibi expediebat cognoscere, & operari; illum quasi nouas inducias ei tribuens, secunda ætate ferē annorum quingentorum, usq; ad Abraham expectauit, quo tēpore in maximam Dei ignorātiā est prolapsus; nam centū quinquaginta annis pessimus Nembrod antecessit Abrahā, qui contra Deum rebellans, turrim edificauit; Ninus etiam Babiloniæ Rex eundē Abrahā quinquaginta annis antecessit, uel secundū

aliquos

aliquos eius tēpore fuit, per quē idololatria in orbē irrepfit; & ita humanum genus sēper in maiora prolabebatur uitia, & semper fuit à Deo, non solum correptus pœna, sed etiā prius admonitus; nā ut inquit Alex. de Ales 3. p. q. 28. m. 1. ar. 3. cum in homine sit concupiscibilis, irascibilis, & rationalis potentia, secundum illas omnes secuta est naturæ inordinatio, nā primo quidē ante diluuiū maxime uiguit inordinatio concupiscibilis, ad quam præcauendā Dominus homini dixit. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* & nihilominus adeo creuit hæc concupiscibilis inordinatio, ut omnis caro corruperit uia suā; Unde Deus iratus aqua diluuij uniuersum mundū purgauit, & omnes homines cū cæteris omnibus animalibus, paucis exceptis, submersit; prius tamē tanquam misericors Pater, diluuium prædixit, & longa centum annorum arce fabricatione, homines à suis uitiiis semper reuocauit. Statim post diluuium præuidens Deus, quod homo semper in peius progrediēdo in maximam irascibilis inordinationem laberetur; ad irascibilem refrenandam, & ordinandam, statuit ut carnem cum sanguine non comederent, ad sanguinis horrorem, & homicidij detestationem, & nihilominus intantum hæc inordinatio irascibilis creuit, ut ædificata turri homines contra Deum pugnare uellent; sed linguarum confusione deus eorum temeritatem repræssit. Sed nō stetit hominum nequitia, ad summum peruenit usq; ad maximam rationis inordinationem, adeo ut temporibus Abraham idololatrauerint, & Dei cultum lapidibus tribuerint; prima inordinatio fuit hominis ad seipsum, secunda hominis ad proximum, tertia hominis ad Deum.

Vt autem melius intelligamus quo ordine infinita Dei sapientia hominū imbecillitati condescendēs processerit. Est. 5. notandū, q̄ modus quo Deus hominē redimere, & saluare stauit, fuit per Incarnationem, & mortem Filii Dei. Tanti autē mysterii sublimitatē mūdus torus statim capere nō potuisset, cū in eo essēt quā plurima hominum ingenia naturali hebetudine, & morum peruersitate obtenebrata; Si. n. post tot prophetias de Christo quas in eo adimpletas uidemus, si post innumera Christi miracula, quæ negare nō possumus, si post Euāgelij prædicationem, eiusq; innumeris modis cōfirmationē, si post quā nobis est euidenter ostēsū, extra Euāgelicā legē nō nisi ignorātiæ tenebras, & omnium uitiorum genera reperiri, adeo ut extra Euāgelicā legē uiuentes belluq; potius, quā homines dicendi sint, & in ea sola salutaris doctrinæ, ueritas, & sanctitas uite, reperiatur.

X 3 Si

Quod homo de malo in peius processerit, & de Dei prouidentia, ut emenderetur.

Si postquam certissima experientia mille quingentorum octuaginta nouem annorum dicimus, ob solam uerbi Christi uirtutē uniuerso mundo innotuisse, tantam esse fidei nostræ stabilitatē, ut portæ Inferi contra eam præualere non possint; adhuc uideamus non dico, quam sint mysteria fidei nostræ captu difficilia, sed quam tardum, & ad illa capeſſenda indocile sit humanum ingenium, cum minimus angulus orbis fidem retineat, eandēq; tam multis ex partibus laceram; quomodo potuisset mundus statim à principio hæc infinita, & incompræhensibilia mysteria benignitatis Dei capere? non ne si sparsim per orbem statim euulgata fuissent, ludibrio citius haberentur, quam eis fides adhiberetur? Potuisset quidem Deus talia facere hominum ingenia, ut omnes illa statim caperent, sed suauiter cuncta disponens, hominem in statu naturæ suæ reliquit, & humanę imbecillitati se accommodauit. Ob hanc igitur causam Deus à principio, sua infinita sapientia, noluit Sacramentum uoluntatis suæ omnibus palam facere, sed ex uniuerso mundo unum solū elegit. s. Abraham, cui consilium suum manifestauit, eiq; promisit, quod ex semine eius orietur filius, in quo benedicetur omnes gentes, & in Abraham elegit sibi populum, qui ex eo oriturus erat, in populum peculiarem, cui promissiones factas cōfirmaret, & in eo suo tempore adimpleret, & quem instrueret, diserneret, & præpararet, ad Messiam promissum recipiendum, qui est Christus Dominus. Cum autem electionis huius populi duplex fuerit causa. Prima, ut illi Deus mysteriū, & secretū uoluntatis suæ manifestaret, illumq; instrueret, & diserneret, cum totus mundus non esset à principio capax huius tanti Sacramenti (ut diximus). Secunda, ut in eo adimplerentur promissiones factæ, & ex eo nasceretur Christus, qui totius mundi quantum est ex se peccata deleret, ideo conuenientissimum fuit, ut Deus daret Abraham, & populo ex eo descendenti aliquod signum, quo discerneret à reliquis populis, & significarentur promissiones factæ; promissiones autem erant duę præcipuæ, altera de Filio Dei, qui ex semine Abraham assumpturus erat carnem, altera de fructu Incarnationis Filij Dei, quod per eū delenda esset iniquitas terrę, & quia semen generatione transfunditur, & peccatum originale ex quo omnia alia actualia originē sumpserunt generatione ab omnibus hominibus contrahitur, ideo cōuenientissime Abraham, & populo ex eo descendenti pro signo data fuit circumcisio in generationis membro, cum signū rei significatæ correspondere debeat. Quare autem elegerit

Deus

Cur Abraham electus.

Cur fuerit data Abraham circumcisio.

Deus potius Abraham, & illum populum, quam alium, nulla potest assignari ratio, nisi mera Dei uoluntas, & misericordia, nullo ipsius electionis præcedente merito, quod ex ipsa Dei misericordia, & electione non procedat, sicut & de prima prædestinationis radice, & causa dicimus; non enim dici potest, quod eius causa fuerint merita Abraham, quia cum totus orbis in idolatriæ impietate immerſus esset, Abraham in uero cultu unius Dei perseuerauit, & ob id merito fuerit ab eo electus, ut ex eius semine oriatur Christus; nam cum gratia, qua Deo grati reddimur non cadat sub merito, multo minus cadet eius initium, & caput, quod est Christus Dominus, & si eius aduentum nec ipsa Beata Virgo mereri potuit, quanto minus Abraham, aut quispiam priscorum? Verum, quod de Beata Virgine confitemur, etiam de Abraham suo gradu dicere possumus, & si enim Beata Virgo non meruit Christum incarnari, tamen fixo illo diuino proposito, Deus fecit eam dignam, quæ illum conciperet, Vnde canit Ecclesia. Quæ Dominum omnium portare meruisti; eodem modo in suo inferiori gradu, Deus fecit Abraham, inter mortales dignum, ut eius semen nascituro filio suo deligeret, sed hoc meritum ex misericordia electionis procedit, & non est illius causa; quod idem etiam de prædestinatione dicimus.

Est 6. notandum, quod Deus non elegit solum Abraham, ut ex illius semine eius filius carnem assumeret, sed etiam postea elegit Dauid cui eadem promissiones fecit, & ob id Christus Dominus dicitur filius Abraham, & filius Dauid, non sic dicitur filius Isaac, & Iacob, nam licet etiam eis fuerint factæ promissiones, non tamen primo, sed in confirmationem earum promissionum, quę factæ fuerant Abraham, factæ, & repetitę fuerunt, Elegit primo Abraham ex toto mundo, ut ex eo oriretur populus Dei, cum autem populus, qui ex Abraham natus erat creuisset in multas profapias, ex illis omnibus Deus elegit Dauid, ex quo. i. ex descendantibus ex illo, eius filius carnem assumeret.

Electio Dauid, & cur non dicatur Christus filius etiam Isaac, & Iacob.

De tempore quo data fuit lex, & de Christo, qui Ecclesiam fundauit. Cap. II.

Cum fuerint à Deo electi Abraham, & Dauid, eis que fuerint factæ promissiones, uideri posset, quod alteri eorum debuerit dari lex; sed neutri eorum debuit dari, non Abraham, quia lex datur populo, tempore autem

Lex cur non fuerit data Abraham, aut Dauid, sed Moyſi.

X 4 Abra-

Abrahæ eius filij, & filij filiorum, non creuerunt in populum, sed in Abraham coepit Deus populum, qui ex eo processurus erat, ad legem disponere. Nec etiam dauid, quia in dauid est electa ex toto populo familia, ex qua nasceretur Christus; & lex non debuit dari illi soli familiae, ex qua nasciturus erat Christus, sed toti populo circumciso, qui & a Deo electus, & ad illam, circumcisionem dispositus fuit. Medio igitur tempore post educationem populi Israelitici ex seruitute Aegypti deus legem suam Moyfi dedit. Quare etiam non fuerit data Abrahæ, & fuerit tandiu dilata, usque ad Moysem Alex. 3. p. q. 28. m. 1. ar. 3. hac ratione ostendit, quia prius oportuit esse fundamentum legis, quam daretur lex; erat autem fundamentum ista quatuor. scilicet fides unius dei, fides Incarnationis, probatio fidei, & firmitas fidei; prius enim quam daretur, oportuit esse attestationem fidei unius dei, & hæc præcessit in signo Circumcisionis, quæ data est in signum fæderis inter deum, & populum; attestatio autem fidei Incarnationis, facta est quando Abrahæ fuit facta promissio de Christo, *In semine tuo, &c.* Sed quia non sufficit testimonium unius, sed in ore duorum, uel trium statim omne uerbum, ideo prius quam daretur lex, facta, & repetita fuit ista promissio, etiam Isaac, & Jacob; nec etiam debuit statim dari, sed prius oportuit, quod fides esset probata, fuit autem probata in Aegypto per aduersitates, ut scilicet nulla aduersitas posset eos auertere a fide, quibus data erat lex ducens in Deum, etiam incarnandum; oportuit etiam, quod esset firmata, ne populus posset seduci aliqua fallacia, fuit autem firmata in multis signis, & miraculis, quæ ei fecit dominus, & ostendit in Aegypto in eius exitu, & in deserto; his autem factis, & expletis, debuit dari, & data fuit lex Moyfi, quæ ducit in Christum. Tunc autem non fuit conueniens tempus Incarnationis, & Euangelij, quo humanum genus per Christum redimeretur, & daretur lex, quæ gratiam ad legem adimplendam conferret; primo quidem, quia (ut diximus) homo prius cognoscere debebat infirmitatem suam, quod etiam si per legem quid sibi faciendum esset cognouerit, non poterat per se naturalibus uiribus, sine dei auxilio, illud adimplere, ut superbiendo sibi persuadebat; & ideo per longum tempus, ut longa experientia ad eius superbiam retundendam, suam impotentiam cognosceret, uel saltem agnoscere posset, sub statu legis relinquendus erat. Secundo propter dignitatem Verbi incarnati, quia ut inquit Glos. super illud Apost. At ubi uenit plenitudo temporis. Quanto maior iudex ueniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat. Et ita toto illo tempore legis, misit Deus ad illum populum,

Tempus quo fuit data lex non fuit conueniens Incarnationis.

pro-

prophetas, qui illorum scelera arguerent, a uitii retraherent, ad uirtutes inducerent, & de Christo ueturo prophetarent, ut ad illum recipiendum disponderetur. Sed licet haberent legem, & prophetas, sæper tamē fuerunt dure ceruicis, in suis sceleribus obsordescebant, prophetas persecuti sunt, & occiderunt, & cum tandem uenerit Christus, in lege promissus, illum non receperunt, sed Pontio Pilato crucifigendum tradiderunt, qui sanguine suo nostram salutem operatus est, & fundauit Ecclesiam, extra quam non est salus, & in qua non sunt Iudæi, cum Christum non receperint, nec recipiant; licet eis fuerit promissus, & propter illos principaliter uenerit; sed illi soli in ea sunt, qui ex gentilitate, & etiam ex Iudaismo conuersi, Christi fidem sub eius in terris Vicario, qui est Romanus Pontifex, uerus, & legitimus Petri successor amplectuntur. Unde Iudæi inter fidei hostes, & Dei inimicos sunt computandi, licet Sacram, & diuinam Scripturam ad eorum condemnationem, & nostram utilitatem retineant, contra quos est nobis modo agendum, ex ipsis met sacris scripturis, in quibus uitam se habere putant.

Iudæorum obstinatio

Quod tempus Messie sit præteritum. Cap. III.

Veritas catholice Religionis dupliciter ostendi potest, primo ex confutatione aliarum omnium, secundo ex propriis; Idololatria impietatem satis probauimus; nunc detegenda est falsitas, & impietas illarum sectarum, quæ in Sacra Scriptura, perperam intellecta, ad diuini cultus destructionem fundatur; & primo se nobis offerunt Iudæi, qui sunt populus a Deo electus, & dilectus; nunc autem est populus sathanæ, illorum cultu colebatur Deus, nunc autem grauissime offenditur, quia cum ex ipsis, & propter ipsos Messias in lege promissus uenerit, & toto illorum cultu fuerit adumbratus, & præfiguratus; quando uenit, & carnem dei filius, ex B. Virgine Maria de stirpe dauid assumpsit, illum non receperunt, negarunt, & morti tradiderunt, & seruantes antiquas ceremonias, illis impie profitentur Messiam nondum uenisse, & sic quem negarunt ante faciem Pilati, semper negant, & uerbis, & factis, antiquæ legis obseruatione. Contra quos est nobis modo agendum, & quatuor explicabimus. Primum, quod tempus quo uenturus erat Messias, sit præteritum. 2. quod Messias sit Deus, & homo. 3. quod Christus sit Messias in lege promissus. 4. quod lex Mosaica debuerit cessare, & noua Messie illi succedere. Quibus etiam contra gentiles euidenter probatur ueritas nostre Religionis; quia nullus potest præcognoscere futura

Quatuor tractanda contra Iudæos.

futura contingentia nisi Deus, cui nihil est præteritum, aut futurum, sed omnia sunt præsentia; at uidemus expressè omnia, myſteria Chriſtianæ Religionis fuiſſe multo ante, ab ipſo mundi principio uſque ad Chriſtum, ſemper à Deo prædicta, & multipliciter præfigurata, & ita eueniſſe ſicut prædictum, & præfiguratum fuit, ergo noſtra religio eſt à Deo; quod autè fuerint prædicta, & præfigurata, patet ex toto ueteri teſtamèto; & quod nouum præceſſerit, & hæc in illo habeantur, ipſimet Iudæi Chriſti, & Chriſtianæ Religionis inimici, illud conſeruatum proferunt.

Non debet autem offendere Gentiles, quod prophetiæ de Meſſia non ſunt ſimul omnes, & cõtinuate poſitæ, & quod multæ ſunt dum de aliis fit ſermo, & obſcure; nam lumen propheticum non eſt per modum habitus, ſed per modum tranſeuntis, & prophetæ futura prædicunt, ſecundum quod à Deo illuſtrantur, & mouentur; & hæc eſt differentia (ut etiam notauit Chryſoſt. in pſal. 44.) inter hiftoricam, & doctrinalem ſcripturam, & propheticam, quod illis aſumitur aliquid diſtincte, clare, & exacte narrandum, ſeu tractandum, at quod prophetice ſcriptum eſt, obſcure, & dum de aliis fit ſermo per aliquorum uerborum interpoſitionem fuit potius inſinuandum; licet multa etiã prædici debuerint clare, & breui ſiendæ, ut prophetæ Dei reciperentur, & eis fides adhiberetur; nam ferè omnes prophetiæ ſunt de Chriſto, & eius myſteriis humanam rationem excedentibus, quarum perfecta intelligentia, ne ſanctum daretur canibus, & ne proiicerentur margaritæ ante porcos, reſeruabatur poſt Chriſti aduentum; Et Prophetæ prophetant mouente Spiritu Sancto. *Spiritus autem ubi uult ſpirat, & uocem eius audis, & neſcis unde ueniat, aut quo uadat.* ut ſic excitaretur intellectus ad inquirendum, & captiuaretur in obſequium fidei, dum uidebat, quæ dicebantur non poſſe intelligi de illis de quibus uidetur fieri ſermo, nec de aliis præſentibus, aut præteritis; & euidentia eorum, quæ ſunt fidei, non ſolum ſuccederet in patria, quando uenerit, quod perfectum eſt, & euacuabitur, quod ex parte eſt, ſed aliquo etiam modo in uia, ad fidei confirmationem, dũ ea, quæ credebantur futura, & non plene intelligebantur, & nõ uno, aut altero modo, ſed innumeris fuerunt prædicta, luce clariùs adimpleta uidentur. Et licet nulla fit conuentio inter lucem & tenebras, Deum, & Baal, hoc idem tamen poſſunt uidere etiam in falſis eorum prophetis, eſt enim diabolus ueluti Simia Dei, & quando per ſuos Vates aliqua prædicebat, obſcure, & enigmatically loquebatur; ſed huius cauſa fuit ne deprehenderetur

men-

mendax; & illos à ſenſu alienabat, & in furiam uerterebat, ut ſic uideretur diuino ſpiritu moueri, & loqui; in quo ſimul ſibi adherentes decipiebat, & tanquam hoſtis humani generis, ut ibidem inquit Chryſoſt. ſuos Vates torquebat, & de illis uindictam ſumebat; nam uera prophetia, quæ fit diuino ſpiritu, non ſemper fit per abstractionem à ſenſibus, & quando fit, eſt ſine aliqua inordinatione nature, aut honeſtatis, & moris, per uehementiam contemplationis diuinorum; quod igitur in confirmationem eorum, quæ dicimus, Gentiles à ſuis Vatibus accipere debent, hoc ſolum eſt, quod obſcure, & per modum tranſeuntis à Diabolo Dei ſimia moti uaticinabantur; quem mendacem, & nefarium ſpiritum, in reliquis agnoſcere poſſunt, ſicut etiam, & in iſtis, in cauſa. ſ. obſcuritatis per ænigmata, & in modo indecenti, & pœnoſo alienationis à ſenſu, nõ ut refert Chryſoſtomus in cap. 12. 1. Corint. hom. 29. de ipſa Pythia, mulier quædam ſedebat in Apolinis tripode deductis cruribus, inde malus ſpiritus deorſum redditus, & per genitales eius partes tranſiens, furore mulierem implebat, & eam crines ſoluere, debacchari, & ſpu ma ore perfundere, ebria, & infana uerba proferre faciebat.

Ampliſſimus nobis offertur campus, ſed nolumus immorari, præſertim cum de his pleni ſint fere omnes libri de rebus ſacris tractantes, paucas ex innumeris pro fidelium potius conſolatione adducemus Sacræ Scripturæ auctoritates; Et quia Iudæi conſitentur Meſſiam in lege fuiſſe à Deo promiſſum, & à Sanctis Patribus expectatum, & à Deo poſtulatam; non eſt, quod de hoc loquamur, ſed de illis tantum in quibus diſſentiunt. dicunt nondum ueniſſe, & illum expectant; quod autem uenerit primo oſtendemus ex hoc, quod tranſactum eſt tempus quod prædictum fuit Meſſiam eſſe uenturum; cum autem Deus, qui loquutus eſt per os Prophetarum, non poſſit mentiri, neceſſario dicendum eſt Meſſiam ueniſſe. Iudæi unum tantum Meſſiæ aduentum agnoſcunt, nos autem illis, ex eorum ſcripturis dnos eſſe Meſſiæ aduentus oſtendimus, primus in humilitate, & paupertate ad ſaluandum, Zach. 9. *Ecce Rex tuus ueniet tibi in ſtus, & ſaluator, & ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam.* Eſa. 53. *& quaſi abſconditus uultus eius, & deſpectus, unde non reputauimus eum, &c.* Secundus in maiestate, & gloria ad iudicandum. Eſa. 3. *Dominus ad iudicandum ueniet cum ſenatoribus populi ſui, & principibus eius.* Dan. 7. *Aspiciebam ergo in uiſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis ueniebat, &c.* Quod autem præceſſerit, & tranſactum ſit tempus primi aduentus, probatur

præ-

De modo
prophetarum;
& de
Vatibus
gentilium

Duplex
Meſſiæ ad
uentus.

Quod trā
factum sit
tēpus pri-
mi aduen-
tus Mes-
sias.

primo. Gen. 48. dixit Iacob filiis suis. *Congregamini, ut annunciemus quæ uentura sunt uobis in diebus nouissimis, & cum uenisset ad Iudam dixit. Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius donec ueniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Targū idest caldaica translatio habet. *Non præteribit auctor, uel factor potestatis siue dominij regij de domo Iudæ, & scriba filius filiorum eius, usq; in seculum, quousq; ueniat Messias, cuius est regnum, & ei obedient & congregabunt se populi siue orationes gentium.* Constat autem Iudæorum regnum, & Iudiciariam potestatem finem habuisse in Herode Ascalonita alienigena, sub quo natus est Christus. Probatum secundo, ex reuelatione facta danieli, cap. 9. cui dixit Angelus Gabriel. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consumetur præuicatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur uisio, & prophetia, & unctus Sanctus Sanctorum, &c.* Hebdomadæ in Sacra Scriptura dupliciter accipiuntur, primo pro spacio septem dierum. Leuit. 23. *Secundo pro circulo septem annorum. Leu. 25. Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, idest septies septem, quæ simul faciunt 49.* Iste hebdomadæ, etiam secundum Rabinos sunt annorum; a quo autem anno incipienda sit computatio istarum hebdomadarum, Angelus ostendit dicens, *Ab exitu sermonis, ut iterum edificetur Hierusalem usq; ad Christum ducem.* quod multipliciter exponitur, nam aliqui dicunt, quod incepit ab anno primo Darij Regis Medi, quia illo tempore dixit Angelus ista danieli; Alij quod incepit à 20. anno Artarxerxis, quando. scilicet idem rex concessit, ut reedificaretur Hierusalem, ut habetur Neem 2. Alij, & melius, quod incepit à primo uerbo ex reuelatione domini procedente de reditu populi in Hierusalem, & per consequens reedificandi ibi templum, quod habetur Hier. 29. ubi dicitur, cum ceperint impleri in babilone 70. anni, uisitabo uos, & suscitabo super uos uerbum meum bonum, & reducam uos ad locum istum; hoc autem dictum fuit anno 4. Sedechiæ Regis, mense s. ut patet Hier. 28. & ab isto anno, usque ad annum passionis Christi fluxerunt 490. anni, qui faciunt 70. hebdomadas annorum præcise, ut deducit, & ostendit Nichol. de Lira. dan. 9. & alij multi, etiam secundum omnes historiographos. Sed ubicumque incipiat computatio, certum est, quod totum prædictum tempus iam diu præteritum est, quod sufficit ad nostrum propositum. Ut etiam ostendamus istam prophetiam completam esse in Christo, notandum est, quod has hebdomadas Angelus

diuisi-

diuisit in tres partes, propter specialia opera, quæ in unaquaque harum partium fieri debebant, dicens, *hebdomades septem, & hebdomades sexagintæ duæ erunt, & rursum edificabitur platea, & muri in angustia temporum, idest edificabitur Hierusalem, in angustia temporum, quia per gentes circumstantes fuerunt multum impediti, & afflicti, adeo quod una manu edificabant, & altera tenebant gladium. Neem 4. & hoc in primis septem hebdomadibus, & post sexaginta duas hebdomades occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negauerunt. Confirmabit, scilicet Christus Messias pactum multis, idest suam legem hebdomada una, & in medio hebdomadæ deficiet hostia, & sacrificium. nam in ultima hebdomada Christus prædicando, mirabilia faciendo, moriendo, resurgendo, mittendo Spiritum Sanctum, & Apostolorum prædicatione, confirmauit, & dilatauit; & in dimidio hebdomadis defecit hostia, & sacrificium, quia tunc mortuus est Christus, per cuius passionem sacrificia ueteris legis cessauerunt, & non habuerunt ultra uim obligandi. Tunc consumpta fuit præuicatio, finem accepit peccatum, deleta fuit iniquitas, adducta fuit iustitia sempiterna, impleta fuit uisio, & prophetia, & unctus Sanctus Sanctorum. Cum autem populus iudaicus Christum occiderit, & negauerit, Angelus subiungit pœnam, *Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce uenturo. scilicet, cum Tito, & Vespesiano, & finis eius uastitas, & post finem belli, statuta desolatio, & usque ad consummationem, & finem, scilicet mundi perseverabit desolatio.* Probatum tertio Agei 2. *Hæc dicit Dominus exercituum, ad huc modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & ueniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria dicit Dominus exercituum; magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quam primæ dicit dominus exercituum.* Quod ista prophetia fuerit de Messia docuerunt etiam Rabini antiqui, & tripliciter ex ea constat tempus primi aduentus Messias transactum esse. Primo, quia dicit adhuc modicum est, & ueniet desideratus cunctis gentibus. Si autem iuxta errorem iudæorum nostri seculi, primus Messias aduentus adhuc esset expectandus, falsum esset, quod dicit adhuc modicum est. nam ab eo tempore quo hæc prophetia prolata fuit, plusquam bis mille anni transierunt; quamuis enim mille anni ante oculos Dei sint tanquam dies externa, quæ præterit psalmo octuagesimo nono, si tamen mille anni*

re-

referantur non ad æternitatem; sed ad expectationem populi, nō potest dici modicum tempus, sed magnum, unde Baruch. 6. tempus captiuitatis babilonicæ prædicitur magnum, & lōgum, quod tamen fuit 70. annorum. Secundo, quia dicit, & replebo domum istam gloria, ergo domo illa adhuc stante, Messias uenturus erat, sed cum ea domus anno post Christum passum. 42. funditus à Tito Romani exercitus Duce, diruta sit, cōstat tempus Messia aduentus iam præteritisse. Tertio, quia dicit magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quam primæ, Constat quod propheta loquitur de domo ædificata post captiuitatem babilonicam, ad cuius ædificationem inducebat populum, & prædixit gloriam eius maiorem futuram, quam fuit gloria domus ædificatæ per Salomonem; hoc autem nō intelligitur propter maiores diuitias, seu honores, seu cultum diuinum, uel edificatores, quia status populi tunc erat quasi nullus, respectu illius domus, & status, qui fuit sub Salomone, propter quod dicitur 1. Esdre. 3. quod Sacerdotes, qui uiderant primam domū flebant uoce magna, aliis exultantibus in ædificatione domus secundæ, quia quasi nullius momenti erat respectu primæ; hæc igitur maior eius gloria, non potest intelligi nisi per aduentum ipsius desiderati cunctis gentibus, qui eam glorificauit præsentia sua, nam in ea fuit oblatu, docuit, & prædicauit.

Probaturo quarto, ratione, ex dispersione, & destructione iudæorum, & ex Sacra scriptura desumpta, nam considerādo processum ueteris testamenti, apparet, quod quamdiu filij Israel fuerunt seruiētes Deo, fuerunt in statu prospero, & si aliquando fuerūt captiuati, & afflicti, hoc fuit propter peccatum illius populi; sed ante captiuitatem babilonicam fuerūt idolatræ pessimi, occisores prophetarum, eos à peccatis prohibētium, adeo quod Hierem. cap. 2. dicitur deuorauit ensis uester prophetas uestros, ut leo dirumpens, & 4. Reg. quod impleuerunt Hierusalem sanguine prophetarum, usq; ad os, & multa alia mala fecerunt, propter quæ captiuati sunt in Babylonia, & illa captiuitas nō durauit, nisi per septuaginta annos; captiuitas autem in qua nunc sunt, durauit per annos 1547. & ad huc non apparet spes eorum liberationis; ergo oportet concedere, quod peccatum propter quod tamdiu captiuati sunt, fuit maius, quam peccata præcedentia captiuitatem babilonicam, cum pœna debeat respondere peccato. hoc autem non potest dici, nisi propter illud grauissimum peccatum quo Christum eis in lege, & prophetis promissum, negantes, & persequentes, crudeliter occiderunt;

quia

quia post redditum captiuitatis babilonicæ non legitur idolatrasse, & occidisse prophetas, & tanta crimina perpetrasse, sicut ante; quod etiam habetur in Talmud Ierosolimitano in libro Dierum, in cap. septem dies, ibi enim inquit Rabbi Iohanān. *Inuenimus Silo non fuisse destructum, nisi propterea, quia profanauerunt sanctuaria, & spreuerunt solennitates, & inuenimus hoc non fuisse nisi, quia coluerunt idola, & reuelauerunt pudenda, effuderuntq; sanguinem; in secunda autem domo sancta, nouimus eos omnes fuisse laborantes in lege, monentesq; seruari præcepta ac decimationes, omnisq; mos, & habitus bonus fuit in eis, nisi quod erant amatores pecuniarum, & odientes hi, istos odio gratis, O quam graue est odium gratis, quod præponderat reuelationi pudendorum, & idololatriæ, ac sanguinis effusioni?* Quod ante hanc captiuitatē debuerit nasci Messias Christus Dominus ostendit. Isa. cap. vlt. dicens. *Antequam parturiret peperit, antequam ueniret partus eius peperit masculum.* quæ uerba antiquissima hæbreorum comentaria sic exponunt. Antequam natus fuisset ille, qui iudeos in ultimam redegit seruitutē, eorū iam natus erat redemptor. Et testus caldaicus sic habet. Adhuc non erat ei ueniens angustia, & adhuc nō ueniet ei tremor cum doloribus propter partum, reuelabitur Messias, ubi dolore, & angustia partus exprimitur maxima calamitas, quam Iudæi in obsidione Vespesiani, & Titi sustinuerunt, ante quam debebat uenire Christus. Quod autem causa huius captiuitatis Iudæorum fuerit, quia occiderunt Christum, & quod ista captiuitas duratura sit usque ad finem mundi, expressè habetur in dicta reuelatione facta Danieli, & Amos. 2. *Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non conuertam eum, pro eo, quod uendiderunt pro argento iustum, & pauperem pro calciamentis.* Primum eorum scelus fuit cum Ioseph fratrem suum 30. argenteis uendiderūt; ob quod in Aegypto annis 210. captiui fuerunt; secundum scelus fuit cum promissionem de Messia sub nomine Dauid patribus factam despexerunt, dicentes non est nobis pars in Dauid, & cum duos sibi uitulos formantes, atq; adorantes, dixerunt, Hi sunt dii tui, ob quod captiuauit eos Deus per Regem Assyriorum. Tertium scelus fuit cum uaria colētes idola, ipsis, non solum bestias, sed etiam proprios filios imolabant, & cum prophetas, qui eos de hoc, aliisq; uitis arguebant, occiderunt, propter quod scelus à Rege Babylonis 70. annis captiuati sunt, à quibus omnibus captiuitatibus fuerunt à Deo liberati, quartum scelus est ob quod fuerunt captiuati, & non sunt liberādi, & hoc fuit, quia uendiderunt iustum pro argento. s. Messiam; &

pro

pro tam uili pretio, quasi pauperem pro calciamentis. Et quis sperant se liberandos, & templum esse reedificandum Hier. 7. hanc eorum uanam spem ostendit dicens, *Nolite confidere in uerbis mendacii dicentes, Templum Domini est, Templum Domini est, templum Domini est.* ter repetit, quia falsum est, quod sit tertio reedificandum; quomodo autem reedificari non possit, & adimpletum sit uerbum Christi, quod de illo templo dixit, non relinquatur lapis super lapidem, uide stupendum miraculum in tripartita, lib. 4. c. 43. Aliis multis rationibus probare possemus tempus primi Messiae aduentus esse præteritum, sed istę sufficiant, qui plures desiderat uideat Finum, & Galatinum.

Quod Messias duplicem esset habiturus naturam, diuinam, scilicet, & humanam, & quod debuerit nasci ex Virgine. Cap. IIII.

Cum satis probauerimus ex Prophetis, Messiae tempus esse præteritum, necessario sequitur, contra iudæos Messiam uenisse, & Messiam esse Christum, quia illud idem tempus quo natus est Christus fuit prædictum; sed hoc nouis legis, & Prophetarum auctoritatibus est probandum, & ostendendum omnia, quæ de Messia prædicta fuerunt, in Christo adimpleta fuisse, ut ipse met Christus dixit Iudæis, *scrutimini scripturas, quia ipsæ sunt, quæ testimonium peribent de me.* Et antequam ad magis particularia descendamus, cum Christus satis ostenderit se esse Filium Dei, uerum Deum, & Iudæi ob eam causam lapidare illum uoluerint, dicentes, quia tu homo cum sis facis te ipsum Deum, credentes Messiam futurum purum hominem, & nasciturum eo modo quo cæteri omnes ex seminum commixtione, primo ostendemus, quod Messias debebat esse uerus Deus, & uerus homo, & ut homo nasci ex Virgine. Et ne eadem repetamus, illas auctoritates in quibus cum Christi diuinitate ostenditur etiam particulare illius mysterium, adducemus, cum de illo mysterio agatur. Baruch. 3. *Non est qui possit scire uias eius neque qui exquirat semitas eius, sed qui scit uniuersa nouit eam, qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam bipedibus, & quadrupedibus, qui emittit lumen, &c. hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem uiam disciplinae, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo, post hæc, in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est.* ubi notandum est, quam multipliciter ostendat hunc qui in terris uisus est, &

est, & cum hominibus conuersatus est, esse uerum Deum. Primo, quia scit uniuersa. Secundo, quia terram præparauit, & repleuit eam, &c. Tertio, quia lumen, & stellę ei obediunt. Quarto, quia hic est Deus noster. Quinto, quia dedit legem neteris testamenti. Leuit. 26. *Ambulabo inter uos, & ero Deus uester, & uos eritis populus meus.* ubi loquitur Deus, quæ uerba Rabi Moyses Gerundenfis declarat de Messia, & addit in futuro tempore pueri Israelitici, Deum sunt digito demonstraturi iuxta illud Esa. 2. *Ecce Deus uester iste, expectabimus eum, & saluabit nos iste Dominus; item & antiqui nostri dixerunt, Futurum est, quod Deus exercebitur cum iustis in hoc seculo, quæ quidem promissiones nunquam fuerunt adimpletę, sed implebuntur in tempore perfectionis.* hæc ille, citatus à Fino. Zachar. 2. *Lauda, & letare Sion, quia ecce ego uenio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, &c. S. leat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo Sancto suo.* Hier. 14. *Quare colonus futurus es in terra, & quasi uiuator declinans ad manendum? quare futurus es uelut uir uagus, & fortis, qui non potest saluare? quod autem de Deo loquatur, patet etiam, quia statim immediate subiungit. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos.* Hier. 23. & 33. *Ecce dies uenient dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra, in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod uocabunt eum, Dominus iustus noster.* Esa. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & uocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Esa. 45. dicitur de Messia. *Tantum in te est Deus, & non est Deus absque te, Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.* Vere absconditus fuit, quia assumpta humanitate apparuit, ut homo despectus, captus, & à Iudæis occisus. in illo tantum est Deus, & absq; illo non est Deus, & ipse uere est Deus, propter distinctionem personarum, & unitatem essentię. Esaias quadragesimo tertio. *Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* & hoc ratione humanitatis assumptę, quod autem ille homo esset Deus ostendit subdens. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Et paulo superius dixerat. *Ego ipse sum, Ante me non est formatus Deus, & post me non erit,*

Ego sum Dominus. Psalmo 86. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? Simile dicitur in persona Beatæ Virginis. Eccl. 24. Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. quæ uidentur contraria, nam si fundauit Sion, quomodo natus est in ea? si creauit eam, quomodo natus est ex ea? sed non sunt contraria, nam Messias est Deus, & homo, & natus est in ea, ut homo, sed ut altissimus, & Deus, fundauit, & creauit eam.

Quod
Christus
deberit
nasci ex
Virgine.

Cum Christus in lege promissus ita sit uerus homo, ut etiam sit uerus Deus, Dei filius, non per adoptionem, sed naturalis Patri coeternus, & consubstantialis, non debuit ut homo, hominis semine concipi, sed ex Spiritu Sancto de purissimis Sanguinibus B. Virginis, quod etiam in Lege, & Prophetis multipliciter fuit prædictum. Leuit. 12. Locutus est Dominus ad Moysen dicens, Mulier si suscepto semine peperit masculum immunda erit septem diebus, &c. Exod. 34. Omne quod aperit uulua generis masculini meum erit. quæ uerba cum sint conditionata, exceptionem aliquam patiuntur, quia futura est mulier, quæ manens uirgo concipiat, & parturiat non suscepto semine, & futurus est masculus, qui clausa uulua ex utero matris egredietur; & ut inquit Hieron. aperitio uulua non solum pueri egressum, sed etiã conceptionem significat, & probat ex illo Gen. 30. Et exaudiuit illam Deus, & apernit eius uulua, & concepit; prius dixit aperiuit, & postea concepit. & quod istæ auctoritates ita intelligendæ sint, probatur, quia alias conditio ista esset superflua, & ignoranter, imo etiam parum honeste posita, quod absit cogitare cum sint uerba Dei. Isa. septimo. Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel. quo nomine significatur etiam diuinitas filij Virginis, interpretatur enim nobiscum Deus. Dan. secundo. Abscisus est lapis de monte sine manibus, & factus est mons magnus, & impleuit uniuersam terram. Lapis iste est Messias, de quo psalm. 117. Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Iste lapis CHRISTVS, abscisus est de monte, hoc est de stirpe Regia, & sacerdotali, sine manibus, hoc est sine uirili semine, & factus est mons magnus, & sua doctrina, & religione impleuit uniuersam terram. Ierem. trigesimo primo. Nouum creauit Dominus super terram, femina circumdabit uirum. Si suscepto semine, non est nouum. Ezech. quadragesimo quarto. Et conuertit me ad uiam porte sanctuarii exterioris, quæ respicit ad orientem, & erat clausa, & dixit Dominus ad me, Porta

hæc

Hier. ad
Cetiphō
tem.

hæc clausa erit, & non aperietur, & uir non transibit per eam, quoniam dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. quæ non possunt intelligi de porta templi, nam per illam portam orientalem continue non solum Sacerdotes, sed etiam Leuitæ, & uniuersus populus gradiebatur, sed intelligi debent de Matre Messia, quæ fuit uirgo ante partum, in partu, & post partum. Esaias quinquagesimo tertio, in toto illo capitulo loquitur de Messia, & ab eius conceptione, & natiuitate incipit, & quia dicturus erat mysteria magna, & incomprehensibilia, sic incipit. Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? & ascendet sicut uirgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiensi. Sensus est, Messias ueniet in mundum more uirgulti, de terra Sitiensi pullulantis absque infectione alterius arboris, idest nascetur ex matre non fecundata uirili semine. Esaias quarto. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & fructus terræ sublimis. hoc est Christus fructus terræ, scilicet Beatæ Virginis, sublimis, est germen Domini in magnificentia, quia non est conceptus ex uirili semine. Esaias quadragesimo quinto. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiat terra, & germine saluatorem, & iustitia oriatur simul, ego Dominus creauit eum. Terra est Beata Virgo, quæ Christum concepit, non suscepto semine, sed rorante Spiritu Sancto. Prou. trigesimo. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, Viam aquilæ in cælo, Viam colubri super petram, Viam nauis in medio maris, & uiam uiri in adolescentia, siue in adolescentulam, uirginem uel absconditam uiro, nam hebraice habetur uiam uiri in alma, idest in uirgine; quod Salomon hæc ad litteram ignorauerit, & quartum penitus, uiam scilicet uiri in adolescentia, dici non potest, propter summam eius sapientiam, ut etiam testantur eius scripta, in quibus uiam bonorum, & malorum, & finem describit, sed parabolice est locutus de Christi mysteriis, & Iudæis; Ex Petro Galatino, adducam expositionem illius Rabbini quem ipsi Rabbenu Haccados, idest Magistrum nostrum Sanctum appellant, qui in libro inscripto Reuelator arcanorum, ad secundam Antoni consulis Urbis Romæ petitionem, qui eorundem uerborum explanationem poscebat, sic ait. Magnam rem quasiisti, sed quia dictum est Prou. undecimo. Qui abscondit frumentum, idest doctrinam, uel expositionem legis, maledicetur in populis. Dicam tibi rem admodum sublimem Viam aquilæ in cælis, est Rex Messias, qui post passionem suam ascendit in cælum, quemadmodum dictum est Amos 9.

Y 2 Qui

Qui edificat in Cælo ascensionem suam. *Via nauis in medio maris.* Hic iidem est Rex Messias, cuius vita sicut nauis in medio maris agitabitur, sicut dictum est Ierem. trigesimo. *Quare uidi omnis uiri manus super lumbos suos. Viri, hoc est Dei, qui hæbraice dicitur gheuer idest fortis; uel potens, quoniam omnibus fortitudo, seu potentia est ipse Deus. Et uia colubri super petram. Hic est etiam Rex Messias, qui se fecit, ut coluber, quem Moses super petram posuit, ut duceret filias Israel in terram sanctam. Rabbi autem Iodam dixit, Et uia colubri super petram; hic est Rex Messias, qui transibit per petram, postquam sepultus est, & ab ipsa egredietur, nec uidebitur qua transierit sicut dictum est Exod. trigesimo tertio. Ecce est locus apud me, & stabis super petram, cumq; transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae. Et uia gheuer idest uiri, uel fortis, seu potentis in anima. Hic quoque est Deus amans filias Hierusalem, ut generetur rex Messias ex una earum. Concipiet autem, & pariet, remanebitque uirgo sicut dictum est Ierem. trigesimo primo. Quia creauit Deus nouum super terram, femina circumdabit gheuer, idest uirum fortem, seu potentem hoc est Deum. Hæc omnia ad uerbum Rabbenus Haccados.*

Quod omnia, quæ de Messia prædicta fuerunt à Prophetis, sint adimpleta in

CHRISTO.

Cap.V.

VT Iudæis magis in particulari demonstramus Christum Dominum esse Messiam in lege, & Prophetis promissum; & Gentibus etiam ueritatem Christianæ Religionis, dum inter alia, uident tot, & tâta futura contingentia, & à libero arbitrio dependentia certitudinaliter fuisse prædicta; & prophetias quæ de Messia fuerunt, in Christo adimpletas, & de illo fuisse, luce clarius, illis (non tamen omnibus) in medium allatis ostendemus. Cum autem opera Christi sint notissima, breuitati studentes, satis erit prophetias adducere, nam statim adimpletas fuisse constabit. Et ut à Præcurfore incipiamus. Esaias quadragesimo. *Vox clamantis in deserto parate uiam Domini, rectas facite, &c.* Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam.* Quod Christus ex semine, & stirpe David secundum carnem nasciturus esset, & regnaturus in æternū. habetur 2. Reg. 7.

Suscitabo

Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, &c. Esa. 11. *Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, &c.* 1. Paral. 17. *Suscitabo semen tuum post te, &c. & firmabo solium eius usque in æternum.* Quod debuerit nasci ante destructionem secundi templi, & eo tempore quo natus est, & ex Virgine, superius prædictum fuisse ostendimus. Quod ungenus esset non oleo materiali, ut ceteri Reges, & Pontifices, sed Spiritu Sancto, habetur Esa. 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, &c.* & cap. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, &c.* & cap. 44. *Effundam spiritum meum super semen tuum.* Psal. 44. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quod debuerit tempore Messia esse pax super terram. Esa. 2. *Et conlabunt gladios suos in uomeres, &c.* Miche. 4. *Et concident gladios suos in uomeres, &c.* Psalmo septuagesimo primo. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Quod nasciturus esset in Bethleem. Mich. 5. *Et tu Bethleem effrata paruulus es in milibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* quibus uerbis ostenditur, quod Messias est Deus, & homo, nam ut Dei filius egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Quod in natiuitate Messia debuerit apparere noua stella. Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget uirga de Israel.* Esa. 60. *Letare filia Sion Hierusalem, quia ueniet lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Aggæi. 2. *Adhuc unum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & aridam, & mouebo omnes gentes, & ueniet desideratus cunctis gentibus.* Quod Reges orientales uenturi essent cum muneribus, duce stella ad adorandum Messiam. Esaia 60. *Surge illuminare Hierusalem, &c. & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui, &c.* Omnes de Saba uenient aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Quod pueri innocentes occidendi essent. Hierem. trigesimo primo. *Vox in excelso audita est lamentationes, luctus, & fletus, Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt; quiescat uox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus.* Quod Messias uocandus esset IESVS. Abac. tertio. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Iesus hæbraice, latine dicitur Saluator, & quod Messias dicatur Saluator plena est Scriptura, Quod esset in templo præsentandus. Malach. 3. *Statim ueniet ad templum sanctum suum dominator quem nos queritis, & Angelus testamenti quem uos uultis.* Quod in Aegiptum fugeret. Esa. 19.

Y 3 Ecce

Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & movebuntur simulacra aegypti à facie eius. Quod uocaretur ex Aegypto Ose. 11. Et ex aegypto uocauit filium meum. Quod esset tentatus à diabolo Abac. 3. Egredietur diabolus ante pedes eius. Quod locuturus esset in parabolis Psal. 77. Attendite populus meus legem meam, & c. aperiam in parabolis os meum, & c. Esa. 6. Audite audientes, & nolite intelligere, & c. Quod habitaturus esset in terra sine propria manlione, Hier. 14. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi uiator declinans ad manendum? Quod electurus esset pauperes piscatores ad conuertendas gentes, Hier. 16. Ecce mittam piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos, & c. Esa. 26. Conculcabit eam pes pauperis, gressus egenorum, & c. Quod facturus esset multa miracula. Esa. 35. Deus ipse ueniet, & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum, notandum est quod dicit, Deus ipse ueniet. Esa. 43. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. scilicet mirabilia, & miracula, quæ feci in ueteri testamento. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, utique cognoscetis ea. maiora. scilicet quæ faciam in nouo testamento. Quod zelaturus esset honorem diuinum. ps. 68. Zelus domus tuæ comedit me. Sed transeamus ad sacratissimam Christi passionem. Quod iturus esset in Hierusalem super asina, & eius pullo, magna populi lætitia, & exultatione. Zach. 9. Exulta satis filia Sion, inbila filia Hierusalem, ecce Rex tuus uenit tibi iustus, & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Quod confitendus, & laudandus esset ab infantibus, & lactantibus. Psal. 8. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Quod Iudæorum primates ex odio contra Messiam sua uitia repræhendentem cõspiraturi essent, ut illi mortem darent. Psal. 2. Assiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. ps. 68. multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis, & c. Hier. 18. Venite percutiamus eum lingua & non attendamus ad uniuersos sermones eius, & c. Sap. 2. Circumueniamus iustum quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & c. & filium Dei se nominat, & c. gloriatur patrem se habere Deum, Videamus ergo si sermones illius ueri sunt, & c. morte turpissima condemnemus eum. Quod carnaturus esset cum discipulis suis, & instituturus Eucharistiæ Sacramentum. Esa. 25. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguum, medullatorum, uindemiæ desecatæ. Ponderanda sunt uerba, Conuiuium faciet Dominus exercituum,

tuum, & illud faciet in monte hoc. scilicet Sion, & faciet omnibus populis, id est in eo instituet Eucharistiæ Sacramentum, quod est spirituale conuiuium pro omnibus in eum credentibus, ex omnibus populis, conuiuium pinguium, id est conuiuium excellentissimum habens in se omne spirituale delectamentum, quod per delectabilia temporalia, nobis qui aliter spiritualia intelligere non possumus, significatur. de quo Psal. 77. Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo. Quod tradendus esset ab uno ex suis familiaribus. Psal. 40. Etenim homo pacis meæ in quo speraui, hoc est sperare debui, propter beneficia ei concessa. Qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. Quod uendendus esset triginta argenteis. Zach. 11. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Amos. 2. Vendiderunt pro argento iustum, & pauperem pro calciamenti, propter quod peccatum dicit Deus non conuertam eos. Quod iudas pœnitentia ductus restituerit pretium acceptum. Zach. 11. Et dixit Dominus ad me proijce illud ad statuarium decorum pretium (quod ironice dicitur) quod appreciatus sum ab eis, & tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum domini ad statuarium. Quod pretium quo Christus uenditus fuit conuertendum erat in emptionem agri in peregrinorum sepulturam. Matt. 27. citatur ex Hiero. Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerunt à filijs Israet, & dederunt eos in agrum filii sicut constituit mihi Dominus. Quod aduersus Christum dicenda essent falsa testimonia. Osee. 7. Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. Psal. 26. Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Quod corpus suum daturus esset se percutientibus, & flagellantibus. Esa. 50. Ego autem non contradico, retrorsum non abij, corpus meum dedi percutientibus me. Psal. 37. Ego ad flagella paratus sum. Quod eius facies esset deturpanda sputis, Esa. 50. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Quod in facie, palmarum ictus sustinere debuerit. Then. 3. Dabit percutienti se maxillam. Esa. 50. Dedi genas meas uellentibus. Posui faciem meam, ut petram durissimam. Quod tanquam agnus ducendus esset ad supplicium. & quia uoluit. Esa. 53. Oblatus est, quia ipse uoluit, & non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. Quod dolores sentire, & à patre se derelinqui clamare debuerit. Psal. 21. Quoniam tribulatio proxima est, & non est, qui adiuuet, & c. Deus meus, Deus meus quare dereliquisti me. Quæ uerba dixit Christus in Cruce. Quod esset cum iniquis deputandus. Esa. 53. Et cum sceleratis reputatus est.

Quod debuerit portare crucem. Esa. 9. *Et factus est principatus super humerum eius principatus eius quo dæmones debellauit, est crux. in cuius figuram Abraham ligna ad holocaustum posuit super Isaac filio suo, quem sacrificare debebat. Quod esset crucifigendus. Psal. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Quod esset fele, & aceto potandus. Psal. 60. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Deut. 32. Vna eorum vna fellis, & botrus amarissimus. Quod pro crucifigentibus esset oraturus. Esa. 53. Et pro transgressoribus rogauit. Quod patri commendaturus esset spiritum suum. Psal. 30. In manus tuas Domine commendo spiritum meum, sunt uerba Christi. Quod esset moriturus. Dan. 9. & post hebdomadas 62. occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Esa. 53. Pro eo, quod tradidit animam suam in mortem. Quod esset transfigendus. Zach. 12. Effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & aspicient in me quem confixerunt. Quod non esset ei frangendū os. Exod. 12. Nec os illius confringetis. Quod Christi uestimēta essent diuidenda, & super uestem eius mittenda fors. Psal. 21. Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Quod esset planctu magno plangendus. Zach. duodecimo. Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, &c. Cum autem Prophetæ Christum tot, & tanta passurum esse prædixerint, sicut eius diuinitatem explicauerunt, cum de illius præcipue incarnatione, & natiuitate dixerunt, ita etiam debuerunt, cum de passione agerent aliquid de illius diuinitate dicere, & ostendere, quod non pro suis, sed pro nostris delictis esset occidendus. Esa. 53. Propter scelus populi mei percussi eum. Vere languores nostros ipse tulit, &c. Vulneratus est propter iniquitates nostras, &c. Liuore eius sanati sumus, &c. Generationem eius quis enarrabit? est enim æterna tanquam uerus filius Dei, & ut filius Dei, sanat & iustificat, hoc enim non potest purus homo. Zach. 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me, framea suscitare super pastorem meum, & super uirum coherentem mihi, dicit Dominus exercituum. Framea, id est gladius suscitare super uirum coherentem mihi dicit Deus. coheret Deo, quia natura humana in Christo est hypostatice unita naturæ diuinæ in persona filij. Zach. duodecimo. Effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient in me quem confixerunt. Confixerunt illum, qui effundit spiritum gratiæ.*

gratiæ. hic est Deus. Quod Christi Corpus esset sepeliendum, & sepulchrum eius futurum gloriosum. Esa. undecimo. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Ipsum gentes deprecabuntur, quia Deum esse sæpe dixit. Notandum est etiam illud uerbum. Stat in signum populorum. quod significat Christi Crucifixi imaginem retinendam, & in signum processionaliter omni ueneratione portandam, & adorandam, quod etiam innuitur. Deuteron. 28. Et erit uita tua quasi pendens ante te. Quod esset descendurus ad limbum, ut inde Sanctos Patres educeret. Zach. nono. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Quod esset die tertia resurrecturus à mortuis. Osee sexto. uiuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in conspectu eius. Loquitur in plurali, quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita in CHRISTO omnes uiuificantur, & CHRISTVS resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, & per eius resurrectionem est resurrectio mortuorum. I. Corinth. decimo quinto. Psalmo decimo quinto. Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum uidere corruptionem. Psalmo septuagesimo. Et de abyssis terræ iterum reduxisti me. Quod CHRISTVS esset exaltandus, & à Patre omnem potestatem accepturus. Daniel septimo. Aspiciebam in uisione noctis, & ecce in nubibus cæli quasi filius hominis ueniebat, & usque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem, & honorem, &c. potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Quod esset in cælum gloriose ascensurus. Psalmo sexagesimo septimo. Cantate domino, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei, qui ascendit super occasum dominus nomen illi. Esa. sexagesimo tertio. Quis est iste, qui uenit de edom tintis uestibus de bostra? iste formosus, &c. Ego qui loquor iustitiam, &c. quare ergo rubrum est, &c. Ex quo infert, & concludit Esaias, Miserationum Domini recordabor, laudem Domini. &c. Quod sessurus esset in Cælo ad dexteram Dei Patris. Psalmo centuagesimo nono. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Quod esset missurus Spiritum Sanctum super Apostolos, & credentes Iohel. 2. Post hæc effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri, & filiæ uestre, &c. Esa. quadragesimo quarto. Effundam spiritum meum super semen tuum, id est super hominem Christum, & benedictionem meam super stirpem tuam, id est super

Apostolos aliosq; Christi discipulos, qui pro maiori parte fuerunt iudæi. Quod pauci ex iudæis Christi fidem essent suscepturi, & saluandi. Hier. 3. *Et assumam uos unum de Cinitate, & duos de cognatione, & introducam uos in Sion, & dabo uobis, &c.* Isa. 11. *Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquia conuertentur ex eo.* Quod Rabbi Ionathas sic caldaice traduxit. Si fuerit populus tuus multus sicut arena maris, residuum quod non peccauerit, uel quod peccati poenituerit, conuertetur.

Quod Iudæi fuerint destructi, ex eo, quod non receperunt, sed occiderunt Messiam, uidimus superius. Quod eorum destructio futura esset non per illorum omnium mortem, sed dispersionem, & captiuitatem, ut sic etiam sint testes eorum, quæ dicuntur de Christo, & ab ipsis met uetus testamentum, quod totum est de Christo habeamus, ut etiam ab ipsis inimicis veritas catholica confirmetur, habetur. Psal. 58. *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei, disperge illos in uirtute tua, & depone eos, protektor meus Domine, delictis oris eorum sermonem labiorum ipsorum.* Quod reprobatis iudæis gentiles eorum loco suscepturi essent fidem Messiae. Malach. 1. *Non est mihi uoluntas in uobis dicit Dominus exercituum, & manus nō suscipiam de manu uestra, abortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Esa. 49. *Paruum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas, dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea, usque ad extremum terræ.* Esa. 65. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, inuenerunt qui non quæsierunt me, dixi Ecce ego, ecce ego ad gentes, quæ non inuocabant nomen meum, &c.* Psal. 17. *Constitues me in caput gentium populus quem non cognoui seruiuit mihi.* Quod debuerit cessare Lex Mosaica, & eius loco succedere Lex Messie. Hier. 31. *Ecce dies uenient dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fedus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus uestris, &c. dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Esa. 1. *Quo mihi multitudinem uictimarum uestrarum dicit Dominus? plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem uitulorum, & agnorum, & hyrcorum nolui, &c.* Quæ pertinent ad repudiationem legis ueteris, de noua autem, cap. 2. dicit. *Et erit in nouissimis diebus, &c. & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent; Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias suas, quia de Sion exiit lex, & uerbum Domini de Hierusalem, &c.* Lex Mosaica iam exierat de monte Oreb, qui etiam Synai dicitur, lex autem, quæ debebat exire de

Sion

Sion, est illa Messia, qui ibi prædicauit, & docuit. Idem dicitur Micheæ 4. multæ etiam aliæ sunt auctoritates quas breuitatis causa omittimus. Sicut etiam omittimus multa alia christiana religionis mysteria, quæ omnia, non solum prædicta, sed etiam multipliciter præfigurata fuisse ostendere possemus.

De Ecclesia Gentium, & quod Christi mysteria fuerint prædicta à Sibyllis, & quibus argumentis Christus

se Messiam esse probauerit.

Cap. VI.

CHristi, & Christianæ Religionis mysteria non solum fuerunt à Deo prædicta, & præfigurata in sacris literis, & Spiritu Sancto inspirante à Rabbinis antiquis, Christi aduentum præcedentibus, in Sacrarum Scripturarum expositione explicata. Sed uoluit Deus, quod etiam gentilibus, à sibyllis prædicerentur, nam etiam inter illos, multos habebat fideles, qui licet non essent de Synagoga, ad illius tamen Ecclesiam pertinebant, de quibus dixit Christus. Ioa. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, &c.* nam ante Christi aduentum, Ecclesia fuit diuisa in duas Ecclesias, in Synagogam, quæ erat Ecclesia Iudæorum, & in Ecclesiam gentium, quæ erat congregatio iustorum, & fidelium, qui non erant de femine Iudæorum; quamuis enim Ecclesia gentium magna ex parte perierit, cum ubique idololatria, & ueri Dei ignorantia regnaret, nunquam tamen in totum periit, sed semper fuerunt aliqui, quamuis rari, & pauci, in quibus ueri Dei fides, & præceptorum naturalium obseruatiua uigebat. Istæ duæ Ecclesiæ conueniebant in tribus. Primo, in necessitate fidei, nullus enim unquam potuit obtinere remissionem peccatorum, & gratiam, sine uera fide Dei supernaturali. Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Secundo, in obseruatione præceptorum naturalium, quæ in Decalogo continentur, ad quæ omnes tenebantur. Tertio, in exteriori cultu, & religione, quamuis enim Iudæi haberent cultus distinctos, tamen conueniebant in hoc, quod habebant exteriorem cultum quo deum colerent, ut patet ex Iob, qui fuit gentilis, quintus ab Abraham. In multis autem differebant. Primo in antiquitate, nam Ecclesia gentium fuit à principio mundi, & ab ea fuit electus Abraham in quo per Circumcisionem capit, Iudaismus, & fuit diuisa Ecclesia. hæc diuisio Ezech. 34 dicitur facta in die nubis, & caliginis,

Quod sibyllæ prædixerint mysteria Christi.

nis, quando. f. cepit idololatria, quæ tollit ueri Dei cognitionem, sicut nubes, & caligo, aspectum solis; quo tempore uocatus fuit Abraham, & dispersæ sunt oues Ecclesiæ gentium. Vbi notandum est, quod gentiles idololatræ dicebantur tunc habitare sub nube, & caligine, at tempore aduentus Christi, dicti sunt, & dicuntur habitare in tenebris noctis. Isa. 60. *Surge illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est; quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orientur Dominus.* & cap. 49. *Dedi te, ut possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his, qui uincti sunt exite, & his qui in tenebris reuelamini.* Iudæi autem, & hæretici, qui prius erant tanquam fideles, sub claritate diei, dicuntur esse sub nube, & caligine. Esa. 21. *Dixit custos, Venit mane, & nox, Mane luminis, & gloriæ Domini super Hierusalem, & cum die, uenit nox, nubes. f. & caligo; quia sicut tenebræ noctis licet sint maiores, facile tamen pelluntur, & ueniente sole, statim euanescent, ita gentiles licet minorem Dei cognitionem habeant, tamen adueniente lumine gratiæ, ad prædicationem Euangelii, facile conuertuntur; Et sicut sub nube, & caligine diei, licet sit maius lumen, quam in nocte, tamen propter earum densitatem, resistunt radiis solis, & illius aspectum rollunt, & cum difficultate resoluuntur; ita Iudæi, & Hæretici, licet habeant maiorem Dei, & eorum, quæ sunt fidei cognitionem, sunt tamen magis obstinati, & difficiliter conuertuntur, ut experientia docuit, & nostris etiam temporibus in India docet.* Secunda differentia est, quia Fideles Ecclesiæ Iudæorum, erant congregati in unum, sub uno summo Sacerdote, & faciebant populum peculiarem, & distinctum; at fideles Ecclesiæ gentium non erant congregati in unum locum, sub uno summo Sacerdote, & non faciebant populum distinctum, & propterea. Ezech. 34. *Deus illos uocat oues dispersas, & Esa. 49. hæreditates dissipatas, non penitus extinctas, sed dispersas, & dissipatas, quia semper fuit Ecclesia gentium.* Tertia, quæ sequitur ex secunda, quia Iudæi habuerunt peculiarem legem, & præcepta iudicialia & ceremonialia ad quæ tenebantur; At gentiles licet possent transire ad legem Iudæorum, & circumcidi, non tamen tenebantur, & sine illa poterant saluari, cū sola lege naturali, nec data est illis fidelibus lex particularis cum essent dispersi; quamuis sit etiam alia, & propria ratio legis Iudæorum, quia ex illis nasciturus erat Messias, ad quem disponendi erant. Quarta, quia Iudæi tenebantur habere fidem magis explicitam de Messia, cum essent electi tanquam populus ex quo erat nasciturus, & habe-

haberent legem, & Prophetas. At gentiles solum tenebantur credere in Deum Saluatorem, & diligentium se remuneratorem. Hebr. undecimo, in quo uirtualiter, & implicite includitur fides Messia. Ex quibus sequitur quinta differentia, quæ est in amplitudine, & perfectione religionis, nam in Ecclesia gentium abundauit idololatria, & Dei ignoratio, ut uix fidelis inueniretur postquam ab ea diuisus est populus Iudæorum, at in Synagoga abundauit fides religio, & Dei cultus. psalmo septuagesimo nono. *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum non en eius.* & multis etiam fuit diuinis beneficiis Iudæorum populus super gentes cumulatus. Psalmo. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Ob quam causam, Ecclesia gentium dicebatur deserta, locus inaquosus, in ea dicebantur habitare dracones, & strutiones; & simularatur mulieri sterili, synagoga uero fecundæ; sed post Christi aduentum uices in contrarium sunt commutatæ, ut prædictum est, Isaias quinquagesimo quarto. *Lactare sterilis, quæ non parit, decanta laudem, & hymnum, quæ non pariebas, quia multi filij deserte, magis quam eius, quæ habebat uirum.* dicit. *quæ habebat uirum.* quia nunc non habet, sed penitus cessauit, & perijt Synagoga Iudæorum, & factum est unum ouile, & unus pastor. Et lætari debet sterilis, non solum, quia plures de gentilitate uenerunt ad Ecclesiam, quam de Iudaismo, sed etiam caput, & principatus Ecclesiæ, transit ad illos, qui erant ex gentilitate, quibus iure quodammodo debebatur, quia Ecclesia gentium fuit antiquior à principio mundi, & semper durauit; & illa Iudæorum fuit ab ipsa per separationem noui populi, non ad destruendam Ecclesiam gentium, sed ad illam reedificandam per aduentum Messia, unde in illius reedificatione, & utriusque Ecclesiæ unione, unius Ouilis, & Ecclesiæ principatus, iure quodammodo restituendus erat gentibus. Nec obstat, quod dixit Christus. Matth. decimo quinto. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* nam duplex fuit causa aduentus CHRISTI, prima, & proxima, ut institueret, & conficeret pascua suis ouibus, & sic ratione huius institutionis fuit missus solum ad oues Israel, quæ ob hanc causam fuerunt separatæ, ut ex illis nasceretur. & ita natus est ex Iudæis, illis primo prædicauit, ibi Sacramenta instituit, ibi fuit crucifixus, & se ipsum Patri in sacrificium obtulit; secunda causa consequens ex prima fuit, ut pascua in montibus Israel institutum, suis omnibus ouibus

ouibus distribueret, & præberet, & hac ratione principaliter uenit propter gentes, quibus merito datus fuit Ecclesiæ principatus; montes igitur Israel, & synagoga fuerunt ueluti coquina, in qua parati sunt cibi, qui de coquina translati postea fuerunt in aulam regiam ubi parata fuit mensa, & hæc est Roma, quæ sicut fuit caput gentium, & totius mundi, ita facta est caput totius Ecclesiæ, in cuius figuram, cibi qui præparati fuerunt in Aegypto, transportati fuerunt à Iudæis egredientibus in desertum, quod significat Ecclesiam gentium. & funiculus coccineus, qui significabat Christi passionem, saluat solum existentes in domo gentilis meretricis Raab. Iosua 2. & 6. per quam significabatur Roma, quæ prius erat publica meretrix, & mater omnium errorum, & facta postea est mater ueritatis, & caput Ecclesiæ, extra quam non est salus.

Cum igitur etiam apud Gentiles esset Ecclesia, uoluit Deus illis quoque reuelare Christi mysteria, & quod à Sibyllis, quæ erant gentiles, & ueluti gentium prophetis prædicerentur, & clarius quam à Prophetis, & quod Iudæi in captiuitatem sæpe ducerentur, & per uniuersum mundum dispergerentur, ut ab eis gentiles ueri Dei, & sacrarum literarum cognitionem habere possent, ut dicemus etiam lib. 3. cap. 3. Sibyllarum testimonia adducunt Iustinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Augustinus, & alij, & Clemens lib. 6. Stromatum dicit Apostolum hortatum gentiles ad lectionem Sibyllarum, extant carmina celeberrima Sibyllæ Erithrææ de Christo, quorum capitales literæ faciunt hanc sententiam *Iesus Christus filius Dei Saluator, Crux, & clauduntur hoc disticho.*

Vnus, & æternus Deus, hic seruator, & idem,

Christus pro nobis passus, quem carmina signant.

Quæ carmina uideri possunt apud August. 18. de Ciuit. Dei, cap. 23. & in oratione Constantini Magni ad Sanctorum Cœtum, quæ habetur apud Eusebium post uitam Constantini, in qua oratione dicitur Ciceronem incidisse in ista carmina, & ea latina fecisse. & Cic. lib. 2. de Diuinatione affirmat se uidisse carmina Sibyllæ, quæ initialibus literis certam sententiam redderent S. Aug. d. cap. 23. colligens aliqua Sibyllarum dicta ex Lactantio inquit, Inferit etiam Lactantius operi suo quædam de Christo uaticinia Sibyllæ, quamuis non exprimat cuius, quæ arbitratus sum coniunctim esse ponenda. *In manus iniquas (inquit) infidelium postea ueniet, & dabunt Deo alapos manibus incensis, & impuro ore expuent uenenatos sputos. Dabit uero ad uerbera*

sine

*simpliciter Sanctum dorsum. Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, quod uerbum, uel unde uenit, ut inferis loquatur, & corona spinea coronetur. Ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt, in hospitalitate hanc monstrabunt mensam. Ipsa enim insipiens gens tuum Deum non intellexisti, ludentem mortalium mentibus, sed, & spinis coronasti, & horridum fel miscuisti, Templi uero uelum scindetur, & medio die nox erit tenebrosa nimis, in tribus horis. Et morte morietur tribus diebus somno suscepto. Et tunc ab inferis regressus ad lucem lætam, ueniet; primus resurrectionis principio reuocatus ostenso. Ista Lactantius carptim per interualla disputationis suæ. Hæc Augustus. Sed idem Lactantius hæc etiam sequentia adducit Sibyllarum de Christo testimonia. lib. 4. Diui. institut. cap. 15. Omnia uerbo agens, omnem infirmitatem curans. Mortuorum autem resurrectio erit, & claudorum cursus uelox, furans audiet, cæci uidebunt, & muti loquentur. Ex panibus simul quinque, & piscibus duobus, hominum millia in heremo quinque satiabit, & reliquias tollens duodecim eophinos implebit in spem multorum. Ventos compescet, sternet autem insanum mare pedibus pacis fideq; calcans. Fluctus perambulabit, morbos hominum resoluat, uiuificabit mortuos, arcebit dolores à multis. Ex uiuo autem fonte panis satietas erit uiris. & cap. 17. Sed quando hæc omnia perfecta erunt, quæ dixi, in ipsum omnis soluetur lex. Et alia multa de Christo ab illis apertissime prædicta fuisse constat, quibus testimoniis quidam reuicti solent eo confugere, ut dicant illa non esse carmina sibyllina, sed à nostris ficta, atq; composita, quod profecto (ut illis respondens inquit Lact. eod. cap. 15.) non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legerit, aliosq; ueteres, qui Erythream sibyllam cæterasque commemorant, ex quarum libris ista exempla proferimus, qui auctores obierunt antequam Christus, secundum carnem nasceretur. Verum (subdit) non dubito quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramento sint habita, cum ea nemo intelligeret, denunciabant enim monstruosa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec auctor designabatur, & Erythrea fore ait, ut diceretur insana, & mendax, ait enim. *Dicent insanam uatem, & mendacem, cum autem facta fuerint uniuersa, tum mei meminerint, neque me iam quisquam mendacem dicet, ei magni prophetam.* Hæc (inquit Lactantius) latuerunt multis annis, & non intelligebantur, sed Christi natiuitas, & passio patefecit arcana, sicut etiam uoces Prophetarum, quæ cum per annos mille quingentos, uel eo amplius lætæ fuissent à populo iudæorum, nec tamen intellectæ sunt, nisi postquam Christus, & uerbo, &*

operibus interpretatus est, illum enim prophetę annunciantur, nec ullo modo poterant, quę illi loquebantur intelligi nisi fuissent uniuersa completa, aut diuinitus reuelata, sicut multis reuelata fuerunt, non solum iudęorum, ut patet ex scriptis Rabinorum, sed etiam gentilium, ut patet de Iob, qui fuit gentilis, & de multis aliis, non enim erat illis (ut diximus) denegata salus, sed in lege naturę, & fide Christi uenturi, saltem implicita saluabantur, quam tamen fidem multi explicitam habuerunt, sicut etiam per Sibyllas Christi mysteria Deus manifestę prædixit, & in Cronicis, ut refert S. Tho. 3. sent. d. 25. q. 2. reperitur, quod tempore Constantini Imperatoris repertum est in quodam sepulcro cuiusdam gentilis ante Christi Incarnationę defuncti in quadam lamina, quę erat ad caput eius, hoc sculptum *Christus nascetur ex Virgine Maria, & credo in eum. O Sol iterum me uidebis tempore Constantini.* Qui autem uult scire tempora sibyllarum, quanto in pretio fuerint illarum carmina, quanto studio, quantum diligentia fuerint (diuina prouidentia) quę sita, & conseruata; quam opinionem habuerint Romani paulo ante Christi natiuitatem de Rege nascituro, propter carmina sibyllina; & quomodo eorum occasione multi quęsierint principatū; Et prodigia, quę illo anno quo natus est Christus, diuinitus Romę euenerūt; & quomodo illo anno Senatus prohibuerit genitos educari; legat Cæsarem Baronium in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos; quę maximę faciunt ad conuincendos gentiles; & illos Christiani carminibus sibyllinis, quasi ex propriis illorum prophetis, ita conuincebant, quod ab eis pœna mortis prohibiti fuerunt legere sibyllinos libros, ut ex Iustino Martire, & Flauio Vopisco in eodem Apparatu ostendit Cæsar. Superfluum autem est quærere de sibyllarum uita, & salute, & quomodo cum dederint responsa ad idola pertinentia potuerint prophetare de Christo, nam prophetia est Dei donum gratis datum, & Spiritus Sanctus loquitur, & futura prædicit etiam per malos, & idololatros, ut sic etiam ab ipsis met Dei, & fidei inimicis, fidei testimonium habeamus; & habeant illi à suis qui Dei prophetis, & sacris scripturis non credunt, & nullum desit auxilium, & in Sacra scriptura habemus exemplum de Balaam.

Hoc etiam argumento usus est ipse met Christus, ad probandum se esse Messiam, ut enim reciperetur, & omnes inexcusabiles essent, debuit probare se esse talem, qualē se esse dicebat. Probauit autem duplici præcipue argumento, primo testimo-

nio

nio omnium scripturarum, quę de ipso fuerunt, & in ipso adimpletę uidebantur. Ioa. 5. *Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere, & illę sunt, quę testimonium perhibent de me, & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis.* Et uerbum *Scrutamini* non accipitur hic solum per modum imperandi, & exhortandi, iuxta communem expositionem, sed etiam ut inquit Cyrillus, per modum indicandi; & est sensus, uos iam inquiritis, & legitis scripturas, quę sunt de Messia, non ut in me credatis, sed animo calumniandi, & cum clare inueniatis, quod ille uobis testimonium perhibent de me, nō uultis credere, & uenire ad me, quamuis existimetis uitam æternam in earum obseruatione positam, & per Christum obtinendam esse. Secundum argumentum est sumptum ab operibus. Ioa. 10. *Opera, quę ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Si mihi non uultis credere, operibus credite.* Circa quod, duo uidentur, primo, quod Christi miracula fuerint uera miracula. Secundo quomodo probent illum esse Messiam, & filium Dei uerum, & naturalem. Contra Christi miracula quasi non fuerint uera, tria ab impijs obiecta fuerunt, primum à Paganis, ut refert Orig. libro primo contra Celsum, qui dixerunt fuisse præstigia, & ludificationes sensuum, in sola apparentia, qualia multi circulatorum faciunt, quę uerè non existunt. Sed hæc istorum calumnia manifeste falsa esse conuincitur, id enim non potuit esse apparens, quod experiebantur ipsi erga quos talia fiebant. at leprosus experiebatur se mundatum, & cæcus se uidere; quę etiam apparentia tantum sunt, diu non consistunt; nec omni loco, & tempore, nec omnibus apparent, at mirabiles Christi effectus, diu durabant, omni loco, & tempore, & omnibus apparebant. Alii secundo cum uiderent esse uera, & realia, & non ludificationes; dixerunt, quod uirtute naturali illa faciebat, propter eius temperamentum, & efficaciam, imaginatiuę, aut propter uirtutem cælestis constellationis, quam ipse obseruabat. Sed ista etiam eorum calumnia manifeste conuincitur, tum quia nulla uirtus naturalis est, quę uisum cæco à natiuitate, uel mortuo uitam restituat, quod antiqui Philosophi agnoscentes dixerunt, à priuatione ad habitum non posse dari regressum. tum quia uirtus naturalis per uirtutem effectui proportionatam operatur, at Christus adhibuit aliquid quando contraria effectibus, nam cæco lutum imposuit, ut lumen reciperet, quod est magis aptum ad excæcandum. Virtus etiam naturalis agit in tempore, per medium, & contactum in-

De miraculis Christi, quod fuerint uera.

Z tra

tra spheram suę aētiuitatis; at Christus mirabiles operabatur effectus sine mora, & in locis à se distantibus, solo uerbo. Virtus naturalis est determinata ad certum effectum, at Christus innumera, & multiplicia edebat miracula; cæcos illuminabat surdis reddebat auditum, infirmis omni ægritudinum genere, sanitatem, mortuis uitam, à dæmone obsessis liberationem. Alij tam pagani, quam Iudæi, his rationibus conuicti, nõ propterea credebant, sed Christi miracula magicis artibus tribuebant. Non est dubium, quod dæmones multa possunt facere mirabilia supra humanas uires, & illa omnia dupliciter fiunt, aut in apparentia per sensuum illusionem, aut in rei ueritate, quicquid autem dæmones faciunt, non possunt aliter facere, quam per uirtutes naturales creaturarum, quas illi norunt, & velocissime, & occultissime applicant; quando autem non est aliqua uirtus creaturæ, quæ talem effectum efficere ualeat, cessat omnis dæmonis operatio, & ad sensuum illusiones se conuertit, ut diximus 2. p. lib. 3. c. 8. Certum etiam est, quod si considerentur ea, quæ fecit Christus, secundum solum effectum, dæmon potuit aliqua similia facere, ut sanare à multis infirmitatibus, aquam in uinum conuertere, sicut Magi Pharaonis aquas uerterunt in sanguinem, tamen Christus multa fecit, quæ nulla dæmonis uirtute fieri potuerunt, ut mortuos suscitare, cæco à natiuitate uisum restituere, quæ naturali uirtute effici non possunt; ea etiam, quæ possunt per dæmonem, eo modo quo à Christo facta fuerunt, ab illo nunquam fieri potuerunt, nam Christus propria auctoritate, solo uerbo, sine applicatione alicuius uirtutis naturalis, in instanti, & sine mora illa fecit, quod dæmon non potest; si igitur modum quo facta fuerunt spectemus, nullum Christi miraculum potuit facere dæmon, & consequenter nulla ratione, quæ Christus faciebat, uirtuti dæmonis adscribi poterant. Secundum dubium est supposito, quod Christi miracula fuerint uera, & facta uirtute diuina, quomodo illis efficaciter probauerit se esse Filium Dei, nam illa omnia potuerunt fieri à Deo, per aliquem Prophetam, qui esset purus homo, nam sicut per puros homines mortuos suscitauit, & solem stare per Iosue, & à cursu suo decem lineis per Isaiam retrocedere fecit, & per martires, & alios sanctos, imo aliquando per peccatores multa miracula est operatus, ita etiam potuit per quemuis hominem facere illa omnia miracula, quæ CHRISTVS fecit, imo de suis fidelibus dixit Christus, Io. 14. *Maiora horum facient, Ad quod responderetur, quod CHRISTI*

Quod
Christi
miracula
efficacissime
probaue-
runt.

miracula si secundum se considerentur, quantum ad ipsum effectum, non probabant Christum esse filium Dei, ut concludit argumentum; at si consideremus finem propter quem illa faciebat, sufficientissime probabant illum esse Deum, & Dei filium. pro quo notandum est ex Greg. lib. 27. Mora. cap. 8. quod miracula sunt in defectum probationis, & sunt auxilium rationis humanæ, ut assentiat alicui ueritati, & supplet defectum argumentorum, sunt enim uelut sigillum Dei, ut quod affirmatur, à Deo esse credatur; Non sunt autem facta omnia miracula ad eandem ueritatem confirmandam, sed ad uarias, & diuersas. Exod. 4. Misit Deus Moysem, ut liberaret populum de ægypto, & ad confirmandam hanc ueritatem, accepit à Deo miracula, ut crederetur se missum esse à Deo, similiter & Exod. 7. quando illum misit Deus ad Pharaonem. 3. Reg. 18. Elias, ut Deum Israel uerum Deum ostenderet ignem de Cælo super holocaustum, descendere fecit, sicut etiam fecit descendere super quinquagenarium, & quinquaginta, qui sub eo erant, ad ostendendum, quod esset uir Dei, 4. Reg. 1. hæc, & alia miracula probabant illa esse uera, in quorum confirmationem fiebant, cum fierent à Deo, qui nec mendax est, nec testis mendacis. Christus autem sua faciebat miracula, in confirmationem huius ueritatis, quod ipse esset filius Dei, & Patri consubstantialis, & uerus Deus. *Matt. 9. Ut sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Tibi dico surge tolle lectum tuum. dixerant Iudæi, quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Respondet Iesus, ut sciatis me habere hanc potestatem, quæ est solius Dei, & esse Deum, tibi dico; surge. *Io. 11. Suscitaturus Lazarum, conuersus ad Patrem dixit. Pater gratias tibi ago, &c. propter populum qui circumstat dixi, ut credant, quia tu me misisti.* Et in doctrina sua semper dixit se à Patre missum, & esse filium Dei, & se operibus Patris id confirmare dicebat. Cum ergo miracula tali ratione, & propter hoc facta fuissent, sufficienter probauerunt eum esse filium Dei, quia uirtute diuina facta esse negari non poterat. Vnde dæmon, ut sciret an Christus esset filius Dei, petiit ab eo, ut in huius probationem faceret unum miraculum. *Matt. 4. Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Sed dico ulterius, quod Christi miracula non solum probabant illum esse Messiam, & filium Dei, ut hac ratione facta, sed etiam in se considerata, ut à Prophetis prædicta, nam ut in præcedenti capite diximus, inter alia signa ad cognoscendum Christum, hoc erat unum Isa. 35. *Ecce Deus ueniet, & saluabit*

nos, tunc aperientur oculi cæcorum, &c. Vnde CHRISTVS ad probandum se esse Messiam, respondit discipulis Ioannis, *Cæci vident, claudi ambulant, &c.* Matt. vndecimo; quare opera CHRISTI, & miracula tanquam prædicta à Prophetis, sufficienter probant illum esse Messiam, etiam si non expressisset se ad id probandum illa facere. nam alii fecerunt pauca, quædam, hic unum, ille aliud, at CHRISTVS simul tota, & tanta, & talia fecit, qualia prædicta erant, & nullus alius fecit.

Dubium
cum solu-
tione.

Occurrit autem hoc loco dubium, quia Ioa. 15. Christus duo dicit distincta, primum. *Si non uenissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Alterum est. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* quæ pertinent ad duo præcedentia argumenta, & pugnare uidentur; nam quamuis locutus non fuisset, haberent peccatum, scilicet infidelitatis, per hoc, quod fecit opera, & quamuis non fecisset opera, adhuc haberent peccatum, quia eis locutus fuit, & tamen dicit, quod peccatum non haberent. Respondetur, quod CHRISTVS hac distinctione, ostendit apud quos præcipue ualeant illa duo argumenta, & illis, omnes reddi in excusabiles; totus enim Iudæorum populus distinctus erat in Doctores legis, & ignaros, Doctores, ut Sacerdotibus, Scribis, & Phariseis, sufficere debebat sola CHRISTI prædicatio, cum ea intelligerent prophetias fuisse de CHRISTO, & illa sola eos condemnabat; non sic autem simplices, & ignaros, cum scripturas non intelligerent, sed isti præcipue trahebantur, conuincebantur, & in excusabiles reddebantur signis, & miraculis; quibus etiam Doctores multo magis conuincebantur. Illud etiam est hoc loco notandum, quod quamuis his duobus argumentis efficacissime probauerit CHRISTVS se esse uerum Messiam, & ista dicantur præcipua, quia eis conuincuntur non solum illi, qui CHRISTVM uiderunt, & audierunt, sed etiam alij omnes in perpetuum; nihilominus Iudæi, qui Ioannem nouerunt, & Christum uiderunt, & docentem audierunt tenebantur sub mortali peccato Christum recipere, & illi adhære, antequam uideret illius miracula, & prophetias in illo fuisse adimpletas. Primo propter testimonium Ioannis, cum enim fuerit missus à Deo, ut testimonium perhiberet de lumine. Ioann. primo, proculdubio dignus erat fide, & suffi-

cient-

cientem à Deo accepit auctoritatem, ut ei crederetur; alias uanum esset eius testimonium. Secundo, etiam secluso hoc testimonio, propter solam CHRISTI prædicationem, nam CHRISTVS uerus Deus, & homo, quando docebat, non solum exterius aures, & sensus mouebat, sed dinino motu interiorum corda excitabat, ita ut qui uellent possent credere, nec eis deerat auxilium necessarium, nisi libero suo repugnassent arbitrio; nam ut inquit Hieron. in caput 9. Matthei contra Porphyrium, & Iulianum Apostatam, qui dixerunt stultos fuisse illos, qui statim ad primam uocem sequuti sunt Saluatorem; fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se, uidentes poterat trahere aspectu; si enim in magnete lapide, & succinis, hæc uis esse dicitur, ut annulos, & stipulam, & festucas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se attrahere poterat, quos uolebat. Et hæc est una inter alias causas, ob quam Christus Samaritanos sine miraculis conuertit, & aliquos discipulos, seu credentes in eum, ante miracula, habuit, ut suum sermonem, & prædicationem, ad credendum sufficientem esse ostenderet, & ut constaret, quod defectus non credendi, non ex parte sua, sed ex iudæorum malitia ueniebat, qui non solum doctrinam, sed etiam miracula habebant, & prophetias adimpleri uidebant; Nec excusabantur ex hoc, quod non uidebant adimpleta omnia, quæ à prophetis de Christo prædicta fuerunt, quia aliàs sequeretur, quod debuissent ad credendum expectare Christi mortem, resurrectionem, ascensionem, & missionem Spiritus Sancti, quia etiam hæc erant prædicta de uero Messia, sed habito Ioannis testimonio, & audita Christi prædicatione, ipsum esse Messiam, & simul credere debebant omnia facturum, quæ per Prophetas prædicta erant. quod ex ipso eorum facto comprobatur, nam Lucæ 3. Iudæi crediderunt Ioannem esse Messiam, & tamen non fecerat miracula. & Act. 5. duos paulo ante in Messiam receperant, qui nihil operati fuerant, non igitur poterant à peccato excusari Iudæi non credentes, quia nondum fecerat miracula, aut omnia, quæ erant prædicta.

Z 3 Quod

Quod lex Mosaica cessauerit; quomodo erat limitata, & infirma. Et quod lex Christi omnes obliget, & sit perpetuo duratura.

Cap. VII.

Quod lex Mosaica debuerit cessare, & illi succedere, lex Messia, ex sacris literis ueteris testamēti ostēdimus; Vidēdū nūc est quare cessauerit, cū fuerit data à Deo sub fædere sēpiterno. & huius ratio sumitur ex natura ipsius nō solū, quia erat pro populo duræ cernicis, & ad idololatriā proponens, sed etiā quia omnia Christi mysteria erant multipliciter illius ceremoniis, & sacrificijs præfiguranda. Quatenus disponebat ad Christum, habuit duplicem limitationem. prima, quia non fuit data omnibus populis, sed soli iudaico ex quo debebat nasci Christus. psal. 147. *Annunciāns uerbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel, non fecit taliter omninationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Secunda, quia non obligauit subditos suos ubique, sed solum in terra promissionis, in qua Christus nasci, & docere debebat. Deut. 4. *Scitis quod docuerim uos præcepta, atq; iustitias sicut mandauit mihi Dominus Deus, ut faciatis ea in terra, quam possessuri estis, & c.* & idem paulo inferius eodem cap. & cap. 5. Vnde psal. 136. dicitur. *Illic interrogauerunt nos; qui captiuos duxerunt nos uerba cationum, & qui abduxerunt nos, bymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* ex quibus sequitur alia limitatio tēporis, quia in Christo terminari debuit; quas limitationes non habet lex Christi: & simile sæpe uidemus, nam quando aliquis Rex, ad Regni sui Metropolitim accedit, ut Regni possessionem accipiat, ad eius aduentum præparantur solum uia, & ciuitates per quas est transiturus; & lex quæ ad uiarum præparationem, pertinet solum obligat uicos, castella, & ciuitates per que transiturus est, & eo transacto lex illa spirat, & nullius est roboris, lex autem, quæ fert Rex accepta possessione regni obligat omnes totius regni, & semper durat quousque reuocetur. Ex hoc etiam, quod erat figura, & disponebat ad Christum à quo est salus, sequitur, quod salus non potuit esse à lege, quæ cum suis sacramentis fuit infirma, & sine uirtute, ob quam causam Apostolus multa dicit ad depræssionem legis, quod per legem est cognitio peccati, quod peccatum per legem reuixit, quod lex iram operatur, quod subintrauit, ut abundaret delictum, non qui-

quidem per se, sed occasionaliter, & quatenus non præbebat auxilium, & gratiam, sicut facit lex Euangelica, à qua est etiam maior cognitio peccati, quod etiam ratione maioris ingratitude, & conculcationis sanguinis Christi, magis augetur, & consequenter etiam ira Dei, & pœna nostris peccatis debita est maior. Heb. 10. Sed quia lex Euangelica adiuuat, & gratiam confert, de illa dicenda sunt, quæ ad gratiam pertinent, & non hæc quæ ad imbecillitatem; de lege autem Mosaica, quia non fuit data, ut sanaret, sed ut infirmitatem ostenderet, & hominis superbiam retunderet, loquendum est pro ut peccata, & supplicia respicit, & dicenda ea, quæ sunt infirmitatis. Ex quo etiam manifeste sequitur, quod lex illa debuit cessare, & illi succedere, lex Messia, quæ usq; ad finem mundi est duratura, & non est restricta ad aliquos, sed omnes obligat; quod fuit maxime conueniens, & necessarium, cum nullum aliud nomen sit sub cœlo datum, in quo oporteat nos saluos fieri, & illi omnes, qui in lege naturæ, & scripta saluati sunt, per Christi fidem saltem implicitam salui fuerint.

Sed obiiciunt iudæi, quod lex dicitur data sub fædere sempiterno, ut patet de Circumcisione. Gen. 17. de esu agni pascalis, Exod. 12. de immolatione agni marutini, & uespertini. Exo. 29. de sabbato Exod. 31. de Pasce, & Pentecoste, & aliis festis Leuit. 23. & 29. Ad quod respondetur, quod sempiternū in Sacra scriptura, quando dicitur de creatura significat aliquando usq; ad tempus determinatum, ut patet Deut. c. 15. & Exod. 21. ubi dicitur de seruo hæbreo, assumes subulam, & perforabis aurē eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi usq; in æternum, hoc est, ut exponunt hebrei, usq; ad annum iubilei. & 1. Reg. 2. dicit Deus loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum, Nunc dicit Dominus absit hoc à me, sed quicumq; honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnūt me erūt ignobiles, & c. Et hac ratione circumcisio, & lex Mosaica dicitur data in sempiternum, id est usque ad Messiam. Cum etiam lex Euangelica, sit adimpletio legis Mosaicæ, & Euangelicæ succedat æterna, & beatificatio uisio, ratione significationis potest dici simpliciter æterna.

De Veritate Fidei Catholicæ contra
Hæreticos.

*Quod Nota Ecclesiæ non sint ille quas tradunt Hæretici,
Quod Ecclesia sit Catholica, Antiqua, Sine in-
terruptione, & Vniuersalis.
Cap. VIII.*

Confutandæ sunt nobis modo impiæ illorum sectæ, qui sub Christi, & Euangelii nomine, Christianam Religionem, ut ministri diaboli, destruere conantur, quales sunt hæretici; nolumus autem contra singulas hæreses in particulari agere, esset enim opus immensum, sed generaliter, loqui, & ea adducere, quibus ostendatur, & probetur uera Ecclesia, in qua sola, est Christiana religio, & omnes hæreses, & sathanicæ sectæ, detegantur, confundantur, & destruantur; & hoc quantum satis est, & summa breuitate, præsertim cum multi de hac materia diffuse scripserint. Duo igitur explicabimus. Primum, quibus signis cognoscatur uera Christi Ecclesia, & discernatur à Sathanicis, & malignantium Ecclesijs. Secundum quibus medijs probentur uera Christianæ Religionis dogmata, & damnentur contrarii errores.

Hæretici omnes solo nomine, Christum, Euangelium, & Christi fidem, recipiunt; re autem ipsa negant, & destruere conantur; & propterea (ut inquit Lactantius, lib. 4. c. ult. diuinarum institutionū) singuli quiq; cætus hæreticorū, se potissimum christianos, & suam esse catholicā Ecclesiā putāt. ob quā causam uidentū est quibus notis, & signis cognoscatur, & probetur uera Christi Ecclesia, in qua sola est salus; Et cum singuli cætus hæreticorum suam esse ueram Christi Ecclesiam affirmant, & signis probare conentur; quædam afferunt signa minus sufficientia, quibus in cautos fallant, & omnia illorum signa ad quatuor reducuntur. Primum sincera prædicatio uerbi Dei. Secundū, sincerus sacramentorum usus. Tertiū, constantia siue perseuerantia in confessione fidei. Quartū, obedientia erga ministros uerbi, quatenus ipsum uerbū administrant, quæ signa neq; per se, neq; omnia simul iuncta, sunt sufficientia, Et

Duo tra-
ctanda.

Signa ue-
ræ Eccle-
siæ ab Hæ-
reticis tra-
dita.

probatur primo, quia signa quibus aliquid cognoscendum est, debent esse notiora ea re, cuius sunt signa, ad hoc, ut in illius cognitionem ducant; nam ignotius, uel æque ignotum, non est sufficiens medium: at prædicta non cognoscuntur nisi testimonio ueræ Ecclesiæ, nam si dubium fuerit, de Sacre scripturæ intelligentia, & de Sacramentorum usu, recurrendum est ad testimonium Ecclesiæ, ergo nobis notior est uera Ecclesia. Secundo signa quibus aliquid cognoscitur, debent esse propria, uel si sunt communia, debent esse talia, quod simul iuncta æquiualeant proprio, & illi soli conueniant; at ista omnia signa, & singula per se, & omnia simul iuncta, sunt communia, secundum æstimationem omnium sectarum, & cætuum hæreticorum; omnes enim, & singulæ hæreticorum sectæ, dicunt penes ipsas solas esse sinceram Euangelii prædicationem, sincerum usum sacramentorum, idoneos uerbi Dei ministros, & in omnibus sectis, sunt in suis erroribus obstinati, etiam usq; ad sanguinis effusionem; & hoc quæsito colore, non solum hæretici omnes, discedunt ab Ecclesia, sed etiam inter se diuiduntur, & nouas sectas sibi etiam inuicem contrarias, quotidie confingunt: Tertio, uera, & propria signa, debent esse inseparabilia à uera Ecclesia, at licet in Ecclesia uniuersali semper sit sincera uerbi Dei prædicatio, & Sincerus sacramentorū usus, possunt tamen deficere in aliquibus Ecclesijs particularibus, quæ nihilominus sint ueræ Ecclesiæ, nam Ecclesiæ Corinthiorum, & Galatarum, ad quas scripsit Paulus, erant ueræ Ecclesiæ, cum illis scribens dicat se scribere Ecclesijs Dei, & tamen corinthios arguit, quia docebant non esse futuram resurrectionem, & Galatas, quia dicebant seruandam esse legem Moysi cum Euangelio: reprehenduntur etiam Corinthii ab Apostolo, quod non sincere tractarent Eucharistiæ Sacramentum, & quod gloriarentur se baptizatos ab isto uel illo. Africanæ etiam Ecclesiæ, quæ erant sub Cipriano, & sub illis 86 Episcopis, quorum sententias ipse refert in Epistola ad Quirinum, erant ueræ Ecclesiæ, ut docent Aug. lib. 6. cap. 7. de Baptismo, & Hieronimus contra Luciferianos, & tamen non sincere tractabant Sacramentum Baptismi, docentes rebaptizandos esse baptizatos ab hæreticis; Et ratio est, quia aliud est errare, & esse paratum ad discendum, & cum didiceris ad obediendum; aliud nolle discere, & cum audieris ueritatem nolle acquiescere; in Ecclesia uniuersali, neutrum horum esse potest, at in Ecclesia particulari potest esse illud primum, non tamen

Eorum in
sufficiencia probatur.

se-

secundum, quod solum est in synagogis Sathanæ, & Ecclesiis malignantium.

Multæ assignantur Notæ ueræ Ecclesiæ, à S. Aug. S. Hieron. Driedone, Petro à Soto, Cardinali Hosio, Sanderio, Michaelē Medina, quas omnes colligit Robertus Bellarminus, & undecim ponit, quæ possunt reduci ad illas quatuor Symboli constantinopolitani, Vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam. Sequar autem Bellarminum, virum doctissimum, mihi amicissimum, & quem unice colo, & ea quæ docte, & diffuse dicit, sub breuitate reducam. Prima nota est ipsum nomē Catholicæ Ecclesiæ, & christianorum, nam ut docet S. Aug. lib. contra Epistolam fundamenti, cap. 4. etiam si omnis hæresis uelit uideri, & dici Catholica Ecclesia, tamen cum interrogantur hæretici à paganis, ubi ad catholicam conueniatur, nemo audet suam ostēdere; & Cyrillus Cateches. 18. dicit si ueris in aliquam ciuitatem, non petas ubi sit Ecclesia, uel domus Dei, nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei, & Ecclesiam, sed pete ubi sit catholica Ecclesia; id enim nomen proprium est huius sanctæ Ecclesiæ, matris omnium nostrum; quasi dicat si hoc petas, nullus hæreticus suam Ecclesiam ostendet. Nulla est etiam hæresis, quæ non accipiat nomen ab aliquo homine auctore suo, & nomen christianum ijs relinquat à quibus discedit. Vnde Chris. hom. 3. in acta Apost. illi habent quosdam à quibus appellantur, prout enim hæresiarchæ nomen, ita & secta uocatur; nobis autem nullus uir nomen dedit, sed fides ipsa. & Hieron. contra Luciferianos in fine, sicubi audieris eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquo alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Nec obstat, quod uocamur à Lutheranis Papiſtæ, nam sic nos uocant hæretici, & Papiſta dicitur à Papa, qualis fuit etiam Petrus, & Christus ipse, quod præuidens Chrysoſt. hom. 33. in acta. dicit non esse malum si catholici denominentur ab ijs, qui Ecclesiam gubernant, nomine Christi, modo non denominentur ab aliquo particulari, sicut hæretici faciunt. Et olim catholici uocati sunt homouſiani, id est credentes filium Patri consubstantialē, quod est uerissimum, & ista nomina attestantur ueritati.

Secunda nota est Antiquitas, nam uera Ecclesia sine dubio antiquior est, quam falsa, sicut Deus ante fuit, quam diabolus; Vnde bonum semen prius dicitur seminatū, quam Zizania, Mat. 13. & Ecclesia dicitur catholica, quia omni tempore fuit,

& Apo-

& Apostolica, quia fundata ab Apostolis. Quod autem Ecclesia nostra sit antiquior omnium paganorum conuenticulis, superius ostendimus; quod nostra Ecclesia, cuius caput est Papa, sit illa ipsa, quam Christus instituit, & consequenter uetustior omnibus sectis hæreticorum, Bellarminus hac ratione probat, quia in omni insigni mutatione religionis, semper illa sex demonstrari possunt. Primus, eius auctor. 2. dogma aliquod nouum. 3. tempus quo cepit, 4. locus ubi cepit, 5. quis eam oppugnauerit, 6. exiguus aliquis cætus, unde paulatim aliis accedentibus cæperit. Ista omnia inuenimus in ipsa Christi Ecclesia, quæ tamen ut diximus, non est noua, sed quædam mutatio status Ecclesiæ, quæ cum ipso Mundo cepit. primo enim scimus auctorem fuisse Christum, unde Christiani dicimur. 2. cepisse tunc explicite credi noua dogmata Trinitatis, & Incarnationis. 3. cepisse ista prædicari anno 15. Imperii Tiberii Cæsaris. 4. cepisse in Iudæa. 5. mox impugnatam fuisse hanc religionem, à Scribis, à Phariseis, deinde à Gentilibus summani. 6. scimus initio fuisse multo pauciores Christianos quam essent Iudæi, cum separatio facta est. Sed à Christo, & temporibus Apostolorum, usque ad præsens, nihil horum potest unquam dici de nostra Ecclesia; & illa omnia de singulis hæreticorum sectis facillime demonstrantur, scimus enim Arriano auctorem fuisse Arrium Præbyterum Alexandrinum, Nestorianorum Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, Lutheranorum Martinum Lutherum Monachum. S. Augustini scimus, quæ dogmata inuenierint, nam Arrius docuit Filium Dei esse creaturam, Nestorius in Christo esse duas personas, Lutherus homines iustificari per solam fidem specialem, & negauit Eucharistiam esse sacrificium: Scimus eorum tempora, & loca; scimus à quibus sanctis, & Doctoribus fuerint impugnati, & à quibus Pontificibus, & Conciliis damnati. Scimus eos defecisse à nostra Ecclesia, & omnium hæresum initia fuisse ualde exigua; At nostra Ecclesia nullum alium habuit auctorem nisi Christum, à quo Christiani nominamur omnia illius dogmata à Christo, & ab Apostolis ad nos continua successione deuenierunt; nunquam poterit assignari tempus, aut locus nostræ defectionis ab Ecclesia, aut quod cōtra nostram Ecclesiam fuerint unquam Concilia celebrata, quæ illam tanquam nuper ortam oppugnarent. Et hoc argumento ab antiquitate, semper usi sunt Veteres Patres contra hæreticos, ad ostendendam ueram Ecclesiam. Qui estis uos (inquit Tertulianus lib. de præser.) unde,

De sectis
hæretico-
rum.

Ex Bellarmino.

Quod nomen Catholicæ, & Christianorum Ecclesiæ sit proprium ueræ Ecclesiæ.

De antiquitate Ecclesiæ.

vnde, & quando uenistis? ubi tandiu latuistis? Vestra (inquit Optatus lib. 2. contra Parmenianum) cathedræ originem ostendit, qui nobis uultis sanctam Ecclesiam uendicare, idem Hilarius 6. de Trin. & Hier. in Epist. ad Pamachium; & Aug. contra Epistolam fundamenti, cap. 4. ponit Antiquitatem inter notas Ecclesiæ.

De diuturna
dura-
tione Ec-
clesiæ non
interru-
pta.

Tertia nota est duratio diuturna, nec unquam interrupta; Ecclesia enim dicitur catholica, non solum, quia semper fuit, sed etiam, quia semper erit, iuxta illud Dan. 9. *Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* de hæreticis autem 2. Tim. 3. dicit Apost. *Sed ultra non proficient.* & B. Cyprianus, lib. 4. epist. 2. dicit, Schismaticos semper inter initia feruere, incrementa uero habere non posse, sed statim cum praua sua æmulatione deficere; Idem Aug. explicans illud psal. 57. *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens.* Et ratio differentiæ tangitur. Act. 5. *Si est ex hominibus concilium hoc aut opus, dissoluetur, sin uero ex Deo est, non poteritis dissoluere.* Constat autem nostram Ecclesiam durasse ab initio mundi, usque huc; & si de statu noui testamenti loquamur durasse à Christo huc usque, per M. D. LXXXIX. annos, frustra eam impugnantibus, primo Iudæis, deinde paganis, ultimo hæreticis, nec solum durasse, sed etiam ex persecutionibus creuisse; ut enim aquæ diluuii palatia regum obruebant, & deiiciebant, arcam uero Noe semper magis, ac magis attollebant, ita persecutiones regna temporalia, facile destruunt; Christi regnū, quod est Ecclesia non modo non destruunt, sed illustrant. & Iustinus in Triphone, dicit persecutionem id esse Ecclesiæ, quod est uineis putatio, ut enim uineę putatione ad ubertatem prouocantur, ita quoque Ecclesia persecutionibus crescit. & Tertul. cap. ult. Apologetici, sanguinem martirum uocat semē Christianorum. At sectæ omnes hæreticæ breuī defecerunt, & eodem modo deficient illę, quæ nunc exortæ sunt. Theodoretus in libro de hæreticis fabulis, refert septuaginta sex diuersas hæreses, usque ad sua tempora exortas, & omnes illas paucissimis exceptis, extinctas fuisse testatur. Aug. lib. de hæresibus, numerat 88. hæreses; ex quibus plurimas periisse testatur, in expositione Psal. 57. Bellarminus dicit se numerasse, usque ad tempora Lutheri CC. hæreticorum diuersissimas familias, ex quibus non supersunt nisi quædam reliquię Nestorianorum, & Eutychianorum in Oriente, & Hussitarum in Boemia, reliquæ omnes funditus interierunt, & multæ earum habuerunt multos Episcopos, & multos potentissimos patronos Reges, & Imperatores.

Quod se-
ctæ hereti-
corū cito
deficiant.

ratores, pro quibus etiam fuerunt scripti innumerabiles libri, ut uiderentur nunquam posse deficere, & tamen ita defecerunt, ut iam non supersint, nec ipsi hæretici, nec eorum libri, nec dogmata, nec hæresiarcharum, aut hæresum nomina, aut uestigia, nisi in libris catholicorum. exemplum sit de hæresi Ariana temporibus Athanasii, & Hilarij, quæ totum fere mundum occupauit, & nihilominus euanuit, uelut puluis, quem proicit uentus à facie terræ, Nostris temporibus Lutherani uix nati, arescere cæperunt. nam Lutheri secta cæpit anno 1517. & uix septem annis pacifice durauit, nam anno 1525. surrexit Zuuinglius, & post alios duos annos, surrexerunt Anabaptista, qui maiorem partem Lutheranorum ad se traxerunt, & qui manserunt Lutherani, ita immutarunt Lutheri doctrinam, ut uix ulli iam inueniatur puri Lutherani; sed nec Zuuingliana secta diu stetit, nam anno 1538. surrexit Caluinus, qui ita breui inualuit, ut uix pauca quædam oppida Heluetiorum Zuincliensis reliquerit. Ipsi quoque Caluinistę per Libertinos in Gallia, per Puritanos in Anglia, per Trinitarios in Polonia, & Samosatenos in Transiluania, quotidie magis ad paucitatem rediguntur. Concludamus ergo cum S. Hieron. in ultimo Dialogo aduersus Luciferianos, Breuem (inquit) apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat.

Quarta Nota est multitudo, & uarietas credentium, Ecclesia enim uerè catholica, non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera; quod prædictum fuit, psal. 2. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* & psal. 71. *Dominabitur à mari, usque ad mare, &c.* & Luc. ult. & Act. 1. Dominius dicit, prædicandum esse Euangelium in omnes gentes. Vbi Bellarminus antequam ex hac nota argumentum depromat, quatuor præmittit, Primum ex Aug. de Unitate Ecclesiæ, cap. 6. & Beda in cap. 6. Cant. ut Ecclesia sit catholica, in primis requiri, ut non excludat ulla tempora, loca, uel hominum genera, in quo distinguitur à Synagoga, quę erat Ecclesia particularis, & non catholica, quia erat alligata uni tempori, idest usque ad aduentum Messię, uni loco, idest templo Salomonis, extra quod non poterant sacrificare, & uni familię, idest filiis Iacob. Secundo ex Augustino Epist. 80. ad Hefychium, ut Ecclesia sit catholica non requiri, ut sit in omnibus hominibus totius mundi, sed tantum, ut innotescat omnibus pro-

De multitudine, & uarietate credentium.

nunciis, & in omnibus fructificet, ita ut in omnibus prouinciis sint aliqui de Ecclesia, & donec hoc fiat non ueniet dies Domini. Matt. 24. Tertio ex Driedone lib. 4. cap. 2. par. 2. de Eccles. Dogmat. non requiri, ut hoc fiat simul, ita ut uno tempore in omnibus prouinciis necessario esse oporteat aliquos fideles, satis enim est si fiat successiue. Ex quo sequitur, quod si sola una prouincia retineret ueram fidem, adhuc uerè, & proprie diceretur Ecclesia catholica, dummodo clare ostenderetur eam esse unam, & eandem, cum illa, quæ fuit aliquo tempore, uel diuersis, in toto mundo, quemadmodum nunc quælibet Diocesis, dicitur Catholica, quia est continuata cum aliis, quæ faciunt unam Ecclesiam catholicam. Dices hoc est incidere in errorè Petilianus, & Donatistarum, qui dicebant Ecclesiam quidem fuisse in toto orbe sed postea periisse ex omnibus prouinciis, & in sola Africa remansisse, quos reprehendit Augustinus. Ps. 101. Respondetur Donatistas errasse in duobus, primo, quod uellent Ecclesiam tantum fuisse in Africa, eo tempore quo manifeste in toto orbe adhuc fructificabat: Secundo, quod suam Ecclesiam africanam non poterant continuare cum illa, quæ in toto orbe fuerat, nam in illa semper fuerant boni, & mali, ut probat Augustinus ipsi autem non uolebant nisi bonos. Quarto, etsi Ecclesia non necessario debuit simul esse in omnibus locis tamen hoc tempore debet necessario esse, uel fuisse in maiori parte orbis; nam Ecclesia omnium consensu, etiam hæreticorum, iam senuit, si ergo in sua adolescentia, & iuuentute non creuisset, quomodo nunc in senectute cresceret? Ista nota sic explicata, probatur nostram Ecclesiam maximam partem orbis occupasse, & esse uere Catholicam, nam tempore Apostolorum in toto mundo fructificare cœpit, ut dicit Paul. Coloss. 1. Item tempore Irenæi, erat sparsa per totum orbem, idest per omnes prouincias tunc cognitæ, ut ipse refert lib. 1. cap. 3. Idem postea refert de suo tempore Tertulianus libro contra Iudæos, cap. 3. Idem postea Cyprianus libro de unitate Ecclesie. Idem postea Athanasius libro de humanitate Verbi. Idem postea Chrysost. & Hieron. in cap. 24. Matt. Aug. epist. 78. & 80. Theodoretus in lib. de Legibus. Leo Magnus in ferm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo, S. Prosper in lib. de ingratis. Idem tempore S. Gregorii, ut patet ex ipsius Epistolis ad Episcopos Orientis Africa, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Sicilia. Item ex Beda in ca. 6. Cantic. & ex S. Bernardo, qui disputans coram Rege Siciliæ Rogerio, asserbat Romano Pontifici suo tempore paruisse Orientem,

tem, & Occidentem, & Franciam, Germaniam, Angliam Iberos, & plurimas barbaras nationes, ut in eius uita lib. 2. cap. 7. Et nostro tempore Ecclesia Romana præter Italiam, & Hispaniam, totam, præter Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Boemiam, Hungariam, Græciam, Syriam, Aetiopiam, Aegyptum in quibus multi inueniuntur catholici, in ipso nouo orbe habet Ecclesias sine admixtione hæreticorum, in omnibus quatuor partibus mundi, ad Orientem in Indiis, ad Occidentem in America, ad Septentrionem in Iaponia. ad Meridiem in Brasilia, & exteriori parte Africa. At sectæ hæreticæ nunquam totum Orbem, aut certe dimidiam eius partem occuparunt. Et secta Mahumeti cum hæresibus Nestorii, & Eutychetis, quæ adhuc uigent in Oriente, nunquam ad Occidentem transferunt. Unde Aug. in lib. de pastor. c. 8. docet Ecclesiam esse ubique, & hæresim ubique, sed Ecclesiam esse unam, & eandem ubique, hæreses autem non easdem, sed diuersissimas, quæ se inuicem non nouerunt, & proinde nullam earum esse catholicam, & eas comparat sarmentis præcis, quæ ubi cadunt, cum præciduntur ibi manent, cum interim Ecclesia tanquam uitis uiua, ubiq; palmites suos extendat, Hinc etiam ipse passim utitur hoc argumento, ut contra Epist. fundamenti, cap. 4. & de utilitate credendi, cap. 14. & 17. & alibi.

De Pontificum successione, De Concordia doctrine, De unione membrorum inter se, & cum capite, De Sanctitate, & efficacia doctrine, & De Sanctitate Patrum.

Cap. IX.

Quinta Nota est successio Episcoporum in Romana Ecclesia, ab Apostolis deducta usque ad nos. ob quam causam dicitur Apostolica. Omnes ueteres hac successione, tanquam argumento euidentissimo, uti sunt, ad ueram Ecclesiam ostendendum. Irenæus lib. 3. cap. 3. enumerat Episcopos Romanos à Petro, usque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, & dicit per hanc successione confundi omnes hæreticos. Idem Tertulianus in libro de præscrip. Idem Epiphanius hæres. 27. Idem Optatus Mileuitanus, lib. 2. cōtra Parmenianum, Augustinus etiam in Epist. 165. ad Generosum. Eusebius in Historia, & in Chronico, & Hieronimus ac Prosper, qui chronicum Eusebii continuarunt, diligentissime

De Romanorum Pontifici.

tissime notant successionem Romanorum Episcoporum, ut in de continuatio Ecclesiæ manifesta sit. Aug. libro contra Epist. fundamenti, cap. 4. tenet me (inquit) in Ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum, & libro de Utilitate credendi, cap. 17. Dubitabimus (inquit) nos illius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica Sede, per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatratibus, culmen auctoritatis obtinuit? Si ergo ueteres tanti fecerunt ad ueram Ecclesiam ostendendam, continuationem 12. vel 20. aut 40. Pontificum, quâti nos facere debemus continuationem non interruptam Pontificum C C. & amplius? præsertim cum uideamus defecisse alias Apostolicas Sedes, Antiochenâ, Alexandrinam, & Hierosolymitanam, in quibus, postea quam à Persis, uel Saracenis ea loca Romanis adempta sunt, quod accidit ante annos D C C C C. aut nulla, aut obscurissima fuit successio. Et in ipsa Vrbe Roma toties mutata esse uidemus formam temporalis dominij, nunc Imperatoribus, nunc Regibus Gothorum, nunc Exarchis Græcorum, nunc etiam Consulibus, siue iuste, siue iniuste dominantibus, & ipsam Urbem aliquoties euersam, & Pontifices ab eis dominari cupientibus, & ægreferentibus Romæ esse Apostolicam Sedem, maximas persecutiones perpeffos fuisse, & maxime ab Imperatoribus ethnicorum, qui mox, ut audiebant nouum Pontificem esse creatum, illum aut occidebant, aut in exilium deportabant; & tamen sedem Petri nunquam defecisse uidemus, neque euersam fuisse, sed immobilem semper permansisse. nam licet alia Ecclesiæ particulares possint deficere, non tamen Romana, quæ est caput; Vnde licet Irenæus esset Episcopus Lugdunensis, in Gallia; Optatus, & Augustinus essent Episcopi in Africa, Epiphanius Salamina in Cypro, Eusebius Casarea in Palestina; nullus tamen eorum texere uoluit suæ Ecclesiæ successionem, sed Romanæ tantum Ecclesiæ; satis enim illis uidebatur ostendere continuam successionem in Ecclesia principali, cuius ipsi se membra esse gaudebant.

De eorum dia doctrina
ag' cum an
siqua Ec-
clesia.
 Sexta Nota est Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. Vbi notandum est, quod non loquimur modo de concordia sacrarum scripturarum, ex qua potest summi cum Scoto r. s. q. 2. prologi ex Aug. 18. de Ciuit. Dei, cap. 41. argumentum contra Gentiles; nec de concordia noui, & ueteris testamenti, ex qua superius egimus contra Iudæos, sed cum agamus contra hæreticos,

reticos, de concordia doctrinæ Ecclesiæ nostræ, cum primitiua Ecclesia. Vera enim Ecclesia dicitur Apostolica, teste Tertulliano lib. de præscript. non solum propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem, ut ipse loquitur, quia uidelicet doctrinam retinet, quam Apostoli tradiderunt; certum autem est antiquam Ecclesiam primis quingentis annis, ueram Ecclesiam fuisse, & proinde Apostolicam doctrinam retinuisse; quare laudatur Theodosius Imperator a Sozomeno, lib. 7. hist. cap. 12. quod hac arte compescuerit hæreticos sui temporis; iussit Principes sectarum conuenire, deinde petiit an existimarent antiquos Patres, qui Ecclesiam rexerant, ante dissidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, recte consensisse, & uerè Sanctos, & Apostolicos fuisse; quod cum illi concessissent, subiunxit; examinemus ergo doctrinam uestram, ad illorum scripta; & si cum illis consenserit retineatur, sin minus abiiciatur. Quod autem doctrinam nostræ Ecclesiæ, sit illa eadem doctrina primitiue Ecclesiæ, à temporibus Apostolorum, probari posset discurrendo; sed cum hic modus sit prolixissimus, & haberi possit ex illis, qui contra particulares hæreses scripserunt, est alia uia facilior, ex confessione ipsorum met hæreticorum, & per hoc, quod dogmata modernorum hæreticorum, in Ecclesia antiqua habita fuerunt pro exploratis hæresibus, quam uiam prosequitur Bellarminus, qui uideri poterit.

Septima Nota est unio membrorum inter se, & cum capite, nam Ecclesiam esse unum corpus, unam sponfam; unum ouile, passim scripturæ docent, præcipua autem unitas corporis, consistit in coniunctione membrorum cum capite, & inter se; Caput est Papa, qui est CHRISTI Vicarius, & Beati Petri successor, cui subduntur omnes Ecclesiæ particulares; & illæ omnes, quæ ab isto capite se diuiserunt, statim aruerunt, & Synagogæ sathanæ enaserunt, ut experientia docet. Scimus Asiaticas, & Africanas Ecclesias, quondam ita floruisse, quod numerosissima Concilia celebrarunt, & semper habuerunt multos homines, uel doctrina, uel sanctitate, uel utroque Dei munere clarissimos. ab eo autem tempore quo à Romana Ecclesia schisma fecerunt, nulla celebrarunt Concilia, nullos habuerunt homines fama sanctitatis, aut doctrinæ, & nunc in summa ignorantie uersantur. Quanta autem sit unio omnium Ecclesiarum,

De unione membrorum inter se, & cum capite.

catholicarum per uniuersum orbem inter se, & cum capite, uideri potest ex sacris illarum scriptoribus, nam omnes inter se mirifice consentiunt, licet fuerint homines diuersi, & in locis, temporibus, ac linguis diuersis scripserint; quod pro re plane diuina. S. Aug. obseruat, lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 41. omnia etiam legitimorum Conciliorum, & Pontificum decreta, in omnibus dogmatibus inter se conueniunt, licet sint edita à diuersis hominibus, diuersis locis, temporibus, occasionibus, & contra diuersissimas, & sæpe contrarias hæreses; quod est apertum signum Ecclesiam à Spiritu sancto gubernari, & doceri; & quod ita sit, diligentia hæreticorum ostendit, qui licet omnia diligenter euoluerint, non tamen inuenerunt quicquam alicuius momenti, quod reprehendere possent; quod autem nulla unquam fuerit secta gentilium, vel hæreticorum in qua talis esset consensus, exemplis ostendit Bellarminus.

De Sãcti-
tate doctri-
næ.

Octaua Nota est sanctitas doctrinæ; uera enim Ecclesia non solum est Catholica, Apostolica, una, sed etiam sancta, ut habet Symbolum Constantinopolitanum, nam eius professio est sancta, nihil continens falsum quo ad fidei doctrinam, nihil iniustum quo ad doctrinam morum, psal. 18. Lex Domini appellatur immaculata, testimonium fidele, præceptum Domini lucidum; nulla autem est secta, vel Paganorum, vel Philosophorum, uel Iudæorum, qui post Christi aduentum scripserunt, uel Turcarum, uel Hæreticorum, quæ non contineat aliquos manifestos errores, rationi, & bonis moribus contrarios, exempla uideantur apud Bellarminum.

De effica-
cia doctri-
næ.

Nona Nota est efficacia doctrinæ, sola enim uera Ecclesia habet doctrinam non solum immaculatam, sed etiam conuertentem animas, psal. 18. & sermonem uiuum penetrantem, usque ad diuisionem animæ, ac spiritus, Hæb. 4. Philosophi antiqui licet magnam sapientiam ostentarent, & summa eloquentia leges suas populis suaderent, nunquam tamen, uel uicina opida ad suas leges trahere potuerunt, ut docent Athanasius libro de humanitate Verbi, & Theodoretus lib. de legibus, quia non erant uerba eorum, uerba uiua, sed mortua; non spiritus Dei, sed spiritus hominum. Mahumetani traxerunt quidem multos, sed terrore armorum, non ui, & efficacia doctrinæ, & Mahumetus in Alcorano, cap. 18. & 19. docet bello cogendos esse homines ad fidem; Hæretici nunquam leguntur conuertisse ullos Ethnicos, aut iudæos ad fidem, sed solum peruertisse Christianos, quod Deus permittit, & permittit pro-

pter

pter ingratiudinem illorum, qui semel sunt illuminati, & lumine accepto, bonis operibus non respondent. hoc etiam notauit Tertullianus in lib. de præscript. hæret. hoc (inquit) est illis negocium, non ethnicos conuertendi, sed nostros euer-tendi; nostra suffodiunt, ut sua ædificent, &c. Nec obstat, quod refert Freculphus in Chronico tomo 2. lib. 4. cap. 20. tempore Valentis Imperatoris, totam Gothorum gentem fuisse ab Arianis à paganismo conuersam ad fidem; quia non conuersi, sed miserè decepti fuerunt, Gothi enim cum iam de finibus suis egressi, sub Romani Imperii auspiciis militarent, & multa præclara de Christianis audirent, sua sponte nemine impellente ab Imperatore petierunt Episcopos, à quibus docerentur, parati ad credendum quicquid eis diceretur, Imperator uero, quia Arianus erat, Arianos Episcopos misit. At Ecclesia uerè sancta, & Apostolica in principio sui ortus, breuissimo tempore, per homines externa specie contemptibiles, sine armis, & sine pompa uerborum, per uniuersum mundum diffusa, ubique conuertit homines magnos, paruos, doctos, indoctos, iuuenes, senes, uiros, sæminas; & non ad delicias huius sæculi, sed ad res credendas supra omnem rationem, & ad crucem, & angustias, & uitam perfectissimam, repugnantem carni, & sanguini; & hæc omnia propter nullum præmium in hac uita, sed solum in futura; & hoc ita persuasit, ut maluerint plurimi amittere omnes opes, honores, amicos, affines, & uitam ipsam quam Christi fidem, de quo uide Athanasium, & Theodoretum locis citatis, & Augustinum 22. de Ciuitate Dei, cap. 5. ubi ponit inter præcipua miracula, quod pauci Apostoli sola Verbi diuini efficacia, sine eloquentia, aut armis, totum mundum subegerint. Et postea successiue diuersis temporibus, legimus, Verbi diuini prædicatione multas nationes gentiles fuisse conuersas ad fidem Christi, ut Anglos tempore S. Gregorij. Francones tempore Canonis Papæ, magnam partem Germaniæ tempore Gregorij secundi, & Gregorij tertij, quibus temporibus fuerunt etiam hæretici, qui illos ad suam fidem perducere non potuerunt; nostris etiam temporibus in nouo Orbe multa millia gentilium Catholici conuerterunt, & singulis annis etiam uidemus, Romæ præcipue, aliquos iudæorum conuerti, & quod multi Turcæ à Catholicis conuertuntur; Lutherani uero uix unum, aut alterum conuerterunt, cum tamen comparent se cum Apostolis, & Euangelistis, & habeant in Germania plurimos Iudæos, & in Po-

Aa a lonia,

lonia, & Hungaria vicinissimos Turcas. Rectissime igitur S. Aug. comparat hæreticos cum perdicibus, quæ congregant pullos quos non pepererunt, cum è contrario Ecclesia sit columba fecundissima, quæ quotidie parit novos pullos. Ad hæc Notam possumus reducere decimam Scoti, quia multi diligentissime inquirentes salutem, ad nostram Ecclesiam conuersi sunt, & quanto feruentiores fuerunt in inquirendo, tanto in ea amplius confirmati sunt, subitoque, in ea pœnitentes de malitia ad bonam uitam mutati sunt, tormenta quoque pro ea plures in magna exultatione spiritus perpessi sunt; quæ non uidentur probabilia nisi Deus hanc Ecclesiam Sacræ scripturæ innitentem, irrefragabiliter approbaret, & ad salutem ordinaret, non enim deest toto corde salutem quærentibus.

De sanctitate Patrum.

Decima Nota est, Sanctitas uitæ auctorum, siue primorum Patrum nostræ religionis. Ecclesia enim uera, non solum habet doctrinam sanctam, & efficacem, sed etiam Doctores sanctos. Si quis ergo consideret Magistros Ecclesiæ Catholicæ, primum Patriarchas, & Prophetas, deinde Apostolos, tum Doctores, denique institutores ordinum religiosorum, inueniet omnes tam sanctos, castos, pios, sobrios fuisse, ut aduersarii nihil habeant, quod reprehendant, nisi nimiam sanctitatem, ut inquit Aug. lib. de Moribus Ecclesiæ, c. 31. de Monachis sui temporis, & lib. 2. in Iulianum de Catholicis Doctoribus. At Ethnicorum Doctores fuerunt poetæ leues, uel Philosophi superbi, utriusque autem impurissimi, Mahumeto autem nihil incōtinentius fingi potest. Omnibus autem hæresiarchis est unum uitium cōmune, superbia, ut inquit Aug. lib. de Pastoribus, c. 8. & nulla inuenitur hæresis per se, & ex intentione inuenta, sed per accidens ex aliqua mala occasione, ut solent generari monstra. De Theobute primo omnium hæreticorū, inquit Egesippus apud Eusebiū, lib. 4. Hist. c. 22. quod cepit omnia perturbare, & corrūpere, quia meruit repulsam Episcopatus. eadem causa mouit postea simonem Magum ad nouā hæresim excogitandā; Tertull. lib. cōtra Valentinianos, de Valētino; Epiphanius Hæres. 42. de Marcione, Theod. li. 3. de hæret. fabul. de Mōtano. Eusebius ex Cornelio lib. 2. Hist. c. 33. de Nouatiano. Theod. lib. 4. de hæret. fab. & Epiph. hæresi 75. de Ario. Thomas Vualdensis, lib. 2. doct. fid. cap. 60. de Iohanne Vuiclefo, dicunt nouas hæreses confinxisse; quia non potuerunt esse Episcopi, ut sic saltem primatum tenerent. eodē modo sectas nostri tēporis exortas esse ex ambitione, superbia, inuidia, odio, ipsimet aduersarii negare non possunt, nā primum

ini-

initium omnium hæresum huius temporis, constat fuisse inuidiā, & ambitionem Lutheri, egreserentis munus promulgandarū indulgentiarum à sui ordinis Monachis, ad Monachos ordinis prædicatorum translaturum fuisse, unde in disputatione, quæ Lipsiæ habita est, inter Lutherum, & Echiū, exclamauit Lutherus, Hæc causa, nec propter Deum cępta est, nec propter Deū finietur. Non negamus in populo Christiano esse quamplurimos malos, sed dicimus inter hæreticos nullū esse, nec unquā fuisse, nec posse esse bonū; & Magistros nostros uiros sãtos, perfectos, & summa auctoritatis fuisse; Ex qua nota sic arguitur, cū Scoto, aut libri scripturæ, & sacrorū Doctorū sunt illorū auctoriū quorū esse dicuntur, aut non; si sunt illorū, cum fuerint uiri sancti, & damnēt omne mendaciū, præcipue in fide, & moribus, non est uerisimile eos fuisse mentitos; si dicas eos nō fuisse mentitos, sed deceptos, uel propter lucrū mentiri uoluisse. Primū, dici nō potest, quia illi, qui sacrā scripturam scripserūt, quæ uiderunt, uel quæ eis diuinitus reuelata fuerunt tradiderunt, nō dubitando, sed firmiter asserendo; firmiter autē asserere id de quo quis nō est certus, est mendaciū, uel non lōge à mendacio. Doctores etiam sacri, quæ dicunt præobant ex sacris literis, & Ecclesiæ auctoritate, Secūdum, q. si fuerint mentiti, & propter lucrum decipere uoluerint, dici etiam non potest, quia fuerunt uiri sancti, & pro illis ad quæ uoluerunt homines inducere ad credendum, maximas tribulationes sustinuerunt, & multi etiā sanguinem effuderūt. Quod autē libri non sunt illorū, sed aliorum, dici non potest, quia sic negabitur quicumque liber esse illius auctoris cuius dicitur esse, quare enim soli isti ascripti sūt illis auctoribus quorum non erant. Præterea, aut illi, qui eis istos libros tribuerunt fuerunt Christiani, aut non; si non, non uidetur uerisimile, quod uoluerint libros conscribere, & aliis ascribere, & ex hoc magnificare sectā cuius cōtrariū tenuerūt; si fuerunt Christiani, quomodo tales libros eis ascripserūt, cū lex eorum damnet mendaciū? quomodo etiā fuissent isti libri ita autentici, diuulgati, & ab omnibus, ut illorū recepti? Accedit, quod ipsimet hæretici, & fidei hostes, illorū esse fatentur, & frustra quærunt illos impugnare, & quid in eis reprehendant. Et confirmatur ex recipientium diligentia, quod est aliud argumentum Scoti, Aut nulli credis de contingenti, quod non uidisti, & ita non credes mundum fuisse ante te, nec locum esse in mūdo, ubi non fueris, nec istum esse patrem tuum, & illā esse matrem tuam. Si autem uis credere alicui de contingenti, q.

Argumentū Scoti.

De diligentia recipientium.

tibi non est, nec fuit evidens, maxime credendum est communitati, siue illis, quæ tota communitas approbat; & maxime, quæ communitas famosa, & honesta cum maxima diligentia approbata retinet, talis est canon diuinæ scripturæ; tanta enim apud iudæos sollicitudo fuit, de libris habendis in canone, & tanta apud Christianos de libris recipiendis, tanquam authenticis, quod de nulla alia scriptura habenda pro authentica sollicitudo fuit inuenta; præcipue cum tam solemnes communitates, de scripturis istis curauerint, tanquam de continentibus necessaria ad salutem; Et ob eandem causam maxima etiam fuit in Ecclesia sollicitudo in examinandis, & recipiendis libris sacrorum Doctorum.

De Miraculis, Prophetiis, Aduersariorum confessione, eorum infelici exitu, & de temporali felicitate illorum, qui Ecclesiam defenderunt. Cap. X.

De Miraculis.

VNdecima Nota est claritas miraculorum, nam miracula non possunt fieri nisi Dei uirtute, dicitur enim miraculum, quod superat uires omnium creaturarum, & ideo omnibus creaturis est mirabile; & quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur, unde in scripturis miracula dicuntur testimonia Dei; cum ergo Deus non possit esse testis mendacii, necessarium est illam fidem esse uerissimam, quæ ueris miraculis est confirmata, huiusmodi est solæ fides Romanæ Ecclesiæ, quæ non solum innumeris miraculis fuit fundata, & à principio confirmata; sed semper in omni seculo, in ea facta sunt, & fiunt multa miracula, ad fidei confirmationem; ad excitandam fidelium deuotionem, ad illustrandam sanctorum uitam, & eorum gloriam demonstrandam, Vnde Richard. primo de Trinit. c. 2. inquit, Domine si est error à te decepti sumus, nam tantis signis confirmata sunt, quæ non nisi per te fieri possunt. Si dicatur ista miracula non fuisse facta, arguit Scotus ex Aug. 22. de Ciuit. Dei, c. 5. hoc nobis est maximum, & sufficiens miraculum, quod iam totus terrarum orbis, sine ullis miraculis, ad simplicem prædicationem paucorum hominum, ignobilium, pauperum, infirmorum, & imperitorum, receperit fidem continentem mysteria humano iudicio impossibilia, & incredibilia, quæ iudæis sunt scandalum, & gentibus stultitia, & quæ etiam carni, & sanguini repugnat, & est contraria; & quod hanc fidem ad simplicem eorum prædicationem, non solum

Si factane genurmagus ponitur miraculum.

rece-

repperint idiotæ, & pauperes, sed docti etiam, & sapientes, diuites, Reges, & Imperatores; quod est evidens argumentum Deum se ipso hominum mentes illustrando illam persuasisse. Quod autem ista miracula fuerint facta, negari non potest, tum quia sunt tot testibus, & scriptis grauissimorum hominum confirmata, ut si ista negentur, nullis omnino literis sit credendum, quod est summæ temeritatis, & insaniam, ut inquit Aug. 10. de Ciuit. Dei cap. 18. tum quia multa fuerunt celeberrima, & statim ferè toti mundo nota. tanquam facta in persona, seu ad præsentiam Imperatoris, qualia fuerunt facta à Syluestro coram Constantino, tam in curatione lepræ eius, quam in eius disputatione contra iudæos. Tum etiam, quia in omni seculo, & nostris etiam temporibus sæpe audiuntur, & etiam uidentur miracula facta à Deo per seruos suos in hac uita existentes, & per sanctos in cælo regnantes, ad illorum inuocationem, uel Sacrarum eorum Imaginum, & Reliquiarum adorationem; & in aliquibus locis sunt miracula perpetua, quæ singulis diebus cerni possunt, ut Neapoli ubi est caput Sancti Ianuarij, & eius sanguis in ampulla uirtrea, qui in conspectu illius capitis positus, uelut recens liquefcere, & ebullire cernitur. Ex qua Nota manifeste etiam colligitur apud hæreticos, aut alias sectas non esse ueram fidem, cum apud illos non fuerint, nec esse possint uera miracula, Deus enim non potest esse testis falsitatis; & tamen si essent à Deo missi, & eorum secta esset Dei Ecclesia, miraculis fuisset probandum, quia ad nouam fidem, uel extraordinariam missionem persuadendam, sunt necessaria miracula. Vnde Exod. 4. cum Moses mitteretur à Deo ad populum, ut ei crederent dedit illi potestatem faciendi miracula. Et Christus Matt. 10. Euntes prædicate dicentes. Appropinquabit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos suscite, &c. Ioa. 15. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Marc. vii. Illi uero profecti prædicauerunt ubique Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis. Heb. 2. contestante Deo signis, & uirtutibus, & S. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei, ca. 8. dicit miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet, quod autem nunquam potuerint eorum nouam doctrinam, & fidem confirmare miraculis, satis manifestum est; & de paganis quidem leguntur solum quædam leuia, quæ dæmonis arte fiebant, qualia etiam erunt illa, quæ fient ab Antichristo. quod apud Iudæos post aduentum Christi, non sint amplius miracula, & quod cesauerit illud de piscina, quod adhuc Christo prædicante dura-

Quod negari non possint.

Neapoli Miraculum perpetuum de sanguine S. Ianuarij. Quod hæretici nunquam potuerint confirmare suos errores aliquo miraculo.

bat, notum est. de falsis prophetis, & hæreticis, non minus est certum eos, & sæpe miracula facere conatos, & semper sua spe esse frustratos. Nota est historia Prophetarum Baal, qui ignem de cælo deducere uoluerunt, per inuocationem Baal, nec tamen potuerunt; quod uerus Propheta Helias per inuocationem ueri Dei, nullo negotio effecit, lib. 3. Reg. cap. 18. Pari ratione delusum Simeonem Magum scribit Egesippus, lib. 3. de excidio Hieros. cap. 2. nam, & mortuum excitare, & per aerem uolare tentauit, sed nihil ei successit. Manichæum frustra conatum filio Regis ægrotanti sanitatem afferre, scribit Epiphanius, hæresi 66. Cyrolam Patriarcham Arianorum plane excessisse miserum quendam, qui se cæcum finxerat, & ab eo præsidium implorabat, scribit Gregorius Turonicus, lib. 2. hist. Francorum, cap. 3. Eunomianum quendam à S. Machario uictum, in contentione de suscitatione hominis mortui, scribit Ioan. Cassia. colla. 15. cap. 3. Polychronium Monothelitam frustra fudasse in excitatione cuiusdam defuncti, testantur publicata Acta Sextæ Synodi, act. 15. De Timotheo Aeluro Euthiciniano, scribit Theodorus lector, lib. 1. Colletaneorum, per multas noctes eum habitu nigro indutum, per cellos Monachorum discurrisse, dicentem se esse Angelum à Deo missum, ut illis significaret ne Proterio (qui erat uir Sanctus, & Catholicus Episcopus Alexandriæ) communicarent, sed eius loco Timotheum Aelurum Episcopum designarét. De quodam Iconomachio scribit Paulus Diac. lib. ult. rerum Romanorum, eum in quodam se pulchro inclusum, inde Cōstantinum Iconomachum laudibus in cælum uehere cepisse, ut sic quasi mortuorum testimonio hæresis confirmaretur. Idem omnino constat de hæreticis nostri seculi, Lutherus bis tentauit miraculum facere; uoluit de quadam discipula sua diabolum eiicere, sed periculum fuit, ne ipse à dæmone occideretur, ut refert Staphilius in absoluta responsione, qui interfuit; Nesium in Albi misere submersum, spe miraculi uanis immurmurationibus frustra in uitam reuocare tētauit, ut refert Ioa. Cochlaus. Sed quamuis uiuenti miracula non successerint, idem tamen post mortem in signi miraculo claruit nam eius cadauer cum deferretur in media hyeme, quo tēpore corpora mortua multos dies cōseruari solent, & esset inclusum in arca stanæa optime clausa, ut Vuitembergæ sepeliretur, tamen tetrum odorem spirare cepit, ut nemo eum ferre potuerit, & coacti fuerunt corpus relinquere in itinere. Felicianus, Lindanus, & Alanus, referunt de quodam Ministro, qui in finibus Poloniæ,

Jonæ, & Hungariæ anno 1558. uoluit excitare hominum nomine Matthæum quem ipse per suaserat, ut se mortuum fingeret, & reuera mortuum effecit. Simile ab iisdem, & fufius à Hiero. Bolfeco narratur de Caluino, qui Geneuæ suafit cuidam pauperi, cuius nomen erat Burlens, ut se infirmum simularer, & postea mortuum, quem cum in magna populi frequentia suscitare ueller, uerè mortuum inuenit, quod ubi uidisset vxor, ululatus serio, & ex animo edere cepit, & in Caluinum inuecta, impostorem, sicarium, latronem, qui maritum interemisset eum appellans, ex ordine rem quo modo erat, gesta clara altaq; uoce exposuit. Sunt quidem sæpe facta multa miracula, circa illos, & contra illos, nunquam tamen pro illis, de Donatillis scribit Optatus lib. 2. cōtra Parmenianum, quod dum ampullam Chriſtinatis proiecerunt in saxa, angelica manu sustentata frangi non potuit, & dum Eucharistiam canibus dare uoluerunt, ipsi ab iisdem canibus discerpti sunt. Et in prædictis exemplis, patet illos miraculose fuisse excecatos, & mortuos, qui se cæcos, & mortuos simularunt, ut ab hæreticis se illuminatos, & resuscitados dicerent.

Duodecima Nota est Lumen propheticum, nam præter prophetas ueteris testamenti, in Ecclesia fere semper fuerunt multi, qui habuerunt donum prophetiæ, ut Agabus de quo Act. 11. Greg. Thaumaturgus, de quo Basil. lib. de Spiritu Sancto, cap. 29. Antonius, de quo Athanasius in eius uita, Abbas Ioannes, de quo August. lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 26. Benedictus de quo Greg. lib. 2. Dialog. cap. 15. Bernardus. Franciscus, & nullus ferè sanctus colitur in Ecclesia, qui simul cum miraculis, non claruerit etiã hoc dono. & quod in Ecclesia futurum esset donum prophetiæ prædixit Ioel 2. ut exposuit Petrus. Act. 2. ex quo sumitur efficacissimum signum, & argumentum, cum certum sit neminem cognoscere futura contingetia excepto deo. Isa. 41. *Annunciate, quæ uentura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis.* & è contra Deut. 18. ponitur tanquam signum falsæ doctrinæ, si Propheta prædixerit aliquid, & non euenierit. Constat autem, quod apud Ethnicos, & hæreticos nulla fuerunt uaticinia, sed multa falsa, nisi forte fierent in testimonium nostræ fidei, ut fuerunt uaticinia Sibyllarum, & Balaam, Et si enim ethnici habuerint plurima oracula Apollinis, tamen illa, uel per ambages respondebant, quando scilicet Apollo nesciebat reuera quid esset futurum, uel ea prædicebant, quæ dæmones ipsi facturi erant, uel ea, quæ cepta erant fieri, ignoratibus nunciabant tanquã futura, uel ea prædicebant, quæ naturales habet causas, nobis

deprophetiis.

De oraculis Gentilium

igno-

De hæreticis.

ignotus; de quo uide S. Aug. lib. de diuinatione Dæmonum, & Theodoretum lib. de Oraculis. Hæretici quoque quotiescunque aliqui prædicere uoluerunt, decepti sunt; id patet de falsis Prophetis in ueteri testamento lib. 3. Reg. cap. 22. Tempore autem noui testamenti fuit olim Montanus, qui Propheta uideri uoluit, cum duabus Prophetissis Prisca, & Maximilla, & prædixerunt bella, & nescio quæ alia tunc futura, sed plane contrarium accidit, ut notat Eusebius lib. 5. hist. cap. 16. & 18. Nostri etiam temporibus Lutherus prædixit fore, ut si ipse adhuc per duos annos suam doctrinam prædicaret, euanescerent Papa, Cardinales, Episcopi, Monachi, Moniales, turres, campanæ Missæ, &c. & tamen prædicauit postea non duos, sed fere 22. annos. Lutheranorum Prophetæ anno 1533. constanter asseruerunt illo anno futurum diem ultimum iudicii, & ipsum etiam diem designarunt, ut multi, nec arare, nec serere uoluerint. ut refert Cochleus.

De confessione aduersarium.

Decima tertia Nota, est confessio aduersariorum, tãta enim, est uis ueritatis, ut etiam aduersarius cogat interdum sibi testimonium dare, iuxta illud Deut. 32. *Non enim est Deus noster, ut Dii eorum, & inimici nostri sunt iudices.* Iam nusquam inuenitur Catholicos laudasse, aut approbasse doctrinam, aut uitam ullorum ethicorum, aut hæreticorum; cum enim sciamus unam tantum esse ueram fidem, & sine ea nullam esse ueram iustitiam, cõstanter asserimus omnes errare, qui doctrinam nostram non sequuntur. at non sic de nobis loquuntur Pagani, Iudæi, Turcæ, hæretici, De paganis multa sunt testimonia, Plinius II. in epistola ad Traianum lib. 10. Epistolarum, scribit Christianos omnes uitia detestari, sanctissimeq; uiuere, & hoc solum in eis posse repræhendi, quod minus facile pro Deo suam uitam profundat quodq; horis antelucanis surgant ad canendas laudes Christo. Tertullianus in Apologet. c. 1. & 2. testatur Paganos noluisse discuti causam Christianorum, sed dånari sine discussione, quia sciebant se in eis nihil mali reperituros, & cap. 5. & 6. affirmat eos Imperatores, qui sunt habiti optimi, fauisse Christianis, ut M. Aurelium, Vespasianum, Antonium Pium, eos autem persecutiones monisse, qui sunt habiti pessimi, etiam ab ipsis Gentilibus, ut Neronem, & Domitianum. Extat epistola Marci Aurelij Imperatoris, in qua testatur in Germania cū per dies quinque siti laboraret exercitus, & essent Romani circumdati ab incredibili multitudine Germanorum, ut esset impossibile humanis uiribus euadere, tunc se ad Deos patrios confugisse, sed fru-

stra,

stra, deinde aliquot milites Christianos, qui erant in exercitu rogasse, ut etiam ipsi Deum suum orarent, & uix illos ingenua ad orationem procubuisse, cum statim de Cælo in Romanos, quidam iucundissimus imber descendit, in hostes uero ignis, & grando per mixta. cuius Epistola meminit Tertul. in Apolog. ca. 5. & in lib. ad Scapulum, & nuper impressa est cum operibus Iustini. S. Antonium, S. Hilarium, & S. Martinum fuisse honori, & reuerentiæ Paganis, scribunt Athanasius, Hieronimus, & Sulpitius in eorum uitis. De Iudæis habemus testimonium Ioseph lib. 18. Antiq. c. 6. ubi affirmat Christum plusquam hominẽ fuisse, & uerẽ Messiam esse. Philo scripsit librum insignem de laudibus eorum Christianorum, qui sub Marco Euangelista in Aegypto niuebant, Mahumetus in Alcorano docet Christianos saluari, & Christum esse maximum Prophetarum. Sultanus Aegypti licet Mahumeranus habuit in summo honore, & reuerentia S. Franciscum quem sciebat esse Christianum. Idem potest dici de hæreticis, nam Regem Totilam Arianum B. Benedictũ Catholicum, ut uerum seruum Dei, & Prophetam summo honore affecisse, scribit, S. Greg. lib. 2. Dial. c. 15. & Bellarminus refert etiam testimonia ipsius met Lutheri, & Caluini.

Decima quarta Nota est Infelix exitus, & finis eorum, qui Ecclesiam oppugnant. licet enim Deus suos puniat, & flagellet; tamen uirgam tandem proiicit in ignem. Deut. 32. *Laudate gentes populum eius, quia sãguinem seruorum suorum ulciscetur & undictam retribuet in hostes eorum.* De misero fine Pharaonis primi persecutoris Ecclesiæ legimus, Exod. 14. de Dathan, & Abiron primis schismaticis, Num. 16. de Iezabel. 4. Reg. 9. de Antiocho 2. Machab. 9. de Pilato, quod se ipsum interfecerit scribit Eusebius lib. 2. hist. cap. 7. & cap. ultimo breuiter refert cladem Iudæorum, quam late profectitur Iosephus in libro de bello Iudaico. de Herode Ascanolita, qui obiit scatenens uermibus cum prius occidisset uxorem, & filios, & seipsũ occidere uoluisset, scribit Iosephus, lib. 17. Antiquit. ca. 9. & lib. 18. cap. 14. de Herode Tetrarcha, quod amisso regno in exilium relegatus perpetuum, miserimẽ uixerit. & de filia Herodis, uide Nicephorũ lib. 1. ca. 20. de Herode Agrippa habetur Act. 12. Neronem, Domitianum, & cæteros Imperatores, qui Christianos persecuti sunt, omnes uel a se ipsis, uel ab aliis crudeliter necatos, uel certe miserẽ periisse, constat ex chronicis, & historiis omnibus; nam Traianus horrenda paralyphi, & simul hydrophi extinctus est, Diocletianus imperium deposuit præ dolore quod

De infelici exitu illorum qui Ecclesiam impugnant.

quod Christianos delere non posset; Galerius, Maximianus, & Maximinus tam horrendis doloribus correpti sunt, ut etiam Medici Ethnici diceret diuinam esse plagam. Et ut de Hæresiar chis, & Apostatis aliqua etiam proferamus exempla Simon Magus cum uolare uellet, orationibus B. Petri deiectus, tibias fregit, & paulo post cum summa ignominia obiit. Egesippus lib. 3. c. 2. & Arnobius lib. 2. contra Gentes Manichæus uiuus excoriatus est à Rege perfaru, non ob fidem, sed quia filium Regis curaturus occidit. Epiph. hæresi 66. Montanus, Theodatus, & Prophetisse eorum laqueis se ipsos necauerunt Euseb. lib. 5. hist. c. 16. Donatistæ quidam, cum canibus Eucharistiam prolicerent ab iisdem canibus lacerati sunt: Optatus lib. 2. contra Parmenianum. Arius cum in Ecclesiam intrare uellet, subito motu alui, ad latrinas publicas accessit, & simul cum excrementis intestina omnia, & animam effudit. Athanasius orat. prima, contra Arianos, & Rufinus lib. 10. hist. c. 13. Iulianus Apostata diuinitus occisus, communi etiam caruit sepultura, nam à terra sponte aperta, aborsum scribit Greg. Nazianzenus oratione in Athanasium. Valens Arianus, qui Iuliano in persecutione Christianorum successit, niuus à Gothis, etiam Arianis crematus est: Ruf. lib. 11. hist. c. 13. Nestorius lingua impia à uermibus consumpta, miserime interiiit. Euagrius lib. 1. Hist. 7. Hunericus Rex Vuandalorum Arianus, & persequitur Ecclesie, uermibus toto corpore scateus consumptus est: Victor lib. 3. Anastasius Imperator fautor hæreticorum Eutychianorum, fulmine iectus, interiiit, ut scribunt Cedrenus, Zonaras, & Paulus diaconus in eius uita. Tempore Leonis Iconomachi pestilentia consequuta combustionem imaginum in foro Constantinopolitano, trecenta millia hominum Constantinopoli sustulit. Matth. Palmerius. Paul. diaconus. Lutherus morte repentina sublatu est, nam cum uesperis opiparâ cœnam sumpisset lætus, & sanus, & facetiis suis omnes ad risum prouocasset, eadem nocte mortuus est. Cochleus in eius uita. Zuuinglius in bello contra Catholicos trucidatus est; & paulo post Basileæ frater eius spiritualis Oecolampadius, cum uesperis sanus cubitum iuisset, mane inuentus est ab uxore mortuus in lecto. Cochleus in actis Lutheri. Andream Carolstadium à dæmone interfectum Ministri Basilienses scribunt in Epistola de morte Carolstadij; Ioannes Calvinus uermibus consumptus dæmonibus inuocatis blasphemans, & execrans expirauit. Hieronimus Bolsecus in eius uita.

Ultima Nota est felicitas temporalis diuinitus iis collata, qui Eccle-

Ecclesiam defenderunt: nunquam enim Catholici Principes ex animo Deo adhæserunt, quin facillime de hostibus triumpharent. Notæ sunt in primis uictoriæ in testamento ueteri Abraham, Moyses, Iosua, Gedeonis, Samuelis, Dauidis, Ezechie, Iosæ, Machabæorum. In testamento nouo Constantinus qui primus publicè ex Imperatoribus Ecclesiam defendit, eodem modo Maxentium uicit, quo Moses Pharaonem, uide Eusebium, lib. 9. hist. cap. 9. Aug. lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 25. de Constantino, & cap. 26. De Theodosio Seniore ait, quod cum uerè pius, & Catholicus esset, adeo prospere omnia ei successisse, ut in præliis, hostium tela, in auctores, Deo agente retorquerentur. Addit Theodoretus lib. 5. hist. cap. 24. Sanctos Ioannem, & Philippum Apostolos, apparuisse in equis albis in eodem prælio, pro Theodosio Imperatore pugnantes. de Honorio etiam plane catholico, inquit August. 5. de Ciuitate Dei, cap. 23. ita Deum pro illo pugnasse, ut uno prælio multo amplius, quam centum millia Gothorum prosternerentur, & Rex ipse Radagaisus cum filiis caperetur, & occideretur, ex Romanis ne uno quidem uulnerato, nedum extincto. De Theodosio iuniore inquit Socrates, lib. 7. hist. cap. 18. exercitu eius pugnante, cum barbaris, & ipso interim precibus apud Deum, in urbe uacante, circiter centum millia Saracenorum ab Angelis acta in Euphratem miserime periisse. Iustinianus senior donec Catholicus fuit felicissime imperauit, ita ut Italiam, Africam, aliasque multas prouincias Romano Imperio restituerit, at ubi factus est hæreticus, & edictum proponere uoluit de sua hæresi recipienda, mox, repentina morte sublatu est, ut scribi Euagrius, lib. 4. hist. cap. 16. & sequentibus. Si plura desideras uide Bellarminum, qui nobis has Notas ita copiose tradidit, ut his, quæ dixit, & rationibus Scoti contenti, nihil amplius querere, aut scribere uoluerimus, sed ea solum sub breuitate reducere.

De temporalis felicitate illorum, qui defendunt Ecclesiam.

De locis ex quibus fumuntur argumenta ad probandas res fidei, & ad confundendos contrarios errores.

Quid sit Sacra Scriptura; in quibus alias scripturas excedat; & quanta sit auctoritatis.

Cap. XI.

Quamuis ex dictis satis constet contra Gentiles, Iudæos, & hæreticos, nostram solam esse ueram Ecclesiam in qua est salus, & alias omnes, esse Ecclesias malignantium, synagogas, & sectas sathanæ, magis tamē in particulari, contra hæreticos præcipue, ostendendum est, quibus mediis res fidei probentur, & contrarii omnes errores confutentur, & damnentur. & sicut in humanis scientiis sunt media demonstratiua, & media topica, seu probabilia, ita etiam in Ecclesia, media ueluti demonstratiua, & necessario concludentia sunt. Auctoritas sacra scriptura. Traditiones Apostolicæ. Auctoritas Ecclesiæ, quæ tria media complectitur, Summorum, scilicet Pontificum, & Legitimorum uniuersalium conciliorum determinationes. Vniuersalis Ecclesiæ receptionem, & Vniuersalem sacrorum omnium Doctorum consensum; Media probabilia sunt particulares Sanctorum, & Doctorum auctoritates, rationes naturales, Philosophorum auctoritates, & humanæ historiæ. de quibus omnibus Melchior Canus diffuse tractauit, & duodecim libros composuit, qui inscribuntur Locorum Theologicorum.

Et ut de singulis aliquid breuiter dicamus, Sacra scriptura sic definiri potest, ut sit doctrina sacra, non humano spiritu scripta sed Spiritus Sancti afflatu. Pro cuius declaratione notandum est, doctrinam aliquam ex quatuor causis denominationem sumere posse, ex causa nimirum materiali, siue ex obiecto, ut libri de cælo, de generatione; Ex causa efficiente, ut libri Aristotelis, doctrina Aristotelica, Platonica. ex causa formali, ut cum dicitur demonstratiua, topica, uel sophistica; ex causa demum finali aliqua doctrina dicitur speculatiua, si eius finis sit cognitio ueritatis, uel practica si cognitionem dirigit ad opus. simili-
liter etiam in genere moris, ratione finis, & obiecti dicitur bona,

na, uel mala, quemadmodum ratione rei significatæ, dicitur uera, uel falsa. His omnibus de causis hæc doctrina dicitur Sacra, præcipue tamen propter eius formalem causam, qua mediante distinguitur à cæteris aliis omnibus doctrinis, quæ aliqua ratione possunt dici sacra. nam ratione obiecti hæc doctrina dicitur Sacra, quia est de rebus sacris, de Deo, de Incarnatione, de Christi uita, prædicatione, de Sacramentis, de uirtutibus. Sed eadem ratione Sanctorum scripta, & Conciliorum, & Pontificum decreta dicuntur sacra; non tamen eodem modo, nam Sacra scriptura de illis per se tractat, Sanctorum uero scripta de illis potius tractant secundario, & ut Sacra Scriptura interpretationes. Verum differt hæc Sacra scriptura à Sacris Sanctorum scriptis, etiam ratione causæ efficientis, nam Sacra scriptura ita fuit scripta à uiris Sanctis, ut illius auctor fuerit Deus; in quo quidem uidentur etiam Sanctorum scripta conuenire, & quatenus conueniunt ob hanc etiam causam dicuntur Sacra, nam præter quam quod eorum scriptores fuerunt Sancti, fuerunt etiam à Deo illuminati, quo facilius ueritatem cognoscerent, & nobis explicatam traderent, & ita unanimes Sanctorum consensus firmiter tanquam diuinus tenetur; sed differunt ab hac Sacra scriptura, nam Sancti, illorum auctores, ita fuerunt à Deo illustrati, ut illos sic illustratos proprio ipsorum iudicio Deus contemplant, determinantes, & scribentes reliquerit, & ita aliquando in aliquibus defecerunt, errauerunt, & sibi etiam contradixerunt, quod de hac Sacra scriptura nullo modo dici potest, cum illius Scriptores ita fuerint à Spiritu sancto illustrati, ut eum Magistrum habuerint, qui ueritatem, quam scripserunt illis reuelauit, eisque semper fuit assistens, etiam si scripserint audita, & uisa, ut in nullo errare possent. ob quam causam S. Aug. epist. 19. ad S. Hieron. dicit. *Solis eis scripturarum libris, quæ iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam, ac si aliquid in eis offendero literis, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud quam uel mendosum esse codicem, uel interpretem non assequutum esse, quod dictum est, uel minime intellexisse non ambigam; alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo uerum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, uel per illos auctores canonicos, uel probabili ratione, quod à uero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Sed in hoc uidentur Pontificum, & Sacrum Conciliorum decreta, cum Sacra scriptura conuenire, nam licet Patres, qui in Conciliis adsunt humano studio, & crebris disputationibus

Quibus de causis dicitur sacra, & quomodo differat ab aliis scripturis, quæ etiam dici possunt sacra.

media que dam sunt necessario concludentia quedam probabilia.

Sacra scriptura quid sit.

ueri-

ueritatem inquirant, Spiritus tamen Sanctus infallibiliter affi-
 sit eorum determinationibus, ut errare non possint, & deter-
 minationes illæ, firma fide à Spiritu Sancto, esse creduntur; dū-
 modo Concilia legitimè congregata, & celebrata fuerint; diffe-
 runt tamen, nam præter quam, quod determinatam ueritatem
 à Spiritu sancto humano more habent, mediante nimirum dili-
 genti studio, & inquisitione; humano etiam ingenio illa diuina
 ueritas scribitur, declaratur, & probatur, ita ut, licet Sacrorum,
 Conciliorum, & summorum Pontificum determinationibus nõ
 possit subesse falsum, in earum tamen declarationibus ab ipsis
 met Conciliis, & Pontificibus factis, aliqua superflua, inordina-
 ta, parum ad rem, & etiam falsa, reperiri posse, non repugnet, cū
 istæ declarationes, & probationes, non Spiritui sancto, sicut de-
 terminationes, sed scriptoribus tribuantur, qui tanquam homi-
 nes errare possunt. At sacra scriptura, tota fuit diuino spiritu
 scripta, adeo quod eius scriptores ita ueritatem, quam scribe-
 bant à Spiritu sancto reuelante habuerunt, uel quæ uiderant,
 aut audierunt scripserunt, ut omnia etiam uerba à Spiritu sancto
 ipsis dictata, & inspirata fuerint, & ita nihil est ei addendum, ni-
 hil detrahendum, nihil falsum, nihil superfluum, nihil sine my-
 sterio in ea repetiri potest. Et hæc est huius sacra scriptura for-
 ma, ut tanquam à Spiritu sancto dictata in omnibus diuine præ-
 cedat; in quo maxime differt ab aliis omnibus scripturis, quæ
 cum humano ingenio scriptæ sint, formam ab intellectu huma-
 no sibi traditam habent, & demonstratiuæ, uel probabiles Ari-
 stotelicæ, uel Ciceronianæ dicuntur. Et ob hanc præcipue cau-
 sam scripturæ sacrae nomen, huic soli scripturæ tribuitur. Di-
 citur demum hæc scriptura, sacra, propter eius finalem cau-
 sam, quia ad finem sacrosanctum, qui Deus est dirigit, quem
 finem, cum Doctores Sancti in suis scriptis quoque assumpse-
 rint, licet, ut eis à sacra scriptura traditum, & ut sunt sacra scri-
 pturæ interpretes, merito ab eo, illorum etiã scripta, sacra dici
 possunt. Ex quo eius dignitas, & sublimitas aliquo modo no-
 bis, tanquam omni ex parte incomprehensibilis innotescit; est
 enim undique infinita. cum sit de obiecto infinito, cum eius au-
 ctor sit Deus infinitus, cum sit scripta spiritu diuino infinito,
 cum contineat mysteria infinita, cum liberet à duplici malo in-
 finito, à culpa. s. & à pœna mortali culpæ debita infinita, si non
 intensiue saltem extensiue tanquam æterna, cum perducatur ad
 bonum infinitum, non ergo potest perfecte intelligi, nisi ab in-
 tellectu infinito, à quo ingenioque nostra illuminari debent, ut
 aliqualem

Proprium
 Sacrae scri-
 pturæ.

Sacrae scri-
 pturæ di-
 gnitas.

aliqualem eius cognitionem habere possimus.

Ex quibus sequitur argumentum ab auctoritate Sacrae scri-
 pturæ iuxta illius literalem sensum, apud eos, qui illam recipiunt
 esse fortissimum, & certissimum, & non dari fortius, nec certius.
 Illi autem, qui non recipiunt Sacram scripturam, ut à Spiritu sã
 cto dictatam; & Scripturæ id asserenti, & Ecclesiæ testificanti, &
 sua auctoritate determinanti, non credunt, quales sunt Gẽtiles,
 ex his, quæ diximus, facile conuincuntur. & breuiter repetẽdo,
 & quæ ad probandam Ecclesiæ, & Christiane Religionis uerita-
 tẽ dicta sunt, ad Sacram scripturam applicãdo, cõtra eos, quod
 sit sacra, & diuina, Spiritu sancto assistente, dictante, & mouente
 scripta: probatur primo, quia in ea multæ cõtinẽtur prophetiæ,
 quæ omnes adimpletæ fuerunt. 2. ex ipsarũ scripturarũ concor-
 dia, nã ut ait Scotus in nõ euidentiis ex terminis, nec ex prin-
 cipiis euidentiã habẽtibus, nõ consonant firmiter, & infallibili-
 ter multi diuersimode dispositi, nisi à causa superiore ipsoꝝ in-
 tellectus inclinẽtur ad assensũ. 3. ex rationabilitate omniũ in ea
 contentorũ. 4. ex irrationabilitate illarũ omniũ scripturarũ, &
 sectarũ, quæ ei cõtrariantur. 5. ex illius firmitate, nã quo magis
 impugnatur, eo magis illius ueritas elufcescit, & depulsis om-
 niũ errorũ tenebris, suos limpidissimos ueritatis, & diuinitatis
 radios undiq; diffundit. 6. ex illius efficacia, cū animas ad Deũ
 conuertat, nec unquam à fidelibus sine fructu audiatur, aut le-
 gatur. 7. ex scribẽtium auctoritate, de quibus nulla potest esse,
 uel minimi mendacii suspicio, cū fuerint sanctissimi, omniũ ter-
 renorũ contemptores, & multi uitam ipsam pro confirmatione
 eorũ, quæ scripserũt posuerint, & ceteri parati fuerint illam ex-
 ponere, si opus fuisset, & tamen dixerunt; Hęc dicit Dominus.
 8. ex diligentia recipientium. 9. ex auctoritate illorum, qui sa-
 cram scripturam, ut Dei uerba, & testimonia adduxerunt, nam
 ipse met Christus uerus Dei filius sæpe hoc testimonio usus est
 & Ioa. 5. dicit. *Scrutamini scripturas. Zacharias, Lucæ 1. Sicut lo-*
cutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarũ eius. & Petrus,
2. Epist. c. 1. Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.
& Paulus 2. Tim. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est, &c.
 10. ex infinito ferè numero diuinarũ miraculorum, quæ omni-
 bus seculis facta sunt, ad Sacra scripturæ, & eorũ, quæ in ea cõti-
 nentur cõprobationẽ. & inter miracula, reponenda est transla-
 tio Veteris testamenti ex hebraica lingua in græcam facta, à
 72. senioribus hæbreis omnium tribuum, iussu Ptolomæi Phi-
 ladelphi, nam septuaginta duobus diebus uniuersam Sacram

Sacra scri-
 pturam ef-
 se à Spiri-
 tu sancto
 probatur.

De trans-
 latione
 70.

Scripturam ueteris testamenti, summo eorum consensu trāstū
 lerūt. quod miraculū eo maius esset, si singuli fuissent separatim
 positi in cellulis, ut inter se conferre non possent, & omnes pro-
 priam translationem iisdem uerbis fecissent, ut uult Iustinus,
 quem sequuntur Irenæus, Cyrillus, Clemens Alexandrinus, &
 Augustinus 18. de Ciuit. Dei, cap. 42. quamuis in lib. 2. de doct.
 Christ. cap. 15 non audeat id affirmare. sed quamuis dicamus
 cum Hieronymo omnes in eadem basilica sedentes, & inter se
 conferentes scripturam transtulisse, adhuc fuit miraculum, q̄
 tot homines simul conferendo, tam breui tempore, potuerint
 conuenire in singulis sententiis transferendis, nam ubi est mul-
 tudo, ibi est iudiciorum diuersitas; & uel nunquam conue-
 niunt, uel non nisi post longas disceptationes; unde Aug. eod.
 cap. de doct. Christ. illud, quod ab omnibus dicitur de istis
 interpretibus, quod quasi uno ore scripturas uerterint, rectis-
 sime posse intelligi significat, tam secundum eos, qui cellulas af-
 firmant, quam secundum eos, qui illas negant. Ista translatio
 ut inquit Epiphanius facta fuit anno 17. Ptolemæi Phila delphi,
 à quo tempore, usq; ad Christum fluxerunt anni 291. quod non
 fuit sine diuino consilio, nam ut inquit Eusebius, lib. 8. de Præ-
 par. Euang. cap. 1. si post Christi aduentum id fieri debuisset,
 aut scripturam Iudæi ex inuidia occultassent, aut corru-
 ptam nobis dedissent, aut certe in suspicionem translators
 facile uocarentur. Miranti Ptolemæo cur diuinorum libro-
 rum nulli, neque Historici, neque Poetæ ueteres meminif-
 sent, Demetrius Phalereus respondit (ut ex Aristæo referunt
 Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 2. & Eusebius loco citato) Diui-
 nam hanc scripturam esse, atque à Deo ipso datam, propterea
 si qui prophanorum hominum eam attingere uoluerunt, eos à
 Deo percussos continuo resilliisse; affirmauitque Theopompum
 quendam, quod aliquid diuinorum uoluminum græca oratio-
 ne ornare uoluerat, subito mentis quadam agitatione diuini-
 tus immissa, uehementer perturbatum, ab incæpto opere co-
 actum esse desistere. Theodorum uero tragediarum scriptorem
 quia nescio quid è diuina scriptura ad fabulam quandam trans-
 ferre decreuerat, luminibus captum orbatumq; esse, eisq; di-
 uinitus reuelatum fuisse, ob illam causam illas calamitates eis
 accidisse; à quibus post pœnitentiam à Deo liberati fuerunt.
 Huius etiam causa fuit, quia diabolus Dei, & salutis nostræ ini-
 micus semper studuit, & studet uerum Dei cultum impugnare,
 & si posset, de medio tollere, & Gentiles eius discipuli, cū dam-

Cur Gen-
 tiles Histo-
 rici, & Po-
 etæ nō me-
 minerint
 sacre scri-
 pturæ.

narentur, ut idololatræ, quæ ad Iudæorum, & postea ad Christia-
 norum gloriam pertinebant tacuerunt, ne laudarent illam,
 quam sequi nolebant religionem.

De Diuinis, & Apostolicis traditionibus, & earum
 auctoritate. Cap. XII.

Res fidei, & morum non solum habentur ex Sacra scri-
 ptura, sed etiā traditionibus à Christo, & ab Aposto-
 lis descendētib; quæ sūt eiusdē auctoritatis cū Sa-
 cra scriptura, ac proinde ex ipsis sumitur firmissimū
 argumentū, ad confutandos hæreticos, & probandas res fidei.
 Nec ulla fit Sacre scripturæ iniuriā, si præter illam dicimus ne-
 cessarias esse traditiones, & illas esse cum ea eiusdem auctori-
 tatis. Cuius ratio est, quia Scriptura non est nobis data à Deo, ut
 in ea omnia necessaria expresse continerētur; dixi expresse, quia
 uirtualiter in ea omnia habentur; quatenus ea probatur tradi-
 tionū, Ecclesiæ, & Papæ auctoritas, & propterea non potest dici
 diminuta. Necessitas autem, & auctoritas diuinarū, & Aposto-
 licarum traditionum sumitur ex parte Dei, ex parte nostra; ex
 parte eorum, quæ scripta sunt, & ex parte ipsius scripturæ. Ex
 parte Dei, quia illa, quæ Deus hominibus tradidit, non tradidit
 primo scripto, sed uerbis, & postea ab hominibus ipso inspiran-
 te, & assistente scripta fuerunt. Vnde Dei uerba diuiduntur in
 scripta, & non scripta, si diuina auctoritas tribueretur solo uer-
 bo scripto, infirmaretur auctoritas Verbi Dei nō scripti, q̄ nul-
 lo modo esse potest; & ratio est, quia tota auctoritas Verbi Dei,
 dependet ex hoc, q̄ est Verbū Dei, q̄ autē sit scriptū, uel nō scri-
 ptum, est per accidens; & id quod est per accidens, nō potest va-
 riare, id quod est per se. ob quā causam uoluit Deus, quod sicut
 uerbū non scriptū præcessit scripturam, ita etiā traditione, mul-
 ta ab eo tradita, & non scripta, cū scriptura haberentur. Ex par-
 te nostra, quia non sunt omnia omnibus scripto propalanda, tū
 quia, ut inquit Basil. de Spiritu sancto, cap. 27. non est omnino
 mysterium, quod ad populares ac uulgares aures effertur; tum
 quia, ut ibidē inquit Basil. dogmatum cognitio, facile propter
 assuetudinem uulgo ueniret in contemptum; tum quia indignis
 sunt & alanda ne detur Sanctum canibus, & idiotis sunt à Sacer-
 dotibus tradenda, & explicanda. tum etiam quia sicut non sunt
 omnia omnibus tractanda; ita non sūt omnia pro omnibus scri-
 bēda. Ex parte eorum, quæ scripta sunt, tum quia seruanda erat

Traditio-
 nū necessi-
 tas, & au-
 thoritas.

Ex parte
 Dei.

Ex parte
 nostra.

Ex parte
 eorū, quæ
 scripta
 sunt.

dignitas diuinorum myſteriorum, & Sacramentorum, ut non omnia particulariter, & eorum ritus, & cęremonię in illis adminiſtrandis, quaſi rudibus, & ignaris ſcriberentur; tum etiam, quia ſcripta ſunt Dei erga nos beneficia, quę ſunt a deo clara, & magna, quod non deberemus literarum auxilio indigere, & propterea non debuerunt exacte ſcribi, ſed quantum ſatis eſt ad tollendā obliuionē, & ad conſeruandas, & inquirēdas traditiones, ut ſic, expreſſius ſcripta ſint in corde, quam in libris. Ex parte etiam ſcripturę, quia Sacra ſcriptura non fuit ſimpliciter neceſſaria, ſicut fuerunt traditiones; & ex traditionibus depēdet; Quod non fuerit ſimpliciter neceſſaria, probatur, quia primus, qui libros ſacros ſcribere cepit, fuit Moyses, qui a Mundi creatione initium ſumpſit, & ante ipſum nullus fuit uſus literarū, ſed ipſe primus illas inuenit, ut etiam ethnicorum teſtimonio probare nititur Eusebius lib. 9. & 10. præparationis Euangelicę; ab Adam autem, uſque ad Moyſem interceſſerunt pluſquam duo millia annorum; & tamen ab Adam, uſque ad Moyſem, fuit in mundo Eccleſia Dei, & homines colebant Deum, Fide, Spe, & Charitate, & externis ritibus, Abel enim ſacrificabat, Enoch inuocabat nomen Domini, colebat Deum pater Iuſtorum Seth, holocauſta offerabat Noe, erigebant Altaria, ſacrificabāt, & uonebāt, Abraham, Isaac, & Iacob. ſanctificabat ſe, & filios ſuos Iob; & holocauſtis Deum placabat. qui uerus Dei cultus ſine ulla ſcriptura ſola traditione toto illo tēpore perfeuerauit; unde ante Moyſem, nulla fit mentio doctrinę ſcriptę, ſed ſolū traditę. Gen. 18. Scio (inquit Deus) quod Abraham præcepturus fit filiis ſuis, & domui ſuę poſt ſe, ut cuſtodiant uia Domini. Exo. 14. Narrabis filio tuo, &c. Lex etiam Euangelica non fuit ab initio ſcripta, ſed a CHRISTO uiua uoce tradita, qui eam non mandauit ſcribi, ſed prædicari, Marci ult. & Apoſtoli ad prædicandū uiua uoce, non expectarunt oblatam occaſionem, uel neceſſitatem, ſed ſponte, & ex proprio inſtituto perexerunt; at ad ſcribendum, non niſi neceſſitate quadam coacti, animum applicuerunt, ut de Euangelicis oſtendit Eusebius, lib. 2. hiſt. cap. 15. & lib. 3. cap. 24. quod etiam patet ex his, quę ſcripſerunt, nam uel hiſtōriam ſcripſerunt, ut Euangelicę, uel Epistoſas, ex aliqua occaſione, ut Petrus, Paulus, Iacobus, Iudas, Ioannes. & in ijs non niſi obiter de dogmatibus ſcripſerunt; ſi autem doctrinam ſuam literis ex profeſſo tradere uoluiffent, Catechiſmum, aut ſimile librum, certe confeceſſent. Scriptura igitur eſt neceſſaria ſolum de bene eſſe, ſed non ſimpliciter; & ſicut religio antiqua, potuit

ſola

ſola traditione, ſine ſcriptura conſeruari ad duo millia annorum, ita potuiſſet doctrina Chriſti, ad 1589. annos, uſque ad tēpora noſtra.

Sacra etiam ſcriptura in multis dependet a Diuinis, & Apoſtolicis traditionibus, Primo, quia traditiones ſunt antiquiores ſcriptura, & multi ſcriptores ſacri, ea ſcripſerunt, quę traditionibus habuerunt, non ſolum ex antiquis, ſed etiam ex Euangelicis, nam Lucas, & Marcus Euangelium ſcripſerunt ſicut audierunt. Secundo libri Sacri traditione habentur; quod enim Mattheus Euangelium ſcripſerit, & ſit illud, quod nos habemus, & recipiendum tanquam canonicum, & diuinum, non ſcitur ex inſcriptione, & ex ipſo Euangelio, ſed ex traditione, nam etiam in Alcorano Mahometti, paſſim legitur ipſum Alcoranum de Cęlo a Deo miſſum. & hæretici libros ementito nomine, & tanquam ſacros, & diuinos ediderunt, ut dicit Eusebius lib. 3. Tertio dependet a traditionibus, quo ad intelligentiam, eis enim uerus illius ſenſus conſeruatur, & intelligitur, nam uerba ſape diuerſos habent ſenſus, & hæretici perperam illam interpretantur, Vnde Baſilius de Spiritu Sancto, cap. 27. ait ſine traditionibus non ſcriptis, Euangelium eſſe purum nomen, ideſt, eſſe tantum uoces, & uerba ſine ſenſu; nam duo ſunt in ſcriptura, uoces ſcriptę, & ſenſus in eis inſecluſus, uoces ſunt communes omnibus, qui literas norunt, at ſenſum non omnes habent, & in plurimis locis, ſine traditione non poſſumus eſſe de illo certi, & multa ex ſcripturis deducuntur, quę niſi traditione firmarentur, non eſſent omnino certa, & nunquam poſſent cum proteruis terminari lites. ut equalitas diuinarum perſonarum, proceſſio Spiritus ſancti a Patre, & Filio, ut ab uno principio, peccatum originale, deſcenſus Chriſti ad inferos, quod quando Chriſtus dixit, Hoc eſt Corpus meum, illud eſt non accipitur pro ſignificat, ſed pro reali exiſtentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & multa ſimilia. Quarto dependet quo ad obſeruantiam, nam in ſcriptura traditur nudum præceptum, quomodo autem ſit adimplendum, quibus circumſtantiis, & qua operantis diſpoſitione, & quando obliget, traditione habentur; nam licet Eccleſia multa inſtituere poſſit, multa tamen habentur traditione, & ui traditionis fuerunt ab Eccleſia præcepta. V.G. ſcriptura præcipit ut unum colamus Deum, & traditione habemus quod eſt colendus in ſe, & in ſuis ſanctis, in ſacris imaginibus, & Reliquiis. præcipit etiā, ut Sabbathum. i. feſta ſanctificemus,

Bb 3 quod

Ex parte
ſcripturę.

Quod ſacra ſcriptura in multis de pendeat a traditionibus.

quod sit Missam audiendo, sacramenta sumendo, Ecclesias frequentando, uerbum Dei audiendo, ut traditio docet, ex quibus Ecclesia aliqua etiam præcipit. Dixit Christus. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis uitam in uobis*, & traditio ostendit quomodo sit manducanda, præmissa. scilicet confessione. dixit etiam. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*. & traditio declarat in pueris ad suscipiendum baptismum sufficere fidem Ecclesie. Quinto dependet, quo ad perfectionem, seu potius integritatem diuinę doctrine, quia (ut diximus) nõ omnia, quę sunt ad salutem necessaria continentur in Sacra scriptura, sed uoluit Deus aliqua sola traditione haberi; ut tota diuina doctrina nobis necessaria, duplici uerbo contineatur, scripto. scilicet & non scripto, & primum, tempore ueteris testamenti sine dubio, non minus faminę, quam uiri aliquod remedium habeant, quo purgarentur à peccato originali, similiter, & masculi morietes ante octauum diem, quo solo poterant circuncidi, Gentiles etiam, qui ad circuncisionem, & Mosaicam legem non tenebantur, poterant (ut diximus) saluari, & aliquo remedio à peccato originali, aliisque peccatis mundabantur, & tamē de his nihil extat in scriptura. Post Christum etiam multa necessario sunt tenenda, & credenda, quę non habentur in scriptura, sed Diuina, & Apostolica traditione, ut aliqua formę Sacramentorum, Purgatorium, Indulgentiæ, Sacrarum Imaginum, & Reliquiarum, adoratio, Virginitas B. Marię ante partum, & post partum. Sunt igitur Diuinę, & Apostolicę traditiones eiusdem auctoritatis cum Sacra scriptura, quia sunt ipsius Christi, & Apostolorum dogmata, & ordinationes, de quibus est illud Ioa. 16. *Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo*. & illud Ioa. ult. *Sunt autem, & alia multa, quę fecit Iesus, quę si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros*. & illud Act. 1. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*. & illud 2. Thess. 2. *Tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Et alię multę sunt utriusque testamenti auctoritates de traditionibus, de quibus, omnes fere sancti doctores mentionem fecerunt, & earum uim, & auctoritatem ostenderunt; multę etiam sunt Summorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum determinationes, & Doctores, Concilia, & Pontifices eis confirmant, & probant dogmata Christiane Religionis, legitimum scripturę sensum declarant, & contrarios errores damnant, ut uideri potest apud illos, qui contra hæreticos de traditionibus scripserunt.

Ad

Ad cognoscendas autem Apostolicas traditiones, Aug. lib. 4. contra Donatistas, cap. 24. hanc regulam tradit. Id quod in uerba Ecclesia, & omnibus retro temporibus seruatum est, merito ab Apostolis creditur traditum, etiam si illud tale sit, quod potuerit ab Ecclesia institui. exemplum sit de ieiunio quadragesimę, quod poterat ab Ecclesia institui, si à Christo, vel Apostolis institutum non fuisset. Idem à fortiori dicendū est de dogmatibus fidei, quę uniuersa Ecclesia amplectitur, & non inueniuntur in sacris literis. Et quādo Ecclesia aliquid seruat, quod nemo constituere potest, nisi Deus, quod tamen nusquam inuenitur scriptum, necesse est dicere ab ipso Christo institutum fuisse & Apostolis eius traditum, huiusmodi est baptismus paruulorū qui actu non credunt; & ratio est, quia Ecclesia non potest errare, cum sit columna, & firmamentum ueritatis. Vnde Apostolicę traditiones diuiduntur, quia quędam sunt ex institutione ipsius Christi, quędam ex institutione Apostolorum, quam distinctionem insinuat Apostolus, 1. Cor. 7. *Præcipio, non ego, sed Dominus uxorē à uiro non discedere, & ceteris dico ego, non dominus, &c*. Eandem etiam regulam tradunt Irenęus lib. 3. cap. 3. & Tertullianus, lib. de præscript. de ritibus quarundam Ecclesiarū particularium, nam ex Apostolica traditione descendere credendum est, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, ubi est integra, & continuata successio ab Apostolis.

De Primatu, & auctoritate Petri. Cap. XIII.

Materia de Primatu, & Auctoritate Papę, est amplissima, & communis; ab hæreticis impugnata, & à Theologis, & Canonistis diffuse tractata. Ut autem illam quam breuissime, & ordinate ita perstringamus, ut etiam ruant omnia in contrarium argumenta, sequentes subiciemus conclusiones. & prima sit: Omnes Apostoli immediate à Christo omnem acceperunt iurisdictionem, & in ea pares fuerunt Petro. Conclusio est de potestate iurisdictionis. nam de potestate ordinis certum est apud omnes, Episcopus illam, & que immediate habere à Deo, ac ipsum Summum Pontificem; confertur enim per quandam consecrationem, quę & que operatur in uno, atq; in alio. potestas etiam iurisdictionis altera est fori interioris, altera exterioris; de interiori licet dubium sit, an immediate conferatur à Deo omnibus Sacerdotibus in ordinatione, nam Abulensis in defensorio. p. 2. ca. 62. id affirmat;

Bb 4 & Tur.

Quod sint eiusdem auctoritatis cum sacra scriptura.

Apostolicę traditiones quomodo cognoscantur.

Apostolicę traditiones in duplici differentiã.

Prima conclusio. Quod Apostolica Christo habuerint plenam iurisdictionem, & in ea fuerint æquales Petro.

& Turr. Crem. lib. 1. summæ, cap. 96. id negat, asserens non conferri à Deo ex vi ordinationis, sed ab homine per simplicem iniunctionem; ambo tamen conveniant, quod usus huius iurisdictionis pendet ab exteriori, ideo nunc loquimur de exteriori. Et quamvis certum sit apud omnes, iurisdictionem Episcoporum, saltem in genere, esse de iure diuino; nam, Christus ipse, ita ordinavit Ecclesiam, ut in ea sint Pastores, & Doctores, Ephes. 4. dubium tamen est, an Episcopi canonice electi, accipiant à Deo suam iurisdictionem, sicut illam accipit Papa, an vero à Papa. de quo tres sunt Theologorum sententiæ. Prima est Francisci à Victoria, & Alphonsi à Castro, tam Apostolos, quam cæteros Episcopos, immediate à Deo accepisse, & accipere iurisdictionem. Secunda est Turris Crematæ, & Dominici Iacobatij, Apostolos non à Christo, sed à Petro, & Episcopos non à Christo, sed à Petri successore accepisse, & accipere iurisdictionem. Tertia est media Caiet. Dominici à Soto, Bonau. & aliorum, Apostolos accepisse à Christo immediate omnem suam auctoritatem. Episcopos vero non à Christo, sed à Papa eam accipere. & iuxta hanc sententiam est prima nostra conclusio. Sed de Episcopis loquimur in Capitulo sequenti; quod autem omnes Apostoli suam iurisdictionem habuerint immediate à Christo, probatur, quia ab ipso fuerunt electi, & facti Apostoli, Luc. 6. & Io. 6. & de Matthia Act. 1. legimus, quod non fuit ab Apostolis electus, aut aliqua ei auctoritas data, sed eius electione diuinitus impetrata, & impetrata, fuit inter Apostolos annumeratus. & Paulus de se Gal. 1. ait *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per IESVM CHRISTVM, & Deum Patrem.* & cap. 2. *Mihi enim, qui uidebantur aliquid esse, nihil contulerunt.* Quod autem omnes in iurisdictione fuerint pares Petro probatur primo, illis uerbis Christi. Ioa. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* iuxta Sanctorum interpretationem; Chrysostomus enim, & Theopilaus hunc locum exponentes, dicunt Apostolos his uerbis esse factos CHRISTI Vicarios, immo ipsum Christi officium, & auctoritatem accepisse. Cyrillus inquit his uerbis, proprie Apostolos creatos esse Apostolos; & ut intelligeremus in Apostolica auctoritate contineri omnem potestatem Ecclesiasticam, ideo adiecit CHRISTVM. *Sicut misit me Pater.* Si quidem Pater misit filium summa potestate præditum. & Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ, inquit, *Loquitur Dominus ad Petrum, tibi da-*

bo

bo clauis regni cælorum, & eidem post resurrectionem suam dicit, *Palce oues meas, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, & ego mitto uos, tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, &c. Probatur secundo, ex eo, quod Paulus ad Gal. 2. dicit, quod Petrus, & alii Apostoli nihil ei contulerunt, scilicet doctrinæ, aut potestatis, ut ibidem exponit S. Thom. sed dexteris ei dederunt societatis. Probatur tertio, ex sacris canonibus, dist. 21. ca. in nouo. 2. q. 7. c. Paulus, Petrum, 24. q. 1. c. loquitur Dominus. ubi dicitur cæteros Apostolos, cum Beato Petro pari consortio præditos, honorem & potestatem accepisse.*

Secunda conclusio. Cæteri Apostoli fuerunt pares Petro in potestate, ex gratia, & priuilegio, sed nihilominus Petrus ratione officii, ut Christi Vicarius fuit illis superior, & caput totius Ecclesiæ. Pro cuius explicatione notandum est ex Caietano, quod sicut in natura dupliciter aliqua fiunt, scilicet naturaliter, ut cum homo generat hominem, & infirmus, ex uirtute nature sanatur; & supernaturaliter, sicut cum homo creatus est à Deo, & infirmus miraculo sanatur; ita etiam in Ecclesia, duplici modo aliquid fit, scilicet ordinariæ, ut cum seruato iuris ordine creatur Episcopus, & de speciali gratia à Principe, ut si statim aliquis creetur Episcopus, ut de Sancto Ambrosio contigit. Vtroque modo Christus in primitiua Ecclesia usus est, nam in institutione Ecclesiastici regiminis, monarchicum, id est unius principatum ordinario iure, perpetuo seruandum instituit, & posuit Petrum, unicum totius Corporis Ecclesiæ caput, à quo omnis potestas spiritualis iurisdictionis, in alios derivaretur; & iure ordinario cæteri Apostoli illam à Petro habere debuissent, sed Christus ex speciali gratia præuenit, eisq; concessit omnem potestatem pro regimine totius Ecclesiæ, quam Petro capiti, & suo in terris Vicario contulit, cui illos socios, & pares fecit. Nec sequitur ex hoc, quod tunc non fuerit unum totius Ecclesiæ caput, uel fuerint plura illius capita; quia Petrus habuit à CHRISTO plenitudinem potestatis iure suo, ut CHRISTI Vicarius, alij autem habuerunt ex priuilegio; & inter potestatem Petri, & aliorum Apostolorum sunt quinque differentiæ, prima est ista, quam modo diximus, quia potestas data est Petro ordinariæ, aliis autem ex speciali gratia, Secunda, quæ sequitur ex prima, est in officio, quia Petrus factus est Vicarius generalis Christi, alij uero facti sunt, ue-

lut

Fræc. Vict. in relect. 2. de pot. eccl. q. 2. alph. a Castro, lib. 2. ca. 24. de iusta heret. punitione. Tur. Crem. lib. 2. cap. 54. summæ. Dom. Iacob. li. 10. de concil. artic. 7. Caiet. in tract. de auct. Papæ & Conci. ca. 3. dom. Sot. 4. f. di. 20. q. 1. ar. 2. Probatur conclusio.

Secunda conclusio. Plenitudinem potestatis Petrus habuit, ut caput ratione officii. alij Apostoli ex priuilegio quod cuius persona inspirauit.

Quinque differentiæ inter potestatem Petri, & aliorum Apostolorum.

Iur eius legati, seu delegati, iuxta illud 2. Cor. 5. *Legatione pro Christi fungimur*, & Ephes. ult. *Legatione fungor in catena ista*. & hoc ipsum Apostoli nomen importat; sumptum à missione. Tertia est in obiecto potestatis, quia aliorum potestas iurisdictionis non erat supra se inuicem, sed super alios; Petri uero potestas erat etiam super ipsos Apostolos, cum illi soli dixerit Christus *Pasce oues meas*. in quarum numero sine dubio erant Apostoli; Vbi Chrysostomus dicit in persona Christi ad Petrū, *Loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum*. Quarta est in perpetuitate, quia aliorum potestas finienda erat cum uita eorum, cū esset personalis, & pro solis eorum personis data; & nō pro eorum successoribus; at Petri potestas est perpetua, & trāsit ad successores, quia non fuit data Petro, ut Petro, uel ut Apostolo, sed in persona Ecclesie; ut illius capiti, & Christi Vicario. Quinta est in ipsa essentia potestatis, quia auctoritas aliis Apostolis data, ex ui Apostolatus, fuit uelut potentia executiua, ut exequi possent in eis ad quos mittebantur omnia, quæ poterat exequi Petrus; puta instituire Ecclesias, & Episcopos, docere, excōmunicare, &c. auctoritas autem data soli Petro fuit præceptiua, nō ratione missionis, & ratione executionis; sed ratione capitis, Primatus, & Principatus; illam S. Thom. uocat auctoritatem gubernandi, gubernatio enim executionem sonat. hanc uocat auctoritatem regiminis, quod sonat imperium, unde in Præfatione, Apostoli non appellantur absolute Vicarii, sed Vicarii operis, id est ad exequendum.

Conclusio sic explicata, probatur modo, primo, Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo clauis regni celorum, & quodcumque ligaueris super terra, erit ligatum, & in celis, &c.* quibus uerbis Christus sub duabus metaphoris promisit Petro totius Ecclesie principatum; prior metaphora est fundamenti ædificiis, quod enim est in ædificio fundamentum, id est in corpore, caput, in Ciuitate rector, Rex in regno, pater familias in domo; & cum prius uocaretur Simō, mutato nomine illum habraice uocauit petram, & Syriace cepha; quod significat petram; latinus autem interpres, græcum codicem secutus, uertit petrum, nam cum græce petrus, & petra, significant lapidem; uisum est ei commodius homini, nomen masculinum, quam fæmininum tribuere. sed ad explicandam metaphoram secundo loco noluit dicere petrum, sed petram. dicit igitur Christus ad Simonem, tu es petra, licet ego sim primaria petra, super quam iam est ædificata Ecclesia, nihilominus tu etiam

etiam es petra secunda, post me, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, quia te meum Vicarium, & Ecclesie fundamentum, & caput constituam. Et licet aliqui Sancti exposuerint, & super hanc confessionis petram, ædificabo Ecclesiam meam, falsus tamen est Lutheranorum sensus, qui dicunt fidem seu fidei confessionem, esse petram de qua hic loquitur Christus; nam Lutherani intelligunt fidem absolute, & secundum se, sine relatione ad personam Petri, quod falsum esse patet, tū quia illud pronomen *Hanc* non refertur ad fidem absolute, sed ad petram proxime nominatam, dixit enim, Tu es petra. tum quia si intellexisset fidem in communi, non diceret ædificabo, sed ædificauit, uel ædificio Ecclesiam meam, nam iam multi crediderant eum esse Filium Dei uiui, ut Prophetæ, B. Virgo, Simeō, Zacharias, Io. Baptista, Apostoli, Discipuli, & alii multi; tum ei iam quia fides absolute sumpta, recte quidem dicitur fundamentum iustificationis, & omnium uirtutum, sed proprie non est fundamentum Ecclesie, nam cum Ecclesia sit congregatio hominum, quasi lapidum uiuorum. 1. Pet. 2. lapis, qui est fundamentum, debet etiam esse aliquis homo, & non aliqua uirtus, nam fundamentum, & reliquum ædificium debent esse eiusdem generis. Ecclesie igitur fundamentum, post Christum, fuit Petrus, uel illa fides, & fidei confessio, ut fuit Petri, & ita loquuntur, & intelligendi sunt Sancti; Dicitur autem Fides Petri fundamentum Ecclesie, primo, quia ob meritum fidei consecutus est Petrus, quod sit fundamentum Ecclesie. secundo, quia Petrus in eo potissimum est fundamentum Ecclesie, quod cum fides eius deficere non possit, ipse omnes alios in fide confirmare, & sustentare debet. Luc. 22. Nec obstat, quod etiam cæteri Apostoli dicuntur fundamenta Ecclesie. Apoc. 21. & Ephes. 2. nam tribus modis Apostoli omnes dicuntur fuisse fundamenta Ecclesie, sine ullo tamen Petri præiudicio, primo, quia ipsi primi Ecclesias, ubique fundarunt, non enim Petrus solus conuertit ad fidem totum orbem terrarum. 2. ratione doctrinæ à Deo reuelatæ Apostoli, & Prophetæ dicuntur fundamenta Ecclesie, nam fides Ecclesie nititur reuelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli, & Prophetæ, & in ea, Ecclesia quiescit, non enim semper reuelantur Ecclesie noui articuli, & in his duobus, Petrus non est maior cæteris, sed ut inquit Hieron. lib. 1. in Iouinianū, ex æquo super omnes Apostolos Ecclesie fortitudo solidatur. 3. ratione gubernationis, omnes enim fuerunt capita, rectores, & pastores Ecclesie uniuersæ, sed non eo modo quo Petrus, nam illi

habuerunt summam, & amplissimam potestatem, ut Apostoli, seu Legati, Petrus autem, ut pastor ordinarius, & illam etiam plenitudinem potestatis ita habuerunt, ut tamen Petrus esset eorum caput, & ab illo penderent.

Posterior metaphora est clauium, cui enim traduntur clauis Ciuitatis, ille instituitur Rex, uel certe gubernator Ciuitatis, qui quos uult admitrat, quos uult excludat. Clauium nomine intelligitur summa potestas in omnem Ecclesiam danda Petro; quod etiam patet ex aliis scripturæ locis, nam Isa. 22. dum describitur depositio unius summi Põtificis, & institutio alterius, dicitur. *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & nõ erit qui claudat, & claudet, & nõ erit qui aperiat.* & Apoc. 3. *Hæc dicit sanctus, & uerus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Vbi per clauis intelligitur principatus Ecclesiæ; & in rebus etiam prophanis, communis consuetudo est, quando urbes deduntur alicui principi, offerre ei clauis in signum subiectionis. Hæretici, qui omnia peruertere conantur, dicunt hic clauis fuisse promissas Petro, ut significabat Ecclesiam; quod nos concedimus, eo modo quo S. Aug. & alij Sancti hoc dicunt, & intelligunt, sed nõ ad sensum hæreticorum, qui impie dicunt fuisse promissas Ecclesiæ in persona Petri, sed non ipsi Petro; quod constat esse falsum, nam primo, & immediate fuerunt promissæ ipsi Petro, ut capiti totius Ecclesiæ, & consequenter, & secundo ipsi Ecclesiæ in persona capitis. & probatur primo ex diligenti descriptione personæ Petri, nam Christus illum appellat nomine proprio natiuitatis, adiungit nomen patris, & subdit nomen à se recens impositum, ei que singulariter dicit. *Tibi dico, quia tu es Petrus, &c.* Secundo illi promittuntur à Christo clauis qui dixerat. *Tu es Christus filius Dei uiui.* & hoc significant illa uerba. *Et ego dico tibi.* & ut dicit S. Hieron. mercedem accepit uera confessio. Illi denique dictum est à Christo. *Tibi dabo clauis.* cui ibidem paulo post ab eodem Christo dictum est. *Vade post me satana, scandalum es mihi.*

Probatur 2. Ioa. ult. *Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues meas.* quibus uerbis Christus dedit Petro Ecclesiæ principatû & supremam potestatem Ecclesiasticam, quam ei promiserat. Mat. 16. Quod autem soli Petro dixerit. *Pasce oues meas.* patet primo, ex diligenti illius descriptione, sicut, & quando ei promissæ clauis. *Dixit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis diligis me plus his?* Secundo, quia illi soli dicit. *Pasce oues meas.* cui dicit. *Diligis me plus his.* hoc autem soli Petro dici manifestum est, cum illa com-

para-

paratione cæteri Apostoli præsentis manifeste excludantur. 3. probatur ex causa trinæ interrogationis, & cõtristationis Petri, quæ soli Petro conuenit, nam Cyrillus, Aug. & alij dicunt, ideo Petrum ter interrogatum fuisse, an diligeret plus cæteris, quia ipse solus ter negauit. & secundum Chrysostomum, ideo cõtristatus est, quia metuebat, ne falleretur, cum diceret. *Tu scis Domine, quia amo te,* quemadmodum falsus fuerat quando dixerat. *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Quarto, illi dicit, *pasce.* cui prædicens mortem dicit. *Cum senueris extends manum tuam, &c.* Quinto, ex subita interrogatione Petri de Ioanne, *Domine hic autem quid?* nunquam enim Petrus interrogasset quid Ioannes acturus esset, si intellexisset dictum omnibus. *Pasce oues meas.* Verbo pascere significatur summa potestas data Petro; ex communi enim usu loquentium, eo omnis pastoralis actus intelligitur, qui est non solum cibum præbere, sed etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare, idem enim est pascere, quod pastorem agere, seu esse pastorem. Et sæpe in scripturis pascere accipitur pro eo, quod est regere, ut psal. 2. ubi legitur. *Reges eos in uirga ferrea.* in hæbreo est *pasce eos.* Isa. 44. *Qui dico Cyro pastor meus es.* & Homerus etiam lib. 2. Iliados frequenter nocat Regem Agamemnonem pastorem populorum. Quod autem hic pascere significet summam potestatem, patet, quia Christus non committit Petro has, uel illas oues, sed omnes suas oues, uniuersam. scilicet Ecclesiam, dicendo absolute. *Pasce oues meas.* sicut, & Ioa. 10. cum dicit. *Cognosco oues meas, & oues meæ uocem meam audiunt, & ego pono animam meam pro ouibus meis.* de omnibus suis ouibus loquutus est. Vbi notandum est, quod Christus bis dicit. *Pasce agnos meos.* & semel. *Pasce oues meas.* uel secundum Ambrosium primo dicit. *Pasce agnos meos.* Secundo *Pasce ouiculas meas.* Tertio. *Pasce oues meas.* quibus significatur uniuersos Christianos cuiuscunque status subiectos esse Petro; nam agni, bis repetiti fuerunt, ad significandum duos populos iudaicum, & gentilem, oues autem semel nominate, significant Apostolos, & Episcopos, qui sunt ueluti matres agnorum; Si per ouiculas intelligimus nõ agnos, sed oues paruas maiores agnis & minores perfectis ouibus, dicendum est Petro committi agnos, ouiculas, & oues, id est incipientes, proficientes, & perfectos. Vel populos, qui nullam habent curam pastorem significatos per agnos; & sacerdotes minores, id est presbyteros, & parochos; significatos per ouiculas, & Apostolos, & Episcopos significatos per oues, qui agnis, & ouiculis præsent, & tamen ipsi etiam

etiam subiiciuntur Petro. Ut sic sit unum ouile, & unus pastor. Ioa. 10.

Ex prero-
gatiuis Pe-
tri confir-
matur e-
ius prima-
tus.

Petri primatum ex promissione ei facta, & ex ipsius primatus institutione, & summa ei potestate tradita, ostendimus: nunc ad eiusdem primatus confirmationem, singulares uariasque Petri prerogatiuas à Bellarmino collectas in medium adducemus. Prima est mutatio nominis. Ioa. 1. *Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas.* Vbi notandum est cum Chrysostomo, Deum nunquam imponere noua nomina, nisi maximis de causis, & ad significanda priuilegia concessa eis quibus nomina mutantur, ut patet in Abrahamâ, qui cum diceretur Abrâ, idest pater excelsus, uoluit dici Abrahamâ, idest patrem multitudinis. Gen. 17. ut eo nomine significaret hominem illum, qui iam senex erat, & uxorem animum & sterilem habebat, ex Dei dono futurum patrem plurimorum filiorum, uel potius gentium, & populorum. In hac autem mutatione nominis Simonis in nomen Petri, duplex est prerogatiua, una, quod soli Petro ex omnibus Apostolis nomen mutauerit, nã licet Marci 3. imposuerit nomen filii Zebedei. Boanerges, illud tamen fuit potius quoddam cognomen, quam proprium nomen, & ita nunquam postea ab Euangelistis uocantur Boanerges, sed tantum Iacobus, & Ioannes, ut antea uocabantur; at Petrus deinceps fere semper uocatur Petrus, aut Cephas, quod idem est. Altera est, quod tale nomen ei dederit; nam Cepha syriace significat petram, & græcè caput; petra autem est unum ex celeberrimis Christi nominibus, Vnde Leo Epist. 89. ad Episcopos Viennensis prouinciæ, Hunc (inquit) in consortium indiuidue unitatis assumptum, id quod ipse erat uoluit nominari; dicendo tu es Petrus, &c. Secunda prerogatiua est, quia cum ab Euangelistis nominantur Apostoli, uel omnes, uel aliqui, semper primo loco ponitur Petrus. & tamen Ioannes uocatur discipulus quem diligebat Iesus, & Epiphanius hære. 51. dicit Andream fuisse seniore[m] Petro. & Amb. 2. cor. 12. inquit Prior Andreas sequutus est Saluatorem, sed primatum non accepit Andreas; sed Petrus. Nec solum ponitur Petrus primo loco, sed passim etiam in scripturis describitur, ut paterfamilias, Dux, & Princeps reliquorum, nam sicut Apoc. 12. dicitur, Diabolus, & Angeli eius, Michael, & Angeli eius, idest Dux, & milites eius, ita dicitur Marc. 1. *Et prosequutus est eum Simon, & qui cum eo erant.* Luc. 8. *Dixit Petrus, & qui cum eo erant.* Luc. 9. *Petrus, & qui cum illo erant.* Marc. 16. *Dicite Discipulis eius, & Petro.* Act. 2. *Stans Petrus cum undecim.* *Dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos.*

Ad

Ad eadem prerogatiuam pertinet, quod Petrus fere semper loquitur nomine omnium, Mat. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Luc. 12. *Ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Ioa. 6. *Domine ad quem ibimus?* Vbi Cyrillus inquit, per unum, qui præerat, omnes respondent, & Chryl. hom. 55. in Matt. uocat Petrum os Apostolorum. Tertia prerogatiua est, Matt. 14. ubi solus Petrus unum cum Domino ambulat super aquas: & Ioa. 21. cæteris discipulis in nauicula uenientibus ad Dominum, qui in litore expectabat, solus Petrus se misit in mare, & natando uenit. & 8. Bern. lib. 2. de Considerat. dicit utrunque significare Petri primatum. Quarta prerogatiua est illa peculiaris reuelatio facta soli Petro, Matt. 16. nam licet antea Christus uocatus fuerit Filius Dei, ut Io. 1. & Mat. 14. tamen illi uocarunt Christum Filium Dei, eo modo quo Sancti uocantur Filii Dei. Et Petrus primus omnium Apostolorum à Deo edoctus, cognouit distinctionem personarum in Deo, & Incarnationem, & Christum esse Filium Dei uerum, & naturalem intellexit, & confessus est, quod patet ex responsione Christi, & ex Sanctorum Patrum testimoniis Hilar. Athan. Chrylost. Cyril. Aug. & Leo Quinta est Matt. 16. ubi dicitur, *& porta inferi non preualebunt aduersus eam.* quibus uerbis promittitur non solum perpetua stabilitas uniuersæ Ecclesiæ, sed etiam petreæ supra quam fundatur Ecclesia. Sexta est Matt. 17. ubi Dominus iubet solui tributum pro se, & Petro, *Da (inquit) illud pro me, & te.* Ex quo Apostoli bene collegerunt Petrum omnium principem futurum, sed errarunt, quia temporalem principatum imaginabatur, quem errorem Dominus sæpe correxit. Septima est Luc. 5. & Ioa. 21. in quibus locis narrantur duo miracula Christi facta in piscatione Petri, quorum primum manifeste significat (ut inquit Aug.) Ecclesiam militantem, nam in eo iaciuntur retia in dexteram, & sinistram partem & boni, & mali colliguntur, rumpebatur rete, & nauis pene, mergebatur, quod significat schismata, hæreses, & scandala, Secundum significat Ecclesiam triumphantem, nam in eo retia tantum in dexteram partem nauigii iaciuntur, non est ruptum rete, nec fluctuauit nauis, & pisces non introducuntur in nauem adhuc fluctuantem, sicut in primo, sed trahuntur ad litus, quod propter stabilitatem uitam immortalis, & beatam designat. Octaua est Luc. 22. ubi Dominus ait *Simon Simon ecce Satanas expetuit nos, ut cribaret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Nona est, quia Petrus fuit primus cui Dominus pedes lauit, ut inquit

Au-

Augustinus; & licet Chrysoſtomus, & Theophilaſtus putent primum fuiſſe Iudam, ſecundum Petrum; tamen etiam ipſi ex hoc loco colligunt primatum Petri; Iudas enim impudenter ſe ante Petrum conſtituit. Decima eſt, quod Chriſtus reſurgens primū omnium ex Apoſtoliſ, Petro ſe uidentem præbuerit, (nam antea apparuerat Marię Magdalenę) quod colligitur ex illis uerbis. Luc. ult. *Surrexit Dominus uere, & apparuit Simoni.* & 1. cor. 5. *Surrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & uiſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim.* Undecima eſt Ioa. 21. ubi ſoli Petro Chriſtus mortem prædixit, & mortem crucis, ut ſicut ei nomen ſuum donauerat, & officium ſuum impoſuerat, ita & in morte ſocium illum haberet. *Cum ſenueris* (inquit Dominus) *extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non uiſ.* Hoc autem dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum, & cum hoc dixiſſet, dicit ei, *ſequere me.* Theophilaſtus exponit illa uerba. *Sequere me.* de officio paſtorali, Euthimius de morte crucis. & utrunque intelligitur. Cū enim Dominus oues Petro commendaiſſet, & mortis genus prædixiſſet, quaſi omnia uno uerbo concludēs, ait *Sequere me.* id eſt eſto id quod fui, & uiuens, & moriēs, agē Paſtorem animarum dum uiuēs, & poſtea per crucis mortem, tranſi de hoc mundo, ad Patrem. & ne ſuſpicaremur hæc dici omnibus interrogatus de Ioanne, dicit. *Sic eum uolo manere, quid ad te tu me ſequere.* Ex actibus Apoſtolorum, & Epiſtola ad Galatas, habentur alia nouem prærogatiua Petri, & Duodecima eſt, Act. 1. ubi Petrus tanquam caput in unum conuocat Apoſtolos, & Diſcipulos, & unum eligendum eſſe docet in locum Iudæ. Decima tertia eſt Act. 2. Vbi poſt acceptum Spiritum ſanctum, Petrus omnium primus promulgat Euangelium, & prima illa concione tria millia hominum conuocauit. Decima quarta eſt Act. 3. Vbi primum miraculum in teſtimonium fidei à Petro fit, etſi enim Petrus, & Ioannes ſimul erant, tamē ſolus Petrus dixit claudo, *Argentum, & aurum non eſt mihi,* &c. & notat Ambroſius ſer. 69. merito Petrum, primum miraculum edidiſſe in pedum confirmatione, ut oſtenderet ſe fundamētū eſſe rotius Eccleſiæ. Decima quinta Act. 5. ubi Petrus tanquam ſummus, & diuinus iudex agnouit, & damnauit hypocriſim, & fraudem Ananiæ, & Saphiræ, & eos uerbo ſuo occidit. Decima ſexta. Act. 9. ubi dicitur. *Factum eſt cum Petrus tranſiret per omnes.* In quem locum Chryſoſtomus inquit. Quemadmodum Dux in exercitu ob ambulans, cōſiderat, quæ pars ſit coadunata, quæ ordinata, quæ ſuo aduentu egeat; uide ubique illum circumcurſare, & primum inueniri. Decima ſe-

ptima

ptima eſt Act. 10. ubi Petrus omnium primus incipit prædicare gentilibus, ſicut ipſe omnium primus prædicauerat Iudæis, & ipſi ſoli uiſio illa oſtenſa eſt, qua monebatur tempus eſſe prædicandi gentilibus, ubi etiam pulchrè ei dicitur, *maſta, & manduca,* nam capitis eſt manducare, & per manducationem traicere cibum in ſtomachum, & illum ſibi incorporare. Et ſi obiiciatur Philippum conuertiiſſe Eunuchum gentilem, Act. 8. Reſpōdetur illum non fuiſſe omnino gentilem, ſed proſelytum. i. conuerſū ad Iudaïſmum, unde ibat in Hieruſalem ad templum, & legebat Iſaiam. Nec etiam obſtat, quod dicitur Act. 9. quod Paulus loquebatur gētilibus, & diſputabat cum græcis, quia loquebatur & diſputabat cum illis, non eos ad fidem pertrahendo, ſed fidē ab eorum calumniis defendendo, Vnde ſubiūgit ibidem Lucas non eſſe aliquos conuerſos, ſed graue odium in Paulum excitatione, quæ facta eſt ſub Stephano perambulante uarias regiones euangelizando, nemini loquentes uerbum, niſi ſolus iudæis. primus ergo, qui prædicauit gentilibus, fuit Petrus. & hoc etiā ſignificat dubitatio Petri, reuelatio ei facta, & aliorum diſceptatio, aduerſus illum. Decima octaua eſt Act. 12. ubi pro Petro in carcere conſtituto, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia, ſic autem ſine intermiſſione nō legitur pro aliis, ut pro Stephano, aut pro Iacobo in eodem carcere conſtituto, ab Eccleſia oratum, unde etiam in ſigni miraculo eſt liberatus. Decima nona eſt Act. 15. ubi Petrus in Concilio primus loquitur, & ſententiā eius, Iacobus, omnes q̄ alii ſequuntur. Vigefima eſt ad Galat. 1. ubi Paulus dicit, Poſt tres annos aſcendi Hieroſolimam uidere Petrum, tanquam ſ. maiorem, & Principem Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ, ut exponunt Sancti. Præter has prærogatiuas ex diuinis literis, ſunt etiam alia octo, ex uariis auctoribus deſumpta. Vigefima prima eſt, quod Chriſtus ſuis manibus ex muliere ſolam Virginem matrem, ex uiris ſolam Petrum baptizauit, ut ſcribit Euodius Petri ſucceſſor in Epiſcopatu Antiocheno, & referunt Euthymius in cap. 3. Ioa. & Niceph. lib. 2. hiſt. c. 3. Vigefima ſecunda, quod ſolus Petrus à Chriſto Epiſcopus ordi-natus fuerit, ceteri autem à Petro Epiſcopalem cōſecrationem acceperint. ut probat Turris Crem. lib. 2. ſummæ de Eccl. c. 32. Vigefima tertia, quia Petrus primum hæreſiarcham, & principem, ac patrem omnium hæreticorum, qui poſtea fuerunt, Simonem. ſ. Magum detexit, & poſtea damnauit, & plane extinxit, decuit enim, ut Princeps, & pater Eccleſiæ, principem, & patrem

Cc om.

omnium hæreticorum superaret. Vigesima quarta, quod Roma potissimum Petrum sedem suam diuino iussu collocauerit; signum enim apertum principatus Petri esse uidetur, quod eum Apostoli ab eo in totum orbem mitterentur, Petrus ad ipsū orbis terrarum caput, & urbium reginā missus sit. Vigesima quinta, quod sub finem uitæ Petri, Christus ipse apparere, & roganti Domine quo uadis? respondere dignatus sit, Venio Romam iterum crucifigi, ut testatur Egesippus, Ambrosius, Athanasius, & Gregorius, citati à Bellarmino. Vigesima sexta est, quod solæ illæ Ecclesiæ semper sint habitæ Patriarchales, & primæ, quas Petrus fundauerat, & sunt Romana, Alexandrina, & Antiochena. In Hierosolymitana per annos fere quingentos, habitata est quæta Patriarchalis, & nomine, non re, honore, non potestate. unde in Concilio Niceno, can. 7. decernitur, ut Episcopus Hierosolymæ, habeat honorem, post Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, sed tamen nihil propterea detrahatur de auctoritate Metropolitani, qui erat Cæsariensis. Ratio autem numeri, & ordinis harum Sedium est, quia omnes tres fuerunt sedes Petri, sed Petrus Romanam per se usque ad mortem administravit, Alexandrinam per Marcum Euangelistam, Antiochenam per Euodium, & sicut Petrus maior est Marco, & Marcus Euodio, qui nec fuit Apostolus, nec Euangelista, ita Romana Ecclesia Alexandrinam, & Alexandrina, Antiochenam auctoritate, & dignitate superat. Vigesima septima est festum Cathedræ Petri, quod in tota Ecclesia celebratur, & uetustissimum esse constat, ex sanctis, qui de illo mentionem fecerunt, & ad populum sermonem habuerunt, nihil autem tale fit pro sedibus aliorum Apostolorum. Vigesima octaua est, quod antiqui in literis formatis, post nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nomen Principis Apostolorum adiungebant, de quibus Atticus Episcopus, ut in fine Conc. Chalcedonensis, & Optatus Mileuitanus, lib. 2. contra Parmenianum, & Conc. Mileuitanum.

Probatum quarto, Primatus Petri, multis sacrorum Conciliorum determinationibus, & auctoritatibus Patrum Græcorum, & Latinorum, quas superfluum est modo adducere, cum apud illos, qui hanc controuersiam tractarunt collectæ inueniantur.

Quod

De Ecclesiis Patriarchalibus.

Quod Papa Romanus Pontifex sit successor Petri cum plenitudine potestatis, & quod Episcopi non succedant Apostolis in plenitudine potestatis, sed in iurisdictionem habeant à Papa.

Cap. XIII.

Tertia conclusio. Necessarium fuit in Pontificatu, & in ueritate Ecclesiæ primatu, cum suprema Ecclesiastica auctoritate, aliquem succedere Petro, eius autem successor est solus Romanus Pontifex. Quod fuerit, & sit necessarium aliquem succedere petro in primatu totius Ecclesiæ, probatur primo, ex illis uerbis Christi, *Pasce oues meas*. quibus suis ouibus Pastorem instituit, pastoris autem officium est ordinariū, & ex natura rei, tandiu durare debet, quandiu durat ouile; sed ouile Christi manet, & manebit usque ad mundi consummationem; ergo necessarium est eo usque Petri successores in isto summo pastoralis officio manere. Et confirmatur, quia cum Dominus dixit Petro, *Pasce oues meas*. omnes suas oues ei commisit; & non solum omnes ratione loci, sed etiam ratione temporis, cum non minus nobis, quam antiquis Christus prospicere debuerit; sed petrus non erat semper uicturus in carne, ergo cum Dominus ei dixit, *pasce oues meas*. in illo omnes successores eius alloquutus est. Probatum secundo, ex fine pontificatus, & pastoralis officij, certum enim est Pontificem esse propter Ecclesiam, & non Ecclesiam propter Pontificem, Quod Christiani sumus, (inquit August. lib. de pastoribus, cap. 1.) propter nos est, quod præpositi sumus, propter uos est. sed Ecclesia non minus eget nunc uno pastore, quam tempore Apostolorum, imo magis, cum nunc sint plures Christiani, & peiores, & semper exurgant nouæ sectæ; & hæreses; non igitur moriente Petro debuit interire pontificatus, qui non in Petri commodum, sed in Ecclesiæ utilitatem institutus fuit, sed perseverare debuit cum ipsa Ecclesia: Probatum tertio, ex unitate Ecclesiæ; Ecclesia est unum corpus, & præter Christum habet etiam suum caput in terris, ut patet, i. cor. 12. ubi postquam dixit Apostolus, Ecclesiam esse unum corpus, subiungit. *Non potest caput dicere pedibus non estis mihi necessarij*. quod certe non conuenit Christo, qui nobis omnibus dicere potest, non estis mihi necessarij. Et confirmatur, quia Ecclesia est una, & eadem omni tempore, ergo si tempore Apostolorum erat unus su-

Tertia conclusio. Quod debuerit aliquis succedere Petro in officio.

Quod debuerit aliquis succedere Petro in officio.

premus rector, & caput Ecclesiæ, debet etiam esse hoc tempore, quia cum sit eadem, non debet mutari forma regiminis. Probatur tandem, quia in ueteri testamento erat successio Summorum Pontificum, at Sacerdotium ueteris testamenti fuit figura sacerdotii noui testamenti.

Quod Romanus Pontifex sit successor Petri.

Quod autem iste successor Petri sit Romanus Pontifex, probatur Apostolica traditione, Conciliis generalibus, Pontificum decretis, & Patrum consensu declarata. & probatur etiam ratione, quia nullus est, nec fuit unquam, qui se Petri successorem ullo modo asseruerit, uel pro tali sit habitus præter Romanum, & Antiochenum Episcopum, sed Antiochenus successit Petro in Antiocheno solum Episcopatu, Romanus uero in pontificatu totius Ecclesiæ, nam Petrus ad huc uiuens, & pontificatum gerens, Ecclesiam Antiochenam reliquit, & Romæ sedem suam fixit, ubi etiam mortuus est; Et tatum abest, quod Antiochenus Episcopus tenuerit primum in Ecclesia locum, quod Nicenum Concilium can. 6. tertium esse, sicut semper fuit, declarauit, nec unquam Antiocheni Episcopi altiorem locum quæsierunt. Cum ergo Romanus Episcopus successerit Petro per illius mortem, eidem in tota ipsius dignitate, & potestate successit, & Romanus Episcopatus eleuatus est ad Summum Pontificatum, ut illius Episcopus, sit eo ipso Summus Pontifex. Dubium tamen est qua ratione Episcopus Romanus successerit Petro in pontificatu. quod enim aliquis debuerit ei succedere, est ex Christi institutione, quare autem ei successerit potius iste Episcopus, quam alius, est dubium. aliqui dicunt hoc non esse ex Christi institutione, sed ex facto Petri, nam potuisset Petrus alibi suam sedem collocare, uel etiam nullam. Sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit primis quinque annis, quo casu moriente Petro, non successisset Romanus, neque Antiochenus Episcopus, sed ille quem sibi Ecclesia elegisset; sed quia Romæ sedem fixit, & tenuit usque ad mortem, factum est, ut Romanus Episcopus ei succedat. Alii melius dicunt Petrum CHRISTI iussu ita suam sedem Romæ collocasse, ut Romanus Episcopus ei succederet, nam Marcellus Papa in Epistola ad Antiochenos, & Sanctus Ambrosius in oratione contra Auxentium, & Athanasius in apologia pro fuga sua, dicunt Petram CHRISTI iussu Romam uenisse, & ibi martirium pertulisse. quomodo documque autem ei succedat, uel iure diuino, uel ex facto Petri, certum tamen est Romanum Pontificem, ex hoc, quod

Qua ratione Romanus Episcopus successerit Petro in pontificatu.

succedit Petro iure diuino esse pastorem, & caput totius Ecclesiæ, cum ipsa successio sit de iure diuino. Vnde etiam legimus, quod semper Romani Pontifices, etiam antiquissimi, omnes actus supremi Pastoris, & capitis, in cæteros Episcopos, & in uniuersam Ecclesiam exercuerunt, Episcopos in toto orbe instituendo, deponendo, restituendo, Concilia generalia congregando, & eorum decreta confirmando, leges uniuersos Christianos ligantes ferendo, per uniuersum orbem Vicarios, & Legatos mittendo, excommunicando Christianos ubique terrarum existentes, etiam Reges, & Imperatores; & quod ipsi in terris tanquam Supremi iudices, Ecclesiæ Principes, & Christi Vicarij à nemine iudicantur. Hæc ueritas Catholica etiam confirmatur innumeris decretis, & auctoritatibus, tum ipsorum Summorum Pontificum, sumpto principio ab ipso Clemente Petri discipulo, usque ad Pontifices nostri temporis, Tum multorum Sacrorum Conciliorum, tum antiquissimorum Patrum, & Gregorum, & Latinorum, quæ uideri poterunt apud illos, qui hanc controuersiam scripserunt.

Quarta Conclusio Episcopi non succedunt Apostolis in plenitudine potestatis, sed omnes suam iurisdictionem habent à Papa. Diximus omnes Apostolos habuisse immediate à Christo omnem iurisdictionem pro regimine totius Ecclesiæ, quam Petro concessit; illi que fuisse æquales; & quia Romanus Pontifex succedit Petro, diximus illum à Christo habere omnem iurisdictionem, quam habuit Petrus; nam successor ab eo habet plenam prædecessoris iurisdictionem à quo habuit prædecessor, alioqui non uerè succedit, sed alio ordine instituitur; Videri posset, quod Episcopi à Christo habeant illam iurisdictionem, quam habuerunt Apostoli, & sint æquales Summo Pontifici, cum August. in psalm. 44. dicat eos succedere Apostolis, imo etiam Concilium Florentinum in instructione Armenorum, & Concilium Tridētinum, sess. 23. c. 4. Sed dicimus esse maximam differentiam inter successionem Petri, & aliorum Apostolorum. Nam Romanus Pontifex succedit Petro, non ut Apostolo, sed ut Pastori ordinario totius Ecclesiæ, & ideo ab illo debuit habere pastoris iurisdictionem, à quo habuit Petrus; at Episcopi non succedunt proprie Apostolis, quia Apostoli non fuerunt ordinarij, sed extraordinarij, & quasi delegati pastores, & eorum iurdictio, & officium, morte spirauit, & talibus non succeditur; dicuntur tamē Episcopi succedere Apostolis, non proprie eo modo quo unus Episcopus, aut Rex alteri succedit, sed

Quarta conclusio.

Episcopi non eodem modo succedunt Apostolis quo Papa Petro.

primo, ratione sacri ordinis Episcopalis; secundo per quandam similitudinem, & proportionem, quia sicut Christo in terris uiuente, primi sub Christo erant Apostoli, deinde discipuli, ita nunc primi sub Romano Pontifice Christi Vicario sunt Episcopi, deinde Presbyteri. Et licet Episcopi in Ecclesia sint iure diuino, quia ordo, & principatus Ecclesie iure diuino est hierarchicus, & hierarchia non potest esse sine Principum multitudine, & diuersitate, secundum quendam ordinem collecta; & consequenter non possit Papa facere, quod in Ecclesia non sint Episcopi, tamen Christus ita Episcopatus instituit, *Et quosdam dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, & Doctores.* Ephes. 4. *Et Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. quod mediante Summo Pontifice illos ponit, & iurisdictionem tribuit; quare Episcopi suam iurisdictionem immediate habent à Summo Pontifice, quod etiam ostendunt uerba quibus utitur in illis creandis, sic enim dicit, *Prouidemus Ecclesie tali, de tali persona, & præficimus eum in Patrem, & Pastorem, ac Episcopum eiusdem Ecclesie, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Et probatur rationibus. primo, quia regimè Ecclesiasticum, est monarchicum, id est unius principatus, ut supra ostendimus, ergo omnis auctoritas est in uno. scilicet in Summo Pontifice, & ab illo in alios deriuatur, Vnde Cyprianus lib. de Unitate Ecclesie, comparat Sedem Petri capiti, radici, fonti, soli, nam in omni corpore uirtus membrorum deriuatur à capite, in omni arbore, uirtus ramorum oritur ex radice, in omnibus riuibus, aqua fluit ex fonte, & omnium radiorum solarium lux, est à sole. Secundo, ex inæqualitate iurisdictionum, nam si Deus immediate conferret Episcopis iurisdictionem, omnes Episcopi haberent æqualem iurisdictionem sicut equaliter habent potestatem ordinis; sed uidemus, quod unus Episcopus habet unum oppidum, alius multa, alius multas prouincias. & hoc non alia ratione nisi, quia ita placuit Romano Pontifici, qui iurisdictionem illis dedit. Tertio, ex hoc, quod Papa potest Episcoporum iurisdictionem auferre, & mutare, nam, ut ait S. Bernardus Epist. 131. ad Mediolanenses, potest Romana Ecclesia, novos ordinare Episcopatus, ubi hætenus non fuerunt, potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita ut de Episcopo Archiepiscopum creare liceat, & è conuerso si necesse uisum fuerit. hoc autem non posset si suam iurisdictionem immediate à Deo haberent, etiam si sub Pontifice illam à

Deo

Deo immediate habuissent, sicut habuerunt Apostoli sub Petro nam quia illam habuerunt immediate à Christo non poterat Petrus illam auferre, nec imminuere; sicut etiam potestatem ordinis omnes Presbyteri habent sub Pontifice, sed quia illam habent immediate à Deo non potest Pontifex eam ita tollere, ut si uelint, non consecrent, non obstante prohibitione, suspensione, & degradatione; quemadmodum etiam Episcopus non potest tollere, uel imminuere iurisdictionem à Papa clerico sibi subiecto concessam. Probatur quarto, ex figura ueteris testamenti, nam Num. 11. legimus, quod cum Moses non posset solus regere totum populum, Deus iussit eum eligere septuaginta seniores, & auferens de spiritu Moysis dedit illis, ut una cum Mose populum regerent; Vbi notandum est cum Aug. q. 18. in lib. Numeri, istam diminutionem spiritus à Mose, non significare diminutionem spiritus in Mose, quia tunc nihil profuisset Mose habere adiutores, si propterea ipse debilior factus esset, sed derivationem uirtutis seniorum à Moysi uirtute; uoluit enim Deus ostendere in Mose residere totam auctoritatem, alios autem si quam habent, à Mose habere. Constat autem Pontificem in Ecclesia eum locum habere, quem habuit Moses in populo Iudeorum. Concludamus igitur, quod Episcopi habent suam iurisdictionem à Christo, mediante Summo Pontifice, sed quia Episcopatus sunt ex Christi institutione, & Episcopi sunt Pastores ordinarij, eorum iurdictio non spirat morte Pontificis, sed ipsorum morte, uel quia ab eis à Pontifice auferitur; hæc enim est differentia inter caput naturale, & caput mysticum, quod membra corporis naturalis non possunt conseruari nisi continuum influxum à capite recipiant, at membra capitis mystici pendent quidem à capite, ut fiant, non ramen ut conseruentur illius capitis uita, à quo facta sunt. Nec obstat, quod multi fuerint, & sint ueri Episcopi, qui non fuerunt creati à Romano Pontifice, ut in Asia, Africa, India, quia omnes illi fuerunt, & sunt creati ab ipso mediante, per facultatem ab eo concessam Patriarchis, & Archiepiscopis illos creandi, & sic Petrus initio constituit Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum, qui à Pontifice auctoritate accepta, toti fere Asia, & Africe præerant, & Archiepiscopos creare poterant, qui postea Episcopos crearent.

quid signi-
ficet aufer-
re de spiri-
tu Moysi.

*Quod præcipuum in Ecclesia argumentum sit determinatio Papæ;
& quod ut Papæ, in decretis fidei, & morum, non
possit errare. Cap. XV.*

Quintacō
clasin.

Quinta conclusio, Præcipuum in Ecclesia argumentum ad probandas res fidei, & confutandos contrarios errores, est determinatio Summi Pontificis. Pro qua notandum est quinque esse media certissima, & infallibilia, ad probandas res fidei, quibus nullo modo potest subesse falsum, primum est Sacra scriptura, 2. Diuina, & Apostolice traditiones. 3. determinatio Summi Pontificis. 4. Vniuersaliū Conciliorum determinatio. 5. vnanimis omniū Sacrorū Doctorū consensus. Si autem hæc media inuicem cōferantur, cōparatio debet fieri inter Pontificiā determinationē, & Sacrā scripturā, & Traditiones, nā Cōcilia eatenus faciunt indubitātā fidē, quatenus sunt approbata à Papa, & unanimis Doctorū cōsensus, quia est argumentū Apostolicæ traditionis. Si autē illa tria inuicem conferantur, se habent sicut excedentia, & excessa, nam Papa subditur Sacræ scripturæ, & Diuinis traditionibus, & Sacra scriptura, & Diuinæ traditiones subduntur Papæ. cōstituto. n. quod aliqua doctrina sit sacra, & de illius uero, & legitimo sensu, similiter, & de diuinis traditionibus, Papa non potest aliquid in cōtrariū determinare, quia nō est supra ius diuinū. Sed quæ de scriptura, & traditionibus multæ oriūtur difficultates, prima an uerè sit script. sacra, & illius cui attribuitur. 2. an fuerit corrupta. 3. quis sit eius legitimus sēsus, similiter, & de traditionibus, an sint uerè diuinæ, & Apostolice. quas quæstiones nō possunt ipsa scriptura, & traditiones terminare, cū loqui nō possint. sed quo ad eas subdūt iudicio, & determinationi Summi Pōtificis; & in hoc sēsu intelligitur nostra conclusio, q̄ determinatio Pōtificis sit præcipuū argumētū, nā omnes hæretici innituntur auctoritati Sacræ script. & cū illā corrūpere, & deprauare conentur, impiè dicūt se illi^o uerū, & legitimū sēsu habere. Vnde Aug. ait Euāgelio nō credere, nisi auctoritas Ecclesiæ me cōmoneret.

Sexta conclusio.
Quod papa in determinationibus fidei nō potest errare.

Sexta cōclusio. Papa cū totā Ecclesiā docet, in his, quæ ad fidē pertinet, nullo casu errare potest. Diximus cū totā Ecclesiā docet, quia in rebus particularibus, & controuersis facti, errare potest, cum sepe falso informetur, & etiam moueatur, ut homo. potest etiam errare, ut doctor priuatus in quæstionibus iuris uniuersalibus, tam fidei, quam morum, idque ex ignorantia, ut

aliis

aliis Doctoribus interdum accidit, at quando aliquid determinat, ut Papa, & illud tanquā de fide toti Ecclesiæ credendū proponit, nullo modo errare potest. non addimus cū aliquibus dūmodo mature procedat, & audiat cōsiliū aliorū Pastorū; quia licet debeat mature procedere, & cōsultare viros doctos, infallibilitas tamē nō est in cātu cōsiliariorū, uel in cōcilio Episcoporū, sed in solo Papa. Probatur modo conclusio ex illa promissione Christi, Luc. 22. *Simon ecce Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Non potest hic locus exponi, cum Parisiensibus, quod Christus orauerit pro Ecclesia uniuersali, uel pro Petro, ut totius Ecclesiæ figurā gerebat, & nō immediate pro capite Ecclesiæ; nam immediate orauit pro Petro capite Ecclesiæ, & consequenter pro toto corpore. ut patet ponderando Christi uerba, quibus loquitur cū solo Petro, & de solo Petro, dicens, *Simon Simon, pro te, fides tua, & tu confirma fratres tuos.* Caperat etiam loqui in plurali, *Satanas expetiuit uos.* & statim mutauit formam loquendi, & ait, *Ego autem rogavi pro te.* Si autem rogasset pro tota Ecclesia, dixisset rogavi pro uobis: pro illo etiam orat, cui ait, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. si primū intelligitur de conuersione Petri post negationem, non potest conuenire toti Ecclesiæ, quia nunquā potest tota peruertere, ut postea iterū cōuertatur. Secundum etiā nō conuenit uniuersali Ecclesiæ, quia non habet fratres, sed filios. Nec etiam potest exponi, quod orauerit pro sola persona Petri, & non pro eius successoribus, nam causa huius orationis, & impetrationis, ut non deficeret fides Petri, fuit ut confirmaret fratres suos, & ita orauit pro Petro in utilitatem Ecclesiæ, quod non solum patet ex eo, quod subiungit, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. sed etiā ex eo, quod præmisit, *Satanas expetiuit, ut cribraret uos.* Sed Ecclesia semper indiget aliquo a quo confirmetur, cuius fides deficere non possit; non. n. diabolus petiit cribrare tantum eos, qui tūc erant fideles, sed omnes, & ita exponūt Lucius 1. Papa, & Martir, Felix 1. Leo 1. Agatho Papa, Nicolaus 1. Leo 9. Innocentius 3. & præter hos Pōtiffices Theophilactus, Petrus Chrysológus, Bernardus, quorum loca, & uerba uideri possunt apud Bellarminum, & hanc expositionem recipit uniuersa Ecclesia. Orationem autem personalem pro persona, & perseverantia Petri, & cæterorum Apostolorum, imo etiā omnium electorū, fecit Io. 17. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Illa etiam oratione, ita præcipue, & principaliter

liter orauit pro Petro, ut eius Vicario, & consequenter pro omnibus eius successoribus, ut non possint unquam, ut Christi Vicarij, aliquid docere contra fidem; ut etiam orauerit, & Petro impetrauerit, ne ipse unquam ueram fidem amittere posset, quod est amplius, quam quod pro omnibus electis orauit, ut donum scilicet perseuerantiæ haberent, nam donum perseuerantiæ, usque in finem, dicitur habere etiam ille, qui licet interdum cadat, tamen resurgit, & in fine fidelis inuenitur; & quod Dominus illa oratione impetrauerit etiam, ut ipse non posset amittere fidem, docent Aug. de cor. & grat. cap. 8. Chryl hom. 83. in Mat. Theoph. in cap. 22. Lucæ. & Prosper, primo de uocatione gentium, cap. ult. Et probabile etiam est, quod hoc priuilegium transferretur ad omnes successores Petri, nam licet Deus ex corde hæretico possit extorquere ueræ fidei confessionem, sicut quōdam posuit uerba in ore asinæ Balaam, & benedictionem, & prophetiam in ore Balaam cum populo Dei maledicere uolebat; & possit idem facere, quod Valenti Imperatori, qui cum uellet decretum scribere de eiiciendo S. Basilio è Ciuitate, sella in qua sedere solebat est cōfracta, & tribus ab eo calamis adhibitis ad scribendam exilij legem, nullus eorum reddidit atramentum, & cū nihilominus in proposito scribendi impium decretum persisteret, ipsius dextera dissolutis nervis contremuit; tamen suauis Dei dispositio requirere uidetur, ut ille, quem uult semper ueram fidem docere, & confirmare fratres suos, nunquam possit ueram fidem amittere; quod etiam ab euentu probant illi, qui hanc controuersiam tractant, quia hætenus nullus fuit hæreticus, uel certe de nullo probari potest, quod fuerit hæreticus; & quod huc usque factum non fuit, signum probabilissimum est fieri non posse, quod in moralibus est satis efficax argumentum. Nec obstat, quod aliqui timore mortis aliquē actum exterius infidelitatis fecerunt; quia non ob id fuerunt hæretici cum fidē corde retinuerint, & in actu infidelitatis non fuerint obstinati, sed respuerint, ut per singulos discurrendo ostendunt, qui hanc controuersiam tractarunt, & nouissime Bellarminus; quod etiā de Petro dicit Chrysost. exponens illam Christi orationem. Nō dixit (inquit) non negabis, sed ut non deficiat fides tua. & Theoph. in cap. 22. Lucæ, Quamuis (inquit) breui tempore cōcutiendus sis, habes recondita femina fidei, etiam si folia abiecerit spiritus inuadentis, radix tamen uiuet, & non deficiet fides tua. Verum Petrus quando Christum negauit, nondum erat Papa, sed solum ei promissus fuerat Pontificatus.

Septima

Probabile est, quod Papa, ut persona particularis nō possit esse hæreticus.

Septima conclusio. Papa non potest errare, non solum in decretis fidei, sed nec etiam in præceptis morum de his, quæ per se bona, uel mala sunt, & de rebus ad salutem necessariis, quæ toti Ecclesiæ præscribit. Ista conclusio satis probata est ex præcedenti conclusione, nā si uniuersæ Ecclesiæ præciperet aliquod uitium, uel bonum prohiberet, uniuersam Ecclesiam falsum in fide doceret; & si posset errare dum illi præcipit necessaria salutis, Deus Ecclesiæ suæ in necessariis desuisset, & prædicta Christi oratio efficax non fuisset, quia illius Vicarius conuersus ad fratres, in his, quæ sunt ad salutem necessaria, illos non confirmaret, sed seduceret, quod absit hoc unquam cogitare.

De argumento sumpto ab auctoritate Ecclesiæ; Quod Ecclesia, & uniuersalis, & particularis Romana, etiam considerata sine Papa, sed sub illo, non possit errare in rebus fidei, & morum.

Cap. XVI.

Quartus locus unde sumuntur argumenta ad probandum res fidei, est auctoritas Ecclesia, quæ in rebus fidei errare non potest; Multa de Ecclesia dici possent, sed ne digrediamur, solum de efficacia auctoritatis illius in confirmandis rebus fidei agemus, & dicimus argumentum ab illius auctoritate sumptum, firmam, & indubitatam fidem facere, cum errare non possit. Sed ut hoc melius explicemus, & probemus, octo subiiciemus conclusiones. Prima, Ecclesia in rebus fidei nullo modo errare potest. probatur primo, quia Ecclesia est congregatio omnium fidelium, in qua primum locum tenet Papa tanquam illius caput, qui (ut probauimus) errare non potest. probatur secundo. Matt. ult. *Ecce ego uobiscum sum, usque ad consummationem seculi.* 1. Timoth. 3. *ut scias quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei uini, columna, & firmamentum ueritatis.* Ioa. 16. *Spiritus sanctus docebit nos omnem ueritatem.* Ephes. 1. *Ipsium dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Mat. 16. *portæ inferi non preualebunt aduersus eam.* Secunda conclusio, Ecclesia sine Papa considerata, non potest errare. Ista conclusio est ad ostendendum quomodo non posse errare in fide, & rebus necessariis ad salutem, non conuenit Ecclesiæ ratione solius Papæ, quasi sit priuilegiū ipsius tantum, sed illi etiam conuenit per se, & est etiam illius priuilegium, ad sensum exponendum; & propterea cōsideratur modo

Septima conclusio. Quod nō possit, etiā orare in præceptis morum.

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

modo Ecclesia sine Papa, sub illo tamen, & non per recessione[m] ab eo, quia sic erraret, quod esse non potest. & probatur. Mat. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* portæ inferi non solum nõ præualebunt aduersus te, qui es petra; & pro quo orauit, ut non deficiat fides tua; sed nec etiam præualebunt aduersus Ecclesiam, quæ super te est ædificata, id est non præualebunt, nec aduersus caput Ecclesiæ, nec aduersus corpus eius, quod dicitur Ecclesia Ephes. 1. *Ipsam dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* ergo Christus tanquam caput debet assistere non solum Papæ, sed etiam Ecclesiæ, ut non errent in dogmatibus fidei, & morum. probatur etiam ex duabus sequentibus cõclusionibus, pro quibus notandum est, quod in hoc corpore Ecclesiæ sunt multi gradus, sed quatum ad præsens attinet, duos solum distinguemus; nam licet omnes sint oues respectu Papæ, qui est omnium Pastor, nihilominus alij qui ita sunt oues, ut sint etiã Pastores ouium ut Prælati inferiores, & curati qui habent curam animarum, alij sunt solum oues, & non Pastores, qui non habent curam animarum aliorum, ut sunt laici. Sit modo tertia conclusio. Omnes Pastores Ecclesiæ inferiores Papa, errare non possunt. Quarta conclusio, omnes fideles, qui sunt oues tantum, & non Pastores errare non possunt, intellige semper de errore in fide, & in his, quæ sunt necessaria ad salutem. Probantur Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum.* Christus dedit Ecclesiæ, quosdam Apostolos alios uero Euangelistas & hos, in principio, pro foundatione Ecclesiæ, pro omni autem statu Ecclesiæ, & toto illius tempore, *Dedit pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi.* Ergo in Ecclesia semper debent esse pastores, & doctores, & fideles, qui pascantur, & doceantur; & hoc, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in uirum perfectam, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, id est, usque ad finem mundi, & diem iudicij. Si autem possent pro aliquo tempore deficere à fide omnes pastores, & doctores inferiores Papa, quos Christus dedit Ecclesiæ præter Apostolos, & Principem Apostolorum & possent etiam deficere à fide, eodem uel alio tempore omnes

Tertia cõclusio.
Quarta cõclusio.

nes puras oues, Ecclesia esset aliquando cum solis pastoribus, & doctoribus, siue ouibus, uel cum solis ouibus sine pastoribus uel sine pastoribus, & doctoribus, & sine ouibus; quo casu etiã non esset Ecclesia, nam licet fides Papæ non possit deficere, tamen si ceteri omnes possent deficere à fide, cum unus solus nõ faciat Ecclesiam, est enim cõgregatio fidelium, posset etiam Ecclesia deficere, quod est hæreticum. Et confirmatur, quia Ecclesia (ut ibidem inquit Apostolus) est corpus Christi. s. mysticum, sicut autem non potest esse corpus humanum sine membris saltem principalibus, ita etiam hoc corpus Christi mysticum non poterit esse sine suis membris principalibus, quæ sunt caput. s. Papa, Pastores, & Doctores. s. Episcopi, & oues, quæ pascantur, & doceantur. s. laici, ergo cum hoc corpus mysticum, quod est Ecclesia non possit deficere à fide, non poterunt etiam ab illa deficere ista eius membra principalia, ut omnino aliquid eorum desit.

Quinta conclusio. Non posse errare in rebus fidei, & in illis, quæ sunt necessaria ad salutem definiendo, & præcipiendo, est priuilegium solius Papæ; priuilegium autem Ecclesiæ considerata sine capite, sed sub eo, & ut est ab eo dependens, quod non possit in eisdem errare, est, suscipiendo, ut nihil possit Ecclesia suscipere, & amplecti, quod sit contra fidem, & salutem. Et probatur primo, ex dicta auctoritate Apostoli, Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam Apostolos, & c. ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, ueritatem autem facientes in charitate, & c.* Vbi explicat, quæ sit assistentia infallibilis ex parte Ecclesiæ Spiritus sancti, ut errare non possit, ut. s. suscipiat Apostolicam doctrinam, ne circumferatur omni uento doctrinæ, ut ueritatem faciat in charitate. quod autem Pastores, & Doctores, licet debeant præcipere, & docere, se teneant ex parte corporis Ecclesiæ, quo ad priuilegium non errandi, patet, quia sunt oues, & Paulus illos posuit post Apostolos, & Euangelistas, quia illa debent docere, & præcipere, quæ Euangelium, & Apostolica Sedes docent, & præcipiunt, & Euangelio, & Apostolicæ doctrinæ sunt conformia. Nec obstat, quod Paulus non dicit Christum dedisse primo Summum Pontificem, deinde Apostolos, & c. nam dicendo, quod dedit primo Apostolos, Summum Pontificatum significat, nõ solum, quia Petrus fuit Apostolus, sed etiam, quia summa potestas Ecclesiastica, quæ data fuit Petro, ut ordinario pastori, cui perpetuo succederetur, data fuit etiam ex priuilegio

Quinta cõclusio.

gio aliis Apostolis, sed tanquam de legatis, quibus non succederetur, cum illos elegisset Christus, ut fundatores Ecclesiæ ad mittendum per uniuersum mundum, ut superius diximus. Probatur secundo. Lucæ 22. *Simon ecce satanas expetiuit uos, ut cribrauerit sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ut fides non deficiat ad effectum confirmandi fratres docendo, scilicet, statuendo, & præcipiendo Christus pro solo Petro rogauit. sed cum Satanas expetiuerit cribrare omnes fideles, pro illis etiam orauit, ut non deficiat fides eorum, sed mediante conuersione Petri ad ipsos, & eius confirmatione. Probatur tertio, quia sic existit natura rei, nam regimen Ecclesiæ est Monarchicum, id est unius principatus, & Princeps, pastor, & caput totius Ecclesiæ in terris, est solus Romanus Pontifex, Christi Vicarius, & Petri successor, ut probauimus, & est notissimū; Vnde Ecclesia constituitur exercitui ordinato, & ut inquit Hieron. in epist. ad Rusticum Monachum. in quamuis grandi exercitu, unius signum expectatur. Comparatur corpori humano cuius est unū caput, & mulieri speciosa; & sponsa, cant. 7. sponsa autem secluso uiro, unum habet caput totius corporis sui, unde Christus sponsus dicit ad Ecclesiam sponsam suam, Caput tuum sicut cernuus, qui est mons ingens, sed terreus; quia Summus Pontifex est ingens mons, sed purus homo, & sponsa ad sponsū, caput eius aurum optimum, quia caput Christi est Deus; Comparatur Regno, Dan. 2. & unius regni unus est Rex, Domui. 1. Tim. 3. cuius est vnus paterfamilias, Nani, & Arca Noe. 1. Pet. 3. cuius est vnus Gubernator, & Quili, Io. 10. de quo dicit Christus, fiet unum ouile, & vnus pastor. Sed Regis, Ducis, Gubernatoris, Capitis, Patris, & pastoris, est regere, gubernare, statuere, leges ferre; & populi, exercitus, nauis, membrorum, filiorum, & ouium est, regi, duci, gubernari, subdi, obedire, & pasci. Cum ergo solus Papa sit totius Ecclesiæ Pater, caput, & Pastor, & alii omnes de Ecclesiæ ei subdantur, ut filii, membra, & oues, ipsi soli conuenit proponere toti Ecclesiæ, quæ credenda, & facienda sunt, & consequenter ipsi soli conuenit priuilegium, ut non possit errare in rebus fidei, & morum, quæ determinat, statuit, proponit, & præcipit toti Ecclesiæ credenda, recipienda, obseruanda, facienda, uel omit-tenda. Ecclesiæ uero conuenit solum priuilegium, ut non possit errare in eisdem recipiendo, ut. si non possit recipere aliquid tanquam de fide, uel ad salutem necessarium, aut ad bonos mores pertinens, & uere non sit tale; aliis a Summo Pontifice pro-

Quod Ecclesiæ priuilegium secluso capite non fit ad determinandum sed ad suscipiendum.

ponentibus, & docentibus, nam ipse (ut diximus) non potest proponere, & præcipere toti Ecclesiæ nisi, quæ uera, & bona sūt. Et eo magis conuenit hoc priuilegium soli Papæ, quam Regi in suo Regno; nam Rex est a populo, a quo etiam suam iurisdictionem habuit; at Papa non a fidelibus, nec ab ecclesia, sed a solo Christo fuit institutus, & suam auctoritatem, & iurisdictionem habuit. Probatur quarto, quia si ecclesia considerata sine Summo Pontifice, haberet etiam priuilegium illius, ut non possit errare in determinatione eorum, quæ sunt fidei, & ad salutem necessaria, hoc eius priuilegium esset superfluum; sicut autem Deus non deficit in necessariis, ita etiam non abundat in superfluis; & quod esset superfluum probatur, quia priuilegium ei uere concessum, quod non possit errare in receptione, est concessum toti Ecclesiæ, & non multitudini, non solum laicorum, sed nec etiam clericorum, imo nec episcoporum; unde non solum una Prouincia, aut unum Regnum, sed etiam multa Regna possunt deficere a fide, ergo si ecclesia secluso capite habet etiam hoc priuilegium, ut non possit errare definiendo, & præcipiendo, illud multo magis toti Ecclesiæ conueniet, & non multitudini etiam episcoporum; ad unam autem in unum locum pro consultatione uniuersam ecclesiam est impossibile; Et confirmatur, quia determinare non est sicut recipere, nam ad recipiendum non requiritur coadunatio ecclesiæ, sicut requireretur ad determinandum si id ad uniuersam Ecclesiam pertineret. Nec obstat, quod dicitur Concilia generalia definiendo, & præcipiendo non posse errare, in quibus non sunt omnes de Ecclesia, nec omnes Episcopi, sed multi, qui uniuersam Ecclesiam representant. nam eatenus non possunt errare, quatenus in illis est auctoritas Papæ, non solum, quia ab illo congregata sunt, sed etiam quia in illis, & in omnibus, quæ geruntur intersunt, præsentent, & consensum præbent eius Legati; & nihilominus, quæ sic etiam in illis geruntur, non habentur firma, nisi accedat approbatio Papæ, uel per eius Legatos quos instructos misit, cum auctoritate confirmandi, uel postea per se, a quo Concilia humiliter confirmationem petunt. & si uel minimum a Summo Pontifice, uel eius Legatis subtrahuntur, errare possunt, sicut multa grauissime errarunt. quod igitur Concilia generalia definiendo, & præcipiendo non possint errare, est propter priuilegium concessum, non ecclesiæ, sed soli Papæ.

Sexta conclusio.

Sexta conclusio. Priuilegium Papæ, quod non possit errare, est proprium illius personæ determinatæ, ratione officij, quatenus est Papa; priuilegium autem Ecclesiæ est proprium uniuersitatis Ecclesiæ; & nulli certæ, & determinatæ personæ, nec ulli etiam certæ, & determinatæ Ecclesiæ particulari, nisi soli Romanæ, conuenit, sed quilibet particularis, & quælibet particularis Ecclesia, excepta Romana, diuisim, sed non simul omnes, potest deficere à fide. Cum Papa sit semper unus, & eius persona sit certa, determinata, & uisibilis, certum etiam est cui determinatè conueniat priuilegium Papæ, & quis debeat iudicare de rebus fidei, proponere, & præcipere toti Ecclesiæ, quæ necessaria sunt; de priuilegio tamen Ecclesiæ potest esse aliqua difficultas cui conueniat, quia licet sit uisibilis, est collectio multorum non solum singularium, sed particularium Ecclesiarum. ob quâ causam hanc posuimus conclusionem; & illa dicitur, & uerè est, & sola, Christi Ecclesia, quæ Summo Pontifici Romano adheret, illum, ut eius caput, & Christi Vicarium, ritinet, & ueneratur, illique subditur, & illius fidem amplectitur; hæc autem ita est diffusa per uniuersum mundum, ut in nullis certis personis, aut locis ita immobiliter sit, ut in eis deficere non possit, illis eam deferentibus, & satanicam sectam constituentibus, licet ore Christum, & Euangelium retineant, & se retinere profiteantur; non enim Christo credit, & ad eius Ecclesiam non pertinet, qui eorum, quæ Christus reuelauit, & Ecclesia docet, credit quæ uult; & uera quæ credit, non fide infusa, sed humana credit, quia sic ei uidetur; non solum igitur personæ particulares, sed etiam (ut experientia docet) integra membra Ecclesiæ, Prouinciæ, & Regna, in quibus sunt multæ Ecclesiæ particulares, possunt deficere à fide, & extra Ecclesiam fieri; sed quando deficiunt, ut nullus uideatur in eis esse catholicus, adhuc in illis locis adimpletur uerbum diuinum, & responsum quod dedit Deus Eliæ, quando dixit, *Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus; & querunt animam meam; sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia uirorum, qui non curauerunt genua Baal.* Rom. 11. Licet autem quælibet Ecclesia particularis possit deficere à fide; particulari tamen priuilegio Ecclesia Romana deficere non potest; potest quidem fidem deserere quilibet particularis, tam ex laicis, quam ex clericis, non tamen simul omnes, & qui Romano Pontifici adherent, ad Romanam Ecclesiam pertinent. Et quod Ecclesia Romana non possit errare in fide, docent Lucius, & Fe-

lix

lix Papæ, & Martyres: Agatho, & Nicolaus Papæ, & confessores, in eorum Epistolis, Lucii ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ, Felicis ad Benignum, Agathi ad Constantinum Imperatorem, & Nicolai ad Michaellem, docent etiam Cyrillus citatus à S. Tho. in catena Matt. 16. Ruffinus in expositione Symboli; Cyprianus lib. 1. epist. 3. Hier. lib. 3. Apologiæ contra Ruff. Greg. Nazianzenus in carmine de uita sua. Et Martinus V. in bulla quam edidit Concilio Constantiensi approbante, hæreticos haberi celsuit eos qui de Sacramētis, aut fidei articulis, aliter sentiunt, quam Romana Ecclesia sentiat. Et Sixtus 4. primū per Synodū Cōplutensē, deinde etiā per se damnauit articulos Petri oxoniensis, inter quos erat iste Ecclesia Romana potest errare. Causa huius priuilegij fuit, quia Romæ est Apostolica Sedes, & Romanus Episcopus est Christi Vicarius. nā sicut Romæ semper futurus est Pontifex, qui docēdo nō potest errare, ita etiā semper debet esse populus catholicè sentiens, & fidem sui Pontificis retinens, ut Romana Ecclesia habeat hoc priuilegium; solus. n. Pontifex non facit Ecclesiam, eum Ecclesia sint congregatio fidelium. Et licet aliæ omnes Ecclesiæ particulares possint errare, & deficere à fide, non tamen omnes simul, nam sicut Romanus Pontifex est caput totius Ecclesiæ, ita Ecclesia Romana est caput, & mater aliarum omnium Ecclesiarum particularium, caput autē non est unius tantum membri caput, & si Ecclesia Romana dicitur, & est caput aliarum Ecclesiarum, debent esse aliæ Ecclesiæ, tanquam membra, & filię, quia relatiuum non potest esse sine suo correlatiuo. Et confirmatur, quia in Ecclesia debent semper esse etiam successores Apostolorum, non quidem necessario in illis locis in quibus fuerunt Episcopi, & nullo etiam modo in plenitudine potestatis ex priuilegio, ut Ecclesiæ fundatoribus eis à Christo cōcessa, sed in Episcopali dignitate, ut sint plures Episcopi, de quibus Hieron. exponit illud. Psal. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* & Eph. 4. dicit Apost. quod Christus dedit Ecclesiæ, Pastores, & Doctores. & per Pastores intellexit Episcopos, ut idem explicat Act. 20. *Attendite uobis, & uniuerso gregi, in quo uos Spiritus Sanctus posuit Episcopos.* Concludamus igitur uniuersam Ecclesiam, & Ecclesiam Romanam non posse errare in dogmatibus fidei, & morum, & quod ipsa uniuersaliter credit esse uerissimum, uel quia Apostolica traditione id habuit, uel Summi Pontificis, aut Concilij generalis auctoritate, uel si aliquo priuato docente, Spiritu sancto tamen Ecclesiæ assistente, & illam illuminante, & ueritatem docente.

D d Ex

Ex quo sequitur argumentū ab auctoritate Ecclesie sumptū, ad probandū dogmata fidei, uel morū, & uerū Sacrae scripturae sensum, & ad confutandū, & damnandū contrarios errores, etiā si nulla extaret determinatio, esse efficacissimū, & facere indubitatam fidem, Vnde August. epist. 118. disputare contra id quod uniuersa Ecclesia sentit, insolentissimæ infantiæ esse dicit.

De auctoritate Sacrorum Conciliorum, quomodo eis conueniat non posse errare, quod non sint supra Papam, quod ab eo debeant confirmari, & quid si Papa esset hæreticus. Cap. XVII.

Quintus locus ex quo sumuntur argumenta est Sacrorum Conciliorum determinatio; de Conciliis multa dicuntur à Doctoribus, qui de illis tractāt; ad propositum autē nostrū solū pertinet tractare de illorum auctoritate, & dicimus Cōcilia esse magnæ auctoritatis, cū multi uiri doctissimi ad illa cōueniant; infallibilē autē assistentiā Spiritus sancti, ut errare nō possint, nō habent nisi ratione Summi Pontificis, & in tantū faciunt firmā fidē, in quantū sunt ab eo approbata; & illa quæ sunt approbata, in eo, quod sūt approbata, (nam aliqua approbantur in totum, aliqua ex parte) nullum continent errorem, siue sint generalia, siue prouincialia, siue diœcesana. Diœcesana, & Prouincialia errare possūt; sed dubium est de Generalibus, cum Vniuersam Ecclesiam representent, quæ in dogmatibus fidei, & morum errare non potest. Certum est Ecclesiam non posse errare, ut probauimus, certum etiam est Cōcilia generalia uniuersam representare Ecclesiam, sed non ita illam representant, ut seclusa auctoritate Papæ errare non possint; Ecclesia non potest errare in dogmatibus fidei, & morum, suscipiendo; Papa determinando; Concilia generalia celebrantur ad determinandum, & ad recipiendum determinata, & cum priuilegium Ecclesie, ut non possit errare, non conueniat multitudini fidelium, & etiam Episcoporum, sed ipsi Ecclesie, quæ semper Papæ subditur, Concilia generalia eatenus representant Ecclesiam, & non possunt recipiendo nomine Ecclesie errare, quatenus subduntur Papæ, & illi obediunt; ex quo sequitur, quod aliter est hoc priuilegium in Ecclesia, aliter in Concilio representante Ecclesiam; nam cum Ecclesia ita subdatur Papæ, ut ab eius fide, & obediētiā discedere nō possit, habet infallibilē assistentiā Spiritus sancti, ut non possit recipere ali-

Quomodo representent Ecclesiam.

aliquod dogma, quod sit contra fidem, aut bonos mores, & omnia, quæ recipit sint fidei, & bonis moribus cōformia, etiam si de illis nulla sit determinatio. Concilia autem generalia, quia possunt discedere ab obedientia, & fide Papæ, eatenus representant Ecclesiam, & nomine Ecclesie habent illius priuilegiū, quatenus subduntur, & obediunt Papæ, Quatenus autem congregantur ad determinandum, cum non posse indeterminatio- ne errare sit priuilegium solius Pontificis, certum est, quod eatenus non possunt errare, nisi quatenus in illis interuenit auctoritas, & approbatio Papæ; Et confirmatur, quia magis representant Ecclesiam, quam Papam, sed non habent priuilegium Ecclesie, nisi quatenus subduntur fidei, & obediētiā Papæ; ergo multo minus habebunt priuilegiū Papæ, nisi quatenus in illis interuenit eius auctoritas, & approbatio. Requiritur igitur ad Concilia generalia, ut non errent, primo, ut congregentur à Papa. 2. ut Papa per se, uel per suos Legatos intersit, & præsit. 3. ut nihil determinetur nisi presentibus, & approbantibus Legatis. Et si Legati habent Papæ instructionem, & facultatem, illa eius nomine approbandi, & confirmandi, illis confirmantibus firmant, & nullus est in decretis error, si autem non habent hanc instructionem, requiritur. 4. approbatio Papæ. Vnde uidemus, quod Concilia, ea quæ statuerunt, & determinarunt mittunt ad Pontificem, ut illa confirmet, qui illa cōfirmare, uel reprobare potest, ut patet ex Gelasio in epist. ad Episcopos Dardaniæ, & ex Nicolao in Epist. ad Michaelēm, & ex præxi Conciliorum, petentium confirmationem; Et probatur ratione, quia firmitas Concilii nascitur ex consensione, & coniunctione corporis cum capite, ergo quousque caput non aperuerit suā sententiā, non est firmū etiā si in eo præsent Legati nomine Pontificis, quia reuera non sunt Pontifices, & non habent illius priuilegiū, ut non possint errare, & non sunt missi cum instructione, & facultate confirmandi. Et confirmatur, quia sententia huius Concilii, non est ultimum iudicium Ecclesie, esset autem ultimum, & irremediabile, si non posset errare, & superflua esset Pontificis approbatio. Exemplū habetur de Concilio Basiliensi, quod una cum Legato Pontificis, communi consensu, statuit Concilium esse supra Papam, quod certe nūc iudicatur falsum, & erroneū, & Nicolaus V. nō confirmauit omnia in eo gesta, sed illa solum quæ egerat circa beneficia, & censuras Ecclesiasticas; id autem, quod de Concilii auctoritate supra Pontificē definiuit, nullus Pontifex approbavit, sed reprobaui expresse Eugenius, ut patet ex

Qua ratione habeant priuilegium Papæ.

Quæ requiratur, ut non errent.

eodem Concilio Basiliensi sess. 38. deinde Leo. x. in Concilio Lateranensi, sess. 22. & tota Ecclesia, quæ Eugenium à Basileensibus depositum, semper habuit pro uero Pontifice, & ipsi etiã Basileenses, & Felix Papa, quem ipsi creatur; nã Felix tandẽ cessit Nicolao Eugenio successore, & Basileenses tandẽ se se Nicolao subiecerunt, ut testatur Nicolaus in Bulla eidẽ Concilio annexa. Nec obstat, q̄ in eis dicitur ante cõfirmationẽ, anathema cõtrarium s̄tientibus; nã id intelligitur uim habiturũ, si fuerit à Pontifice confirmatũ, sicut quando Iudex à quo appellari potest, fert sententiã mortis in aliquẽ, intelligitur illum debere mori, nisi Princeps sententiam retractet. Ex quo sequitur, quod multo magis poterunt errare Cõcilia, in quibus aliquid statuitur contradicẽtibus Legatis Apostolicis; & adhuc multo magis illa, quæ sine auctoritate Papæ congregantur, sicut de facto errarunt, ut Ariminense sexcentorum Episcoporum, Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo 338. Episcoporum, Pisanum, & alia.

Obiectio-
nes cum
solutioni-
bus.

Sed contra prædictã difficultatem facit, quia Concilium uideretur esse supra Papam, nam in aliquibus casibus potest ab alio quam à Papã, & contra Papam iudicari, ut si Papa nollet illud iudicare, quando esset necessarium Ecclesiæ, Si Sedes uacaret. Si esset schisma ad declarandum quis sit uerus Papa, & alios deponendum, Si Papa esset hæreticus, ad illum deponendum, & consequenter uideretur, quod auctoritas Concilii non sit à Papa; & quod non posse errare, Concilium habeat ex se, & non à Papa; etiã sumptum sine Papa præsidete per se, uel per suos Legatos. Ad quod responderetur Papam simpliciter, & absolute esse supra uniuersã Ecclesiã, etiã simul cõgregatã, & non posse subiacere se Cõcilio, quo ad iudiciũ coactiuũ, & consequẽter in Ecclesia, uel in Cõcilio, nõ esse sũmam potestatẽ Ecclesiasticã, remoto Papa, nec formaliter, nec suppletive, q̄ ex superioribus satis probatũ est, cũ sit Christi Vicarius, Caput, & Pastor omniũ omniũ, & totius Ecclesiæ; q̄ non esset, non solum si maior in Ecclesia esset potestas, sed etiã si æqualis. Et quod ista potestas non sit etiã in ea suppletive, probatur, quia summa Ecclesiastica potestas, non est data ab Ecclesia sicut imperialis, & regia, data est à populo, sed est in solo Christo, quam naturaliter habet, ut Deus, & ut homo à Deo, & est etiã in illo cui Christus communicauit, illam autem dedit soli eius Vicario, ut probauimus; ergo Ecclesia secluso CHRISTI Vicario, illam nullo modo habet, neque formaliter, ut in ea sit principaliter, & in Papa instrumentaliter, neque suppletive, ut illius

offi-

officium suppleat, si deficeret per mortem naturalem, aut ciuilem; ut sic unum sit simpliciter corporis Ecclesiæ, caput; & corpus sit solum corpus, & non etiam caput; unus sit ouium Pastor & oues supremi pastoris officium non assumant, & domus nõ uertatur in sui ipsius fundamentum. Quod autem non possit se ipsum subiacere sententiæ coactiue Concilii, probatur, quia potestas Papæ iure diuino est super omnes, & iudiciũ in causa Papæ est reseruatũ Deo; ergo non potest iudicium superiori reseruatũ inferiori cõmittere, & supra se ipsum cõstituere illos, qui iure diuino sunt sibi inferiores, & subditi. Vnde Concilium Sinuesianũ, ad quod Marcellinus, cum deorũ simulachris, terrore perterritus, tus adhibuisset, cilicio indutus accessit, ibiq; lachrymis profusus, scelus suum palam, confessus est; una omniũ uoce respondit, Tuo te ore, non nostro iudicio iudica, nã prima sedes à nemine iudicatur. Sed notandum est, in perfecto iudicio duo reperiri, primo potestatem discutiendi causam, & discernendi, ac iudicandi, quid agendum sit; secundo potestatem cogendi eum, qui cecidit causa, ad obtemperandum sententiæ contra se latæ, utrunque inuenitur in iudice proprie dicto, qualis est Princeps, & Prætor à Principe constitutus. Primum autem solum, reperitur in arbitris, quorum sententiæ licet homines teneantur stare ex iure naturæ, quia tenentur seruare promissa, non tamen ex uoluntate, quia non possunt arbitri cogere. Papa non potest iudicem proprie dictum supra se constituere, ut probauimus, potest tamen constituere arbitros quorum sententiæ obtemperare debet si illi iusta uidebitur, sed non poterit ab eis cogi, ut patet ex Sixto 3. Leone 3. Symmacho, Leone 4. & aliis, qui cum accusarentur, causas suas in Concilio Episcoporum discuti uoluerunt, quos tamen Episcopi iudicare auctori non sunt.

Si autem Papa fieret hæreticus (quod ex priuilegio ei cõcesso accidere non posse pie creditur, quia tamen non repugnat, & conditio nihil ponit in esse, id modo supponamus, sicut etiam canones supponunt, d. 40. cap. si Papa) hoc casu posset ab Ecclesia iudicari, & deponi d. cap. si Papa. quomodo autem id possit dubium est, cum Papa humano iudicio non subiiciatur. Turris Cremata dicit, quod cum omnes hæretici sint extra Ecclesiam, Papa etiam per interiorem tantum hæresim esset extra Ecclesiam, & à Deo depositus, & Ecclesia posset declarare eum depositum iure diuino, & illum de facto si recusaret, deponere; Caietanus dicit Papam hæreticũ manifestum, nõ esse ipso

Dato, Papa sic hæreticus qua auctoritate sit deponendus.

D d 3 facto

facto depositum, sed posse, ac debere deponi ab Ecclesia. Sed media sententia est tenenda, quæ depēdet ex solutione alterius quæstionis; an omnes hæretici sint extra Ecclesiam; quod manifesti hæretici, sint extra Ecclesiam; & omni careant ipso facto Ecclesiastica iurisdictione, certum est; cum Apostolus dicat eos circa fidem naufragauisse, & uitandos esse, & Concilia statuunt hæreticos pœnitentes posse recipi in Ecclesiam, & Patres id doceant, ut Ireneus, Tertullianus, Cyprianus, Hieronimus Augustinus; & ratio suadeat, est enim Ecclesia unio fidelium, & ista unio præcipue consistit in professione unius fidei, & earūdem legum, & rituum obseruatione. De occultis tamen hæreticis est dubiū, sed communis, & tenenda sententia est, quod non sint extra Ecclesiam, licet in ea sint externa tantum coniunctione; & ratio est, quia Ecclesia iure diuino est certa, & uisibilis, ad quam est confugiendum, & quæ audiēda est, & propterea licet eius unio, quo ad internam membrorum coniunctionem, pendeat ex fide, & quo ad eorundem uiuificationem, pendeat ex charitate, tamen quia fides, & charitas sunt uirtutes internæ, & corporeis oculis non cernuntur, ideo quo ad Ecclesiasticam iurisdictionem, ut firma sint, quæ in Ecclesia statuuntur, & fiūt, est alia unio externa, & uisibilis in exteriori fidei, & Christianæ religionis cultu; ob quam causam hæretici occulti hac externa unione pertinent ad Ecclesiam, & Ecclesiasticam iurisdictionem retinent, & quæ ab eis fiunt, non ipsorum, sed Ecclesiæ fauore, etiam apud Deū, & in conscientia tenent. alias enim iudicium Ecclesiæ redderetur incertum, & Ecclesia esset inuisibilis, nam de quolibet in particulari dubitari posset, an uerè corde ita credat, sicut externe se credere profiteretur, unde ex Alex. 1. 1. in cap. Audiuimus, dicitur, si autem ex corde suo nouam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cepit, neminem damnare potuit, & Celest. in Epist. ad Clerum Constantinopolitanum, & in altera ad Ioan. Antiochenum, & Nico. 1. in Epist. ad Michaelē, dicunt, Episcopum hæreticum ex quo suas hæreses prædicare cepit, neminem potuisse soluere, uel ligare; Ex quibus sequitur Papam hæreticū occultum esse de Ecclesia, & uerum Papam, & plenam retinere iurisdictionem, & infallibilem Spiritus sancti assistentiam habere, ut in determinationibus fidei, & morum, quas facit, ut Papa, errare non possit, Manifestum uero hæreticum, per se desinere esse Papam, & Caput, sicut per se desinit esse Christianus, & membrum Ecclesiæ, & ideo posse ab Ecclesia iudicari, & puniri, nec ob id sequi Ecclesiam, aut Concilium esse supra Papam.

Ad

Ad id autem, quod de congregatione Conciliorum in dictis casibus sine auctoritate Papæ obiicitur, respondemus, quod in nullo casu sine Pontificis auctoritate potest conuocari Concilium uerum, & perfectum, quod habeat auctoritatem definiendi quæstiones fidei, de quo nos loquimur; quia hæc auctoritas est in Papa, poterit tamen in illis casibus congregari Concilium imperfectum, contra Papam suspectum de hæresi, uel hæreticū; ut uideatur, an sit uere hæreticus, & ut Ecclesia, casu quod sit hæreticus, sibi prouideat de capite, & istud Concilium imperfectū fieri potest, si uel iudicatur a Collegio Cardinalium, uel ipsi Episcopi per se in unum locum conueniant. quam potestatem habet Ecclesia, quod sufficit; licet non ob id possit statuere, & determinare ea, quæ ad solum caput pertinent, nam eligendo legitime Caput, non dat ipsa illi auctoritatem, sed Christus, cuius ipso facto est Vicarius.

*De argumentis sumptis à ratione naturali, ab auctoritate
Sanctorum, & Scholasticorum.
Cap. XVIII.*

P Rædicta argumenta ad sensum expositum faciunt in rebus fidei, & morum firmam fidem; præter quæ sunt etiā alia argumenta probabilia à quibus breuiter nos expedimus, Primum est sumptum à ratione naturali, quod argumentum non est proprie theologicum, nec est sufficiens ad probandum res fidei, non quod fides rationi naturali repugnet, sed quia est eorum, quæ tanquam diuina, sunt supra naturam: unde, qui rationibus naturalibus uult probare res fidei, derogat ipsi fidei, quasi rationi subdatur, & infideles à fide auertit, dum uident rationibus insisti, quas ipsi facile soluunt; nec ob id reiicendæ sunt à Theologia rationes naturales, nam sunt utiles & necessaria, fides enim, & Theologia est de Deo, & de illis, quæ ad æternam beatitudinem consequendam sunt necessaria, hæc autem sunt in duplici differentia, quædam enim lumine, & ratione naturali cognosci, & probari possunt, ut quod sit Deus, quod sit infinite uirtutis, quod sit agens liberum, quod habeat curam, & prouidentiam horum inferiorum, quod anima rationalis sit immortalis, quod habeat liberum arbitrium, quod homo debeat malum relinquere, & bonum sequi, quod aliis facere debeat, quæ sibi uult fieri; huiusmodi etiam sunt uirtutes morales, quæ ad moralem philosophiam pertinent. & quo ad ista

Dd 4 pos.

Quod in quibusdā casibus possit congregari concilium imperfectū, sine Papa.

Rationes naturales quomodo sint adhibende pro rebus fidei.

Quod hæretici occulti non sint extra Ecclesiam.

possimus rationes naturales adducere, non solum ad declarandum, sed etiam ad probandum, & demonstrandum, & cōuincendum infideles, nos tamen tāquam fideles etiam quo ad ista debemus principaliter inniti lumini fidei, & Sacre scripturę, & Ecclesię auctoritati, quibus rationes malè intellectę, explicandę, & corrigendę sunt, nostra enim certa, & infallibilis regula, cui nō potest subesse falsum, est fides catholica. Alia sunt, quę naturam, & naturale lumen excedunt, ut Sanctissimę Trinitatis mysterium, Verbi Incarnatio, Sacramenta, gratia, & huiusmodi, & ista (ut diximus) ratione naturali probari non possunt: uerum quia gratia non destruit naturam, sed perficit, & ea quę sunt supra naturam non sunt naturę cōtraria, sed consona, rationes naturales, quę fidei nō derogāt, si ad ista probandum, & demonstrandum assumantur; fidei inseruiunt, & sunt maxime utiles, si tanquam probabiles sumantur ad ostēdendum mysteriorum fidei conuenientiam, & quod naturę non repugnēt, sed illā perficiāt, & quod omnia philosophorum, & infidelium argumenta cōtra mysteria, & dogmata fidei, sūt sophistica, & nullius momenti.

De Sanctorū auctoritatibus.

Quando omnes cōueniunt aliquādo faciunt firmam fidē, aliquādo non.

Aliud argumentum est ab auctoritate Sanctorum, quod est grauissimum in theologia, & aliquando est efficacius illo, quod sumitur à ratione naturali, & eo indubitanter probatur aliquid esse de fide, quando. s. omnes simul conueniunt in explicatione alicuius dogmatis fidei, uel Sacre scripturę auctoritatis, nam Sanctorum omnium sensus, est sensus ipsius Spiritus sancti. At si omnes simul conueniant in unam, & eandem sententiā, de re, quę non pertineat, ad fidem, eorum auctoritas facit argumentum probabile, sed non certum, & omnino concludens, & rei ueritas potest esse in contrarium, nam in huiusmodi quæstionibus Spiritus Sanctus non ita eis assistit sicut in dogmatibus fidei, & uera Sacre scripturę intelligentia, sed permittit, quod loquantur ut homines, ex proprio sensu, Vnde Vincentius Lirenensis in libro aduersus prophanas nouationes inquit, *Antiqua sanctorum patrum consensus non in omnibus diuinę legis quæstiunculis, sed solum in fidei regula, magno nobis studio, & inuestiganda est, & sequenda.* & hoc magna Dei prouidentia, ut sic ostendat, quod nunquam deficit in necessariis, & ita quo ad illa non permittit omnes simul errare; Vt hominum superbiam retundat, ne proprio nitantur iudicio, & se errare posse sciant, dum Sāctos etiam omnes, uident in non necessariis, ueritatem ipsam non esse assequutos, Vt ostendat, quod Ecclesia semper proficit, & magis illustratur, iuxta uerbum Christi. *Multi habeo uobis dicere, sed non potestis*

testis portare modo. quod uidemus in nouis Ecclesię determinationibus contra insurgentes hæreses. Vt etiam ostendat unum solum esse in Ecclesia ad quem pertineat iudicare, & determinare de rebus fidei, summum. s. Pontificem, nec aliam esse certam regulam, etiam si sit unanimitas omnium Sanctorum consensus, nam licet ei in rebus fidei necessariis non possit subesse falsum, ad Pontificem tamen spectat iudicare an ille omnium consensus, sit de aliquo fidei dogmate, an uero de alia re non necessaria, cui possit subesse falsum: huiusmodi fuit quęstio de Immaculata Beate Virginis Conceptione, nam Sancti omnes, qui in eius rei mentionem incidunt, uno ore asseruerunt illam in peccato originali conceptam fuisse, ut dicunt, & citant (licet falso, ut ostendemus libro sequenti, c. 21. sed id eis modo concedamus) qui illius sunt sententię, & tamen, fere omnes modo tenent sine peccato fuisse conceptam, & illius conceptionem tanquam sanctam, & immaculatam celebrant. Quando autem Sancti in rebus, quę ad Sacras literas, & fidei doctrinam pertinent non omnes conueniunt, non faciunt firmam fidem, sed iuxta diuersos illorum sensus, sunt diuersę sententię probabiles; Et licet ut plurimum, illę sint probabiliores, quę plurimum Sanctorum auctoritatibus confirmantur, nihilominus aliquando pauciorum, imo unius Sancti sententia præualet, Deo propter causas superius dictas, sua prouidentia sic permittente. Exemplum sit de diebus in quibus Sacra scriptura dicit à Deo omnia creata fuisse, nam fere omnes Sancti asserunt non fuisse simul omnia à Deo eodem die creata, ita tenent Bas. Euf. Chryso. Damasc. Ambr. Greg. Hier. & alii, & tamen contraria unius Augustini sententia, quod. s. simul omnia fuerit à Deo creata, & quod illorum dierum descriptio, sit ad exprimendum ordinem, & rerum distinctionem semper in Ecclesia habita est probabilis. Cum autem Sanctorum auctoritas siue paucorum, siue plurium ad ea probandum adducitur, quę ex naturali ratione pendent, tantum ualet, quantum ei consonat ratio naturalis.

Quando nō omnes cōueniūt.

Tertium argumentum est sumptum ab auctoritate Scholarum, quod est probabile, & quando omnes conueniunt in re graui, eis contra dicere est temerarium, in rebus uero fidei, & morum, si non est hæresis, est proximum hæresi. quando discordant idem dicimus, quod, & de Sanctis. Alia argumenta ab auctoritatibus Philosophorum, & humanarum historiarum, sunt probabiliora, & debiliora. Qui plura desiderat uideat *Canon de locis Theologicis.*

De auctoritate scholarum & aliorum.

De

De secta Mahumectana. Cap. XIX.

Secta Mahumectana est distincta ab aliis Gentilium, Iudæorum & Hæreticorum, & propterea uidebatur contra illam in particulari agendum esse; sed quia est quedam collectio quorundam errorum aliarum sectarum, & illa, quæ tanquam propria addit, partim impossibilia, partim fabulosa, partim inhonesta esse constat, sicut etiam constat, quod non uel & efficacia doctrinæ, sed terrore armorum, & licentia carnaliter uiuendi, dilatata uiguit, & uiget in solo tamen oriente, Deo permittente propter peccata nostra, de illa particulariter tractare superfluum esse iudicauimus, præsertim cum superioribus argumentis, & notis Ecclesiæ illius falsitas, & impietas euidenter conuincatur. Qui autem scire desiderant, quæ sint leges, qui ritus, quæ obseruationes, quæ sacrificia, quæ miracula, seu ut proprius loquar figmenta, & deliramenta, quæ hominum distinctio, quis auctor, quod principium, quis, & qualis progressus fuerit, & quæ beatitudo impiæ Mahumectanorum sectæ, legant tractatam quinque libris distinctam M. Angeli Pientini à Corfignano quem contra illum anno superiori in lucem edidit, qui sicut fuit doctissimus, & religiosissimus, lumen, & splendor Illustrissimæ Prædicatorum familiæ, ita etiam doctissime, & piissime scripsit: dum Mahumectanos, ut conuertantur efficacissime confundit, fideles in Christiana religione confirmat, docendo mouet, idque tanta uetustate, & historiarum uarietate, ut etiam delectet.

T E R-

TERTIAE PARTIS DE OFFICIO SACERDOTIS.

LIBER TERTIVS.

De Præcipuis Dogmatibus Christianæ Religionis.

De Sanctissima Trinitate.

*Confutatio errorum ex Symbolo Athanasii, qui fuerunt contra Sanctissimæ Trinitatis Mysterium.
Cap. Primum.*



STENSA contra Fidei hostes ueritate Christianæ Religionis, de præcipuis illius mysteriis, est nobis nunc breuiter agendum, sumpto principio à Deo Trino, & Vno. Deum esse, & unum esse, Lib. 1. cap. 4. huius Tertiæ Partis ostendimus; non est autem ita intelligendum, esse unum, ut nulla sit cum illa summa Dei unitate pluralitas, sunt enim tres in una diuinitate personæ. Patris, scilicet, Filij, & Spiritus sancti; nam ut inquit Athanasius in suo Symbolo. *Fides catholicæ hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate ueneremur.* Per unitatem naturæ, ut inquit Damascenus, libro 1. de fide ortho. cap. 7. aboletur error gentilium, asserens multos Deos; per Verbi, & Spiritus sancti receptionem, iudæorum tollitur dogma, ex utraque enim secta nobis accidit utilitas; ex iudaica opinione, naturæ unitas; ex gentilica uero, solæ personarum discretio; nam iudæi unam essentiam in una persona asserunt, gentiles plures essentias in pluribus personis. Ex quo Trinitatis nomen desumptum est; dicitur enim Trinitas, quasi trium unitas. Nec solum gentiles, & iudæi huic Sanctissimæ Trinitatis mysterio aduersantur, sed etiam heretici, qui uerbis quidem Trinitatem fatentur, cum in sacris literis, quibus

bus se credere profitentur, inueniatur expræsa, uerum ita scripturam sacram ad suam ipsorum perditionem peruertunt, ut re ipsa Trinitatem negent. Arius enim processionem, quam in Deo scriptura ponit. Io. 7. *Ego ex Deo processi*, & personarum nomina indicant, accepit secundum quod effectus procedit à causa, dicens filium procedere à Patre sicut primam eius creaturam; & Spiritum sanctum procedere à Patre, & filio, sicut utriusque creaturam; & ita secundum ipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum esse uerum Deum. Sabellius hanc processionem accepit secundum quod causa procedit in effectum, in quantum uel ipsum mouet, uel similitudinem suam ipsi imprimit, dicens, Deum Patrem dici Filium, secundum quod carnem assumpsit ex Virgine, & eundem dici Spiritum Sanctum, secundum quod creaturam rationalem sanctificat, & ad uitam mouet. Vterque igitur accepit processionem, secundum quod est ad extra, & neuter posuit processionem, & Trinitatem in ipso Deo; nam Arius ita asseruit tres personas, ut essentia unitatem negauerit; Sabellius essentia unitatem posuit, sed personarum distinctionem negauit, dum uoluit unam esse personam, quæ plurium personarum nomina sumit, non secus, ac in commediis fit.

Contra quos Athanasius Symbolum suum edidit dicens, *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate*, contra Arium, & *Trinitatem in unitate ueneremur*, contra Sabellium, *Neque confundentes personas*, ut Sabellius, *neque substantiam separantes*. cum Ario. Non enim est sola una persona, ut noluit Sabellius, sed alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. ita tamen, ut non differant essentia, ut impie asseruit Arius; nam *Patris, & Filii, & Spiritus sancti, una est Diuinitas, equalis gloria, coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus*. Quid diceret Arius de Patre, quem uerum Deum affirmat? utique omnem imperfectionem, quæ in creatura reperitur ab eo remoueret, & cum sit triplex creaturæ imperfectio, una, quia causam habet; altera quia est circumscripta loco, & in se limitata, tertia quia durationis suæ terminum habet, uel ex utraque parte, principii. scilicet & finis, sicut res temporales, uel ex altera parte, sicut res perpetuæ, ut Angeli; & animæ, quæ licet non habeant finem, habuerunt tamen principium; unde Patrem increatum, immensum, & æternum affirmaret, & bene; sed hæc omnia etiam Filio, & Spiritui sancto conueniunt, *increatedus*, igitur, *Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus, immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus, æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus, & tamen*

non

non tres æterni, sed unus æternus, sicut nec tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus, propter essentia unitatem. Quid etiam de Patre affirmaret? utique omnem perfectionem, illum omnipotentem, & Deum, & Dominum diceret, quod idem etiam, & nos de Filio, & Spiritu sancto affirmamus. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, & tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens, ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, & tamen non tres Dii, sed unus est Deus ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, & tamen non tres Domini, sed unus est Dominus. Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum, ac Dominum confiteri christiana ueritate compellimur. ita tres Deos, aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.*

Quod Trinitas personarum in unitate Diuina essentia probetur ex sacra scriptura ueteris testamenti. Cap. II.

Ista catholica ueritas de Personarum Trinitate in unitate essentia, ex Sacra scriptura manifeste habetur, ita tamen, quod in solo nouo testamento, à Christo, & ab Apostolis fuit nobis clare, sine ulla uerborum obscuritate reuelata; in ueteri autem testamento, licet non ita aperte contineatur, fuit nihilominus sub obscuritate uerborum, & sententiarum, tot, & tantis modis tradita, ut de ea dubitare non liceat; sed modi multiplices, & uarii, eam explicandi, nos de diuina huius ueritatis reuelatione, certos reddunt; obscuritas uero, Iudeorum hebetudinem, & ad idololatriam propensionem, ne sanctum daretur canibus, & ne proiicerentur margaritæ ante porcos, nobis in memoriam reuocat. Deus. n. sua infinita sapientia, & misericordia, cõpatiens tarditati illius populi, & eius capacitati se accommodas, huius tanti mysterii solâ fidẽ implicitã ab eo requisit, sed Prophetis, & Patriarchis, quorum fides debebat esse magis explicita, cū per eos populum instrueret, & erudiret illud aperius reuelauit, cæteris autẽ obscure; nã Dei unitatẽ, quã explicitẽ omnes credere debebãt, & in qua implicite cõtinetur sanctissimẽ Trinitatis fides, ita eis manifeste reuelauit, ut cū de Dei unitate fieret sermo, aliqua in illa Dei unitate saepe fuerit pluralitas significata, ad hoc mysteriũ cõmedãdũ, quod eis tanquã rudibus solũ innuebatur, & nobis apertẽ reuelandum referuabatur.

Novem igitur modis pluralitas personarũ in unitate diuinæ essen-

essen-

essentię, in Veteri testamento præcipue significatur. Primo, quia Sacra scripturã sæpe loquitur de Deo in plurali, & statim subiungit singulare, adeo, ut contra grammaticorum regulas, solescismum committat, si sola uis uerborũ attendatur. Gen. 1. *In principio creauit Heloym cælum, & terram*, ita legitur in textu hebraico, *Heloym* autem, est nomen plurale huius nominis *Hel*, uel *Heloy*, & sensus est, *In principio creauit Dii cælum, & terram*, & paulo inferius *Creauit Dii hominem, ad imaginem Deorum creauit eum*. Ad quod respondent Iudæi hoc nomen *Heloym*, accipi pro plurali, & singulari, & quando dicitur de Deo uero, sæper accipi in singulari, sicut in presenti. Sed contra hanc eorũ solutionem manifeste probatur, quod hoc nomen *Heloym*, & alia nomina diuina, sæpe accipiuntur de Deo uero in plurali, quia coniunguntur cum adiectiuis, & cum uerbis pluralis numeri, & cum adiectiuis quidem. Iosue, cap. ultimo dicitur. *Non poteritis seruire Domino, quia dominus sanctus ipse*, ubi ueritas hebraica habet, *Non poteritis seruire Domino, quia Heloym sancti ipse*. Hic remię 23. *Peruertistis uerba Dei uiuentis domini exercituum Dei uestri*, Vbi ueritas hebraica habet. *Peruertistis uerba Heloym uiuentium*. 1. Deorum uiuentium, sed propter unitatem essentię subiungitur, *Domini exercituum*, in singulari, & in hac Hieremię auctoritate notandum est, quod est nomē Dei Thethragramaton, quod non competit alicui nisi soli Deo. Coniungitur etiam *Heloym*, pro Deo uero, cum uerbis pluralis numeri. 2. Reg. 7. *Qua est gens, ut populus Israel in terra propter quem inuit Deus, ut redimeret sibi populum*, Veritas hebraica sic habet. *Quis est ut populus tuus Israel, gens una in terra, propter quam iuerunt Heloym ad redimendum sibi populum?* Ecclesiastes. 11. *Quis est inquam homo, ut sequi possit Regem factorem suum?* Vbi ueritas hebraica sic habet. *Quis est homo, ut intret post Regem, qui iam fecerunt eum?* Contra hæc obiciunt aliqui Iudæi, quia in aliis scripturæ locis cum de uno sit sermo, coniungitur plurale cum singulari; non ergo ex hoc modo loquendi arguitur pluralitas suppositorum in unitate essentię, quod ostendunt, quia. 1. Reg. cap. 28. ubi scriptura loquitur de suscitatione samuelis, cum dixisset mulier illa Phitonissa. *Vidi Heloym ascendentes de terra*, interrogauit Saul in singulari, *Qualis est forma eius*. Ezechielis 46. ubi dicitur. *In die autem calendarum, uitulum immaculatum de armento, &c.* ubi in hebraica ueritate habetur *Thaminum*, quod est plurale huius nominis *Thamin*, & sic *Thaminum* plurale, quod significat immaculatos, coniungitur cum uitulo in singulari. Et canticorum primo dicitur

Iudæorũ
obiectio.

Trabeme post te, curremus, &c. Sed dicimus cum Fino Hadriano, lib. 8. cap. 8. contra Iudæos, has obiectiones nullius esse momenti, & ad primam quidem dicimus, quod secundum Hebreos interpretes, surrexit Samuel uere uirtute diuina, & cum eo etiam uenit Moyses, secundum uero alios, non surrexit uere Samuel, sed apparuit demon representans samuelem. & cum eo etiam apparuit demon priuatus illi mulieri magicæ, & ita mulier illa dixit in plurali, *Vidi Deos ascendentes de terra*, id est homines diuinos, at Saul non quesuit nisi de figura illius, qui primo apparuit ei, & non de associante illum, quia cum solo Samuele loqui uolebat, & ita in singulari dixit, *Qualis est forma eius*. Ad secundam ex Ezechiele dicitur, quod *Thaminum*, quod significat immaculatos in plurali, non coniungitur cum uitulo in singulari, ut arguunt Iudæi, sed cum genitiuo pluralis numeri, non enim habent uariationem casuum sicut nos, sed tantum uariant nomina, secundum numerum singularem, & pluralem; & est sensus, *In die Calendarum uitulum de armento immaculatum, id est de numero illorum immaculatum, qui ad hoc seruabantur, facient sacrificium*, ad cuius Euidentiã notandum est, quod ex statuto legis in principio cuiuslibet mensis, debebat offerri uitulum unus immaculatus, & ideo ordinauerant sacerdotes, ut in uno loco proprio templi seruarentur tales duodecim ad minus, de quibus in principio mensis accipiebatur unus ad sacrificandum. Ad tertiam ex canticis canticorum dicitur, quod ille liber, secundum Rabinos, est de Deo, & de Synagoga, & secundum Catholicos, est de Christo, & Ecclesia, unde illa uerba sunt synagoge, quæ dicitur sponsa Dei, & Ecclesiæ quæ est sponsa Christi, & ita talis sponsa non est una persona singularis, sed collectio fidelium, & ideo subditur in plurali, *curremus*. Concludamus igitur ex hoc, quod nomen Dei plurale coniungitur cum singulari, innuit aliquod magnum sacramentum, scilicet in unitate diuinæ essentię, esse distinctionem personarũ. primo quidem, quia hoc mysterio sublato hic modus loquendi, est solescismus, & error maximus in gramatica, etiam hebraica; absit autem credere hunc solescismum ex scriptorum imperitia, & non ad significandum hoc mysterium ortum fuisse, cum autor Sacræ scripturę fuerit Spiritus sanctus, & ob id nihil in ea superfluum, nec sine magno mysterio reperiatur. Secundo, quia talis solescismus (sic licet iuxta grammaticorum regulas modo, pro ueritate loqui, non enim solescismus, sed mysteriũ est) nunquam fit in Sacra scriptura, nisi cum est sermo de Deo uero;

Solutio
obiectionis.

uero; nam quotiescumque Dei nomen accipitur, uel pro Angelis, uel pro sanctis, uel pro iudicibus, uel abusive pro demonibus in plurali, semper sequitur plurale, & nunquam adiungitur singulari, ut Exodi 22. ubi dicitur, *Ad Deos utriusque causa perueniat*, & statim sequitur in plurali. *Si illi iudicauerint*. & psal. 81. *Ego dixi Dii estis*, & psal. 95. *Omnes Dii gentium demonia*. Tertio, quia hic modus loquendi in plurali de Deo uero, populo pro penso ad idololatriam, posset dare occasionem errandi, & credendi plures esse Deos, præsertim cum sit nomen Dei *Hel* singulare, quod nullam pluralitatem significat, quo & congruitas locutionis seruaretur, & errandi occasio tolleretur; necessario ergo dicendum est, magnum aliquod Sacramentum, distinctionem. s. personarum in unitate essentiae in Deo uero significari, de quo solo est hic modus loquendi alias. n. modus loquendi Sacrae scripturae esset cõtrarius suae intentioni, cū. n. homines ad unius ueri Dei cognitionem, & adorationem, ab idololatria reuocare intendat, plures esse Deos suo loquendi modo significaret.

Obiectio
enim solutio.

Sed posset hic aliquis petere. quare non idem modus loquendi seruatus sit in translatione 70. & in nostra vulgata editione, Ad quod dicimus septuaginta interpretes, traduxisse Sacramentum scripturam in graecam linguam graecis idololatriis, & ob id spiritu sancto inspirati occularunt eis mysterium Sanctissimae Trinitatis, congruitate locutionis; sicut etiam, & mysteria de Dei filio, & eius incarnatione, & passione, aliter quam in hebreo haberetur, seruata tamen rei ueritate, sed obscurius aliquando translato, ne daretur canibus, & ne inde confirmarentur in eorum idololatria, quasi sacra scriptura probaretur, & Deorum pluralitas, & homines Deos, & Dei filios esse. In nostra autem editione non debuerunt esse illi solecismi, sed debuit seruari congruitas locutionis, non propter periculum idololatrando, sicut factum est in translatione 70. sed quia nobis sanctissimae Trinitatis mysterium fuit aperte, & manifeste reuelatum, & ueteris testamenti uelamen, fuit nobis a Christo sublatum; sicut ergo quo magis cognoscitur alicuius rei ueritas, tanto magis tollitur obscuritas, quae de illa re habebatur; unde in patria, ubi non per speculum, & in enigmate, sed facie ad faciem Deus uidetur non est fides, ita etiam adueniente ueritate noui testamenti, in ueteri prefigurata, & Sanctissimo Trinitatis mysterio in nouo testamento aperte declarato, figurae, & umbræ prius obscurae, nobis sunt manifesta, & ob id in translatione, quae pro nobis facta fuit, non debuit omitti congruitas locutionis, ut nobis sole-

cismis

cismis occultaretur, quod nobis aperte est à Deo reuelatum, & ut nobis aperte reuelandum obscure, & solecismis fuit iudicis traditum; sed seruata ueritate Sacrae scripturae, habenda fuit ratio congruitatis locutionis, ne eius grauitati, & maiestati detraheretur. Non tamen ob id nobis defunt auctoritates in hoc genere argumenti, in quibus magis seruata congruitate locutionis de Deo uero, plurale cum singulari coniungitur. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, dicens enim, *faciamus ad nostram*, pluralitatem personarum ostendit, dicens uero, *imaginem*, unitatem essentiae, ut inquit Aug. in lib. de fide ad Petrum. Hilarius in lib. 3. de Trinitate, non solum sumit distinctionem personarum ex hoc, quod dicit, *faciamus ad nostram*, & unitatem essentiae, ex hoc, quod in singulari dicit, *imaginem, & similitudinem*, sed etiam ex hoc, quod dicit, *imaginem, & similitudinem*, colligit unitatem essentiae, & personarum distinctionem, ut enim inquit, imago sola non est, & similitudo sibi non est, neque diuersitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit. Vbi notandum est, quod hic imago, & similitudo dicit essentiam, & relationem, importat enim imago unitatem cum distinctione, similiter, & similitudo, propter intrinsecam relationem; & ideo hæc nomina imago, & similitudo, in quantum important unitatem, significant unitatem essentiae, in quantum uero ratione intrinsecæ relationis importat etiam distinctionem, significant distinctionem personarum. S. Aug. considerauit imaginem, & similitudinem, secundum quod significant unitatem, & ideo ex illis sumit solum unitatem essentiae, & distinctionem personarum, ex *faciamus, & ad nostram*, at Hilarius considerauit eorum significatum, & cõsignificatum, & ideo ex eisdem nominibus unitatem essentiae, & personarum distinctionem collegit. Sed dubitabit aliquis quomodo uerum sit quod dicit Hilarius ad probandam ex similitudine personarum unitatem essentiae, quod similitudo alterius ad alterum non permittit inter eos diuersitatem admisceri, cum similitudo sit rerum differentiū eadem qualitas? Ad quod dicimus, quod similitudo, quæ est secundum accidens, uel secundum partem substantiæ, admittit diuersitatem, non autem illa, quæ est secundum totum, cum igitur in Deo sit summa simplicitas, non potest in eo esse similitudo secundum accidens, neque secundum partem, sed talis, quæ non cõpatitur diuersitatem naturæ, sed solam distinctionem personarum in eadem essentia. Gen. 11. *Descendit autem Dominus, ut uideret ciuitatem, & turrem, quæ edificabant*, & paulo post loquitur Dominus in plurali *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*, & subditur in singulari. *Atque ita diuisit eos dominus*.

Et Se-

Secundo ostenditur Trinitas personarum in unitate essentie, ex hoc, quod sæpe in Sacra scriptura Dei nomen in eadem sententia ter repetitur, & Dei unitas, cum trina Dei nominis repetitione, exprimitur, non enim uacat mysterio. Exodi 3. *Ego sum qui sum, qui est misit me ad uos, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.* Psal. 49. *Deus Deorum Dominus locutus est, & uocauit terram.* Psal. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant cum omnes fines terræ.* Esa. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Tertio, ostenditur personarum Trinitas, per hoc quod aliquando Scriptura Sacra rem aliquam à Deo factam esse, ter repetit in eadem sententia, ut Gen. 1. & 5. *Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & feminam creauit eos.* Quarto, quia aliquando Sacra scriptura tribuit Deo aliquem effectum, ut ab alia persona diuina procedentem. Gen. 19. *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorram sulphur, & ignem à Domino de celo.* Osee 1. *Domui Iudamisererbor, & saluabo eos in Domino Deo suo.* Prou. 8. *Cum eram cuncta componens.* Quinto, quia Scriptura sacra ponit in Deo collocationem. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* & cap. 11. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Psal. 2. *Dominus dixit ad me Filius meus es tu.* Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Sexto, quia una Persona Diuina reddit testimonium de altera Persona Diuina. Psal. 94. *Propheta inuitat nos ad adorationem ueri Dei, dicens. Venite exultemus Domino iubilemus Deo salutarino nostro, &c. Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, &c. Vbi ostendit eum esse uerum Deum, qui fecit nos, & cælum, & terram, & paulo post loquitur alia persona distincta, quæ testimonium perhibet de Deo, ut de persona distincta, ad cuius adorationem Propheta nos inuitauit, dicens. Hodie si uocem eius audieritis nolite obdurare corda uestra. & quod hæc persona distincta loquens, & testimonium perhibens de altera, sit uerus Deus, patet ex eo, quod subiungit. Tentauerunt me patres uestri, probauerunt, & uiderunt opera mea, quadraginta annis, &c. quibus iurauit in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Septimo, quia in Deo ponit processionem, & generationem. Psal. 2. *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Psal. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Prou. 8. *Dominus possedit me ab initio uiarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, antequam terra fieret, nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram, &c. Eccl. 24. Ego ex ore altissimi prodii primo*

primogenita ante omnem creaturam. Miche. 5. *Egressus eius ab initio, à die æternitatis.* Esa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Octauo insinuat in Sacra scriptura Personarum Trinitas, & essentia unitas, per operum appropriationem. Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram, & Spiritus Domini ferebatur super aquas,* quod Glosa interlinearis ex Augustin. sic exponit. *Creat Deus, scilicet Pater cuius est potestas, In principio idest in Filio cuius est Sapientia, sed ubi est Pater, & Filius ibi est, & amor, & hic est Spiritus sanctus, de quo subditur, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum.* Dominus est nomen potestatis, & potentia appropriatur Patri, Verbum est conceptio mentis, unde, & sapientia, genita dicitur, & ideo Verbum est Filius, Spiritus oris eius est Spiritus sanctus, dicitur autem Spiritus oris, quia Verbo appropriatur os, & idem est ac si diceret Spiritus Verbi, Deus igitur Pater firmavit cælos, Verbo suo, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum, licet enim opera Dei à dextra sint indiuisa, appropriantur tamen Personis. Ad quod etiam facit auctoritas Apost. Rom. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso facta sunt omnia, ipsi gloria in secula.* Vbi Ex appropriatur Patri, quia dicit habitudinem causæ ad effectum, efficere autem est potentia Per, quia dicit habitudinem exemplaris ad exemplatum, imaginis ad imaginatum, appropriatur Filio, In appropriatur Spiritui sancto, quia dicit habitudinem conseruantis ad conseruatum, & bonitatis est conseruare, cum autem subdit. *Ipsi gloria,* ostendit tres Personas esse unius essentie, & esse unum Deum. Sed modo intendimus hanc catholicam ueritatem solis auctoritatibus ueteris testamenti probare.

Nono ostenditur in Sacra scriptura Trinitas personarum in unitate essentie, apparitione, quamuis enim Deus sit inuisibilis, tamen sæpe in specie humana hominibus apparuit, & uisus est, quod ex circumstantia locutionis patet; inter alias autem multas apparitiones, illa quæ facta fuit Abraham, Deum trinum in personis, & unum in essentia esse, satis manifeste ostendit, sic. n. Genes. 18. dicitur. *Apparuit autem ei Dominus in conualle mambre, cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres uiri, stantes prope eum. quos cum uidisset, ecurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra, & dixit, Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed asseram pauxillum aquæ, & lauentur pedes uestri, & requiescite sub arbore. Vbi ponderanda sunt uerba Dominus ei aparuit,*

in singulari. quomodo? *cum eleuasset oculos apparuerunt ei tres uiri,* quos in singulari adorauit, eisque dixit. *Domine si inueni gratiam in oculis tuis.* & statim cum illis tribus in singulari loquens, trāsit ad plurale, *Laudentur pedes uestri, & requiescite sub arbore.* Et paulo post illi tres uiri in plurali loquentes, *dixerunt ad eum, ubi est Sara uxor tua?* ille respondit, ecce in tabernaculo est, cui dixit, *Reuertens reuertar, &c.* in singulari. Cum igitur tres uiri uisi sint, nec quisquā in eis, uel forma, uel ætate, uel potestate maior ceteris dictus sit, & per hoc, quod uisi sunt tres, dicatur, quod apparuit Dominus, & Abrahā cum illis tribus, modo in singulari, quasi cum uno, modo in plurali, quasi cum tribus locutus sit, & ipsi quoque quandoque simul, quandoque ut unus locuti sint, nil aliud dici potest nisi uisibiliter per creaturam uisibilem, insinuatā esse Trinitatis æqualitatē, & in tribus personis unā eandemque substantiā. Et ne quis existimarent ex illis tribus unum fuisse maiorem, & Dominū, & alios duos Angelos eius, & ob id Abrahā, cum Domino in singulari locutum fuisse, hoc Sacra scripturā manifeste reprobatur, eodem loco, per apparitionem, quæ immediate facta fuit Loth. Sic enim scriptura sequitur. *Abiit autem Dominus postquam cessauit loqui ad Abraham, & ille reuersus in locum suum, Venerunt autem duo Angeli sodomam uespere,* ubi diligenter notandum est, quod Abraham loquebatur cum tribus, & eum Dominum singulariter appellauit. & quia forte posset aliquis dicere, quod Abraham ex illis tribus unum agnouit Dominum, alios autem duos angelos eius, Scriptura ut hunc errorem reiiciat, statim subdit abiisse Dominum, & duos ex illis tribus (ad hoc enim apparuerunt, dixerunt enim ad Abraham, descendam, & uidebo, &c.) iuisse Sodomam, quos, & Angelos nominat, ut ostendat illos quos Angelos credere possemus, uel forte primo credidit Loth, non Angelos, sed diuinas personas in illa forma fuisse, uel si Angeli erant, diuinas saltem personas representasse. duo igitur apparent; Angeli ambo dicuntur, pluraliter à Loth inuitantur, tāquā cum duobus pluraliter loquitur, donec exeat à Sodomis, deinde sequitur scriptura, & dicit. *Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem, ibique locuti sunt ad eum dicentes salua animam tuam, &c.* Dixitque ad eos Loth. *Quæso Domine mi quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, &c.* notanda sunt uerba, dixit ad eos, ad quos? ad illos duos, qui Angeli sunt dicti, & sodomam à tertio, qui abiit, missi fuerunt, & ad eos in singulari, tanquam ad unum Deum uerum loquitur. *Quæso Domine mi quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, &c.* ex quo manifeste,

festē, in plurali numero, duas personas, in hoc, quod iidem duo, tanquam unus copulantur, unius substantiæ, & unum dominū Deum esse intelligimus; quæ duæ Personæ fuerunt Filius, & Spiritus Sanctus, dixerunt enim se missos, quod de Filio, & Spiritu sancto dicimus, de Patre. n. nusquam legitur, quod fuerit missus. His igitur nouem modis, ad quos multæ aliæ autoritates pertinent, nobis in ueteri testamento Sanctissimæ Trinitatis mysteriū insinuatū fuit. At ubi uenit plenitudo temporis, in quo non iā amplius, ut olim, nobis multifarie multisque modis loqueretur Deus in prophetis, sed in filio, sublatū est ueteris testamenti uelamen; nobis Filius scripturas aperuit, & quæ de Patre sūt, palam annunciauit nobis. Sacra scripturæ plenæ sunt de Patre, Filio, & Spiritu sancto, quæ sint personæ distinctæ, & Pater sit Deus & Filius sit Deus, & Spiritus sanctus sit Deus, & tamen non sint tres Dii, sed unus Deus, idque non obscure, & adumbratē, sed clarē, & manifestē; adeo ut hæc Sanctissimæ Trinitatis fides, omnibus prædicetur, & omnes in nomine, & uirtute Sanctissimæ Trinitatis baptizentur, & regenerentur, & uitam æternam consequantur. *Matt. ult. Euntes* (inquit Christus discipulis suis) *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* non dicit in nominibus, quia Patris, & Filij, & Spiritus sancti una est diuinitas, una potestas, una gloria. *1. Ioa. ult. Tres sunt qui testimonium dant, in caelo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

An Sanctissimum Trinitatis mysterium naturali ratione cognosci, & probari possit. Cap. III.

Gentiles, cum non admittant nisi id quod naturali ratione probatur, parum, aut nihil mouebuntur auctoritatibus Sacrae scripturæ adductis, quibus Iudæorum error & obstinatio manifestē conuincitur; ideo uideū est an hoc sanctissimū Trinitatis mysteriū, ratione probari possit, & si non potest, quomodo cū gentilibus nos gerere debeamus. Dicimus igitur primo, hoc sanctissimū mysteriū rationem naturalem excedere, adeo ut impossibile sit solo lumine naturali, ad trinitatis diuinarū personarū cognitionem peruenire, cuius rationē S. Thom. 1. p. q. 32. ar. 1. assignat, quia homo non potest naturali ratione ad Dei cognitionē accedere, nisi ex creaturis, sed creaturæ ducunt in Dei cognitionē sicut effectus in causā, hoc igitur solū de Deo naturali ratione cognosci potest, quæ ei cōpetit, secundum

Quod nō possit cognosci naturali ratione.

quod est omnium entium causa, uirtus autem creatiua Dei, est comunis toti Trinitati, & ob id pertinet ad unitatem essentia, & nõ ad personarum distinctionem, ergo ex creaturis, solum possunt de Deo naturali ratione cognosci, quæ pertinent ad unitatem essentia, non autem ea, quæ pertinent ad personarum distinctionem. Nec obstat, ut inquit Ricardus, 1. s. d. 3. q. 2. quod per creaturas possumus uenire in cognitionem appropriatorum, scilicet potentia, sapientia, & bonitatis; nam uenimus in eorum cognitionem, secundum quod sunt in generali, non tamen sub ratione, qua sunt personis appropriata; sicut nec etiam obstat, quod res potest cognosci ex sua imagine, & anima nostra est ad Dei imaginem, & similitudinem, quia habet unitatem essentia, & potentiarum trinitatem, quod de illa cognoscimus; nam tunc res cognoscitur ex sua imagine quando imago cognoscitur, sub ratione qua illius rei est imago, quamuis autem possumus cognoscere in anima nostra, id quod est imago, non tamen possumus illam naturaliter cognoscere sub ratione, qua est imago Summæ Trinitatis, & unitatis; in hoc enim imago differt à uestigio, quod ratio uestigii est ratio confusa, quia est in creatura respectu Dei quantum ad communia, at ratio imaginis est ratio distincta, quia respicit propria, & ideo uestigium etiam sub ratione uestigij cognoscere, & ex eo uenire possumus in cognitionem appropriatorum, sed non ut sunt appropriata, nam etiam si esset una sola persona, esset potens, sapiens, & bona, & ut talis crearet; at animam ut est imago, naturaliter cognoscere non possumus, quia ut est imago respicit propria personarum, & ut anima, & creatura, respicit Deum, ut creatorem, creare autem non est alicui personæ proprium, sed toti Trinitati commune; & ideo ex anima naturaliter possumus uenire in cognitionem Dei, quantum ad ea, quæ sunt communia, ut autem ex ea ascendamus ad cognitionem personarum, debemus prius esse illustrati lumine fidei, quo in Deo tres personas unius essentia cognoscamus; & huius summæ Trinitatis, & unitatis imaginem in anima nostra uideamus.

Dicimus secundo, quod si aliqui gentiles cognouerunt hoc Sanctissimæ Trinitatis mysterium, & de eo locuti sunt, fuit, uel quia Deus illis reuelauit, uel quia Sacra Scripturæ libros legerunt, quod enim etiam aliquibus gentibus reuelata fuerint Fidei nostræ mysteria, & quod aliqui eorum fuerint à Prophetis instructi, & Sacram Scripturam legerint; ex Sacra Scriptura manifeste habetur, nam Iob gentilis fuit, & Paulus ad Romanos

gen-

gentibus etiam reuelationes factas fuisse asserit; Ionas Prophetam missus fuit à Deo ad Nininitas, qui gentiles erant; Naaman Syrus uenit ad Heliseum Prophetam, à quo, & à lepra sanatus, & de uero Dei cultu edoctus fuit; Regina Saba uenit à finibus terræ audire Sapientiam Salomonis, & Eunuchus potens Candacis Regina, Aethiopum, qui uenerat Hierosolimam adorare, & ad quem missus fuit Philippus, legebat Isaiam Prophetam, quæ Regina successit Regina Sabæ, quæ ad Salomonem accessit, nã Regina Saba, ut testatur Iosephus, Aegypto, & Aethiopiæ imperauit, est autem in Aethiopia insula Meroe in qua est urbs uetustissima totius Aethiopiæ Regia, nomine Saba, quam postea Cambises Rex denominauit Meroen, insule nomen illi approprians, ut dicunt Iosephus lib. 2. Antiquitatum, & Strabo, lib. 17. Meroenis autem, ut inquit Strabo lib. 16. solita erant imperare femina, sicut etiam, & Scithæ suas habebat Reginas, & Afsirij suam Semiramidem, postea Regina Meroes sunt appellata Cádaces, propter feminam Cádacæ, quæ regnauit, ut dicit Plinius, lib. 6. cap. 29. Cum igitur ille Eunuchus, qui legebat Isaiam esset ex Aula Candacis Regina Aethiopum datur intelligi illi genti Scripturarum lectione ab ætate Regina sabæ, quæ ad Salomonem accessit familiarem, atque usitatam fuisse. Iudei quoque, propter multas captiuitates sparsi fuerunt per totum fere mundum, unde Actorum 2. dicitur, quod in die Pentecostes erant in Hierosalem iudei uiri religiosi ex omni natione, quæ sub Cælo est; à quibus gentiles, & de uero Deo instrui, & Sacram scripturam habuere potuerunt. Ex quibus mirum nõ est si in scriptis quorundam gentium aliqua de hoc sacro mysterio leguntur; & quidẽ syllabæ filij Dei incarnationem, Natiuitatem, miracula, mortem, resurrectionem, & ascensionem ita predicunt, ut rem gestam potius narrare uideantur, ut superius ostendimus, lib. 2. c. 6. Et S. Aug. lib. 7. Confess. cap. 9. inquit se legisse in quibusdam libris Platonicis, non quidem eisdem uerbis, sed idem omnino multis, & multiplicibus rationibus suaderi, quod in principio primi capituli Euangelij s. Ioannis, usque ad *Uerbum caro factum est*. Mercurius Trimegistus in libro, qui dicitur Pimander, inquit, quod Monas genuit Monadem, & suum in se reflectit ardorem.

Dicimus tertio, quod supposito lumine fidei, contra gentiles, possumus probabilibus rationibus, huius incomprehensibilis mysterij conuenientium probare; non quod illis tanquam concludentibus insistamus, sic enim, & fidei derogaretur, quia humanæ rationi subderetur, & infidelium animi magis à Christia-

Quomodo sit disputandum cum gentilibus.

na religione auerterentur, putantes. n. quod fides huiusmodi rationibus minime concludentibus inicitur, & quod propter eas credamus, fidem nostram potius irriderent. Si quando ergo nobis cū gentilibus disputandū esset, hoc erit fundamentum nostrum, Deum, esse Deum magnum, & incompræhensibilem, qui nostram, & Intelligentiarum scientiam vincit, ac proinde eius mylleria omnem naturæ uim excedere, & à nobis non nisi fide, Diuina reuelatione habita cognosci posse; quo fidei lumine illustrati, cum fides, licet sit supra naturam, non tamen illam destruat, nec sit illi contraria, sed perficiat, naturalibus rationibus contra gentiles mylleriorum fidei probabilitatem, & conuenientiam, & quod nihil in se Deo, & naturæ principiis repugnans contineat, probare, & omnes rationes, quæ ab ipsis in contrarium fiunt, tanquam sophisticas soluere possumus. Sic igitur prima ratio, summi boni est, summè se communicare; at Deus, qui est summum bonum, non potest se summè creaturæ communicare; quantumcumque enim creatura sit perfecta, adhuc in infinitum distabit à Deo, ergo danda est in Deo aliqua processio, secundum quam infinito modo se communicet, tribuendo nimirum personæ genitæ, & spiratæ propriam essentiam. Secunda, omnis creaturæ perfectio tribuenda est Deo, femota omni imperfectione; at generare sibi simile, est creaturæ perfectio, cum duplici imperfectione, cum mutatione scilicet, & naturæ distinctione; non enim potest creatura, cum sit finitæ uirtutis, propriam essentiam tribuere genito, ergo Deus sine ulla mutatione generabit distinctam personam, illiq; tribuet propriam essentiam, ratione cuius non duo, sed unus solus, pater, & filius dicetur Deus; quæ ratio est ipsius met Dei dicentis, Esa. 66. *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam?* Tertia Deus est perfectissime beatus, ergo in eo est amicitia, conuersatio, & mutuus amor, quæ sunt bona maxime necessaria ad beatitudinem, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus; hæc autem inter Deum, & creaturam, perfectè reperiri non possunt, cum enim creatura sit finita, Dei amor esset inordinatus si amore infinito quo se amat, illam infinite amaret; quare ponendæ sunt in Deo plures personæ eiusdem infinitæ essentiæ, quæ amore infinito se mutuo ament. Quarta, melius est Deum esse operantem, quam ociosum; at cum mundus non fuerit ab æterno, tota illa infinita duratione, quæ mundum præcessit, fuisset ociosus, nisi in eo æterna generatio, & spiratio constituentur, & hac præcipue ratione moti

anti-

Rationes
naturales.

antiqui Philosophi, afferuerunt mundi æternitatem. Ultima tandem ratio sit ex perfectione ordinis uniuersi, in quo reperitur una natura in uno supposito, ut in uno Angelo, & multæ naturæ in multis suppositis, & multæ naturæ in uno supposito, in homine enim est natura corporea, & incorporea, ergo dabitur quartus gradus, qui est, unius naturæ in multis suppositis, quod est Sanctissimæ Trinitatis mylleriorum, Filii enim recipit à Patre, non aliud esse, sed illud idem, eandemq; Patris naturam, & sic est Patri coeternus, nec unquam fuit indigens, nec aliquo modo mutatus, cū nō præcesserit receptionē, & cōsequēter nō intelligitur de eo illud Domini. *Beatius est dare, quā accipere*

Quod in Deo sint relationes reales, quæ, & quot sint.

Cap. IIII.

VT facilius, quæ de Sanctissimo Trinitatis mylleriorum & Sacra scriptura nobis tradita, & à Sacris Doctoribus explicata sunt, quantum Deus dederit, omni humilitate, & intellectus nostri submissione intelligere possimus; aliqua de diuinis relationibus necessario præmittenda sunt. de quibus tria breuiter explicabimus, quæ relationes sint in Deo, & quomodo se habeant, tum ratione essentiæ, tum in ordine ad Personas.

Certum est in Deo esse relationes, cum Sacra scriptura nomina relatiua ei propriè, & non metaphoricè tribuat. Relationum autem duo sunt genera, quædam sunt reales, quædam rationis; cum enim relationis prædicamentum hoc à cæteris differat, quod secundum suam naturam non significat aliquid alicui in hærens, sed solum respectum ad aliud, non solum in eo sunt relationes reales, sed dantur etiam aliæ, quæ sunt secundum solam rationem, & non secundum rem; & relationes utriusque generis in Deo reperiuntur; Relationes rationis in Deo sunt, respectu creaturarum, cum ad creaturas Deus realiter non referatur; non enim semper in relationibus, quæ actionem, & passionem consequuntur, mutuus ordo reperitur; sed in illis dumtaxat, in quibus aliquod bonum, seu perfectio agentis in suo effectu attenditur, ut maxime patet in agentibus uniuocis, quæ per actionem, suæ speciei similitudinem, inducunt, & per consequens esse perpetuum propriæ speciei, secundum quod est possibile, conseruant; & in omnibus etiam aliis, quæ mota operantur; suo enim motu ad effectus

Relatio-
nes quædam
sunt reales
quædam
rationis.

Quod re-
lationes
Dei ad
creaturas
sunt ratio-
nis.

pro-

producendos ordinantur: In ceteris autem agentibus, quæ sunt omnino extrinseca suis effectibus, non est mutuus ordo, licet enim effectus ad sua principia realiter referantur, non tamè è contra, ista principia ad suos effectus realiter ordinantur, cum sint omnino extrinseca ab illo actionum, uel uirtutum genere, quas talis relatio consequitur; huius generis sunt relationes, quæ inter scibile, & scientiam, sensibile, & sensum, columnam, & hominem, cuius respectu dicitur dextera, & huiusmodi reperiuntur: huiusmodi etiam sunt relationes inter Deum, & creaturas, nam omnes creature realiter ad Deum referuntur, sicut ad principium, & finem; imo ordo partium uniuersi ad inuicem, est per ordinem totius uniuersi ad Deum, quemadmodum, & ordo, qui est inter partes exercitus, est propter ordinem exercitus ad Ducem. At Deus nullo modo è contra ad creaturam realiter refertur, cum non agat per actionem mediam, quæ intelligatur ab eo procedere, & in creaturam terminari, qua cum ea conueniat; sed sua actio est sua essentia, quæ omnino est extra genus esse creati, per quod creatura ad Deum refertur, & consequenter agendo nõ mouetur, ut sic saltem coincidat in genus moti, sed sine omni sua mutatione, mutabilia producit, conseruat, & gubernat, nec etiam ex creaturarum productione ali- quod, uel minimum bonum ei prouenit.

Præter relationes rationis, quas intellectus noster in Deo apprehendit, eiq; in ordine ad creaturas tribuit, necessario dicendum est in Deo esse quasdam relationes reales, quæ ab æterno ei conueniunt; cum enim fides catholica doceat in Deo esse processione, & tres personas unius essentia, & omnis numerus aliquam distinctionem consequatur; non solum in Deo erit distinctio respectu creaturarum, quæ ab ipso per essentiam differunt, sed etiam respectu alicuius in diuina essentia subsistentis; hæc autem distinctio non potest esse per aliquod absolutum, nam cum quicquid in diuinis absolute prædicatur, Dei essentiam significet, sequeretur, quod personæ diuinæ essentialiter distinguerentur, quæ est hæresis Arii; sequitur ergo, quod sola relatiua distinctio in Deo reperitur; hæc autem distinctio non est rationis tantum; quia cum ea, quæ sola ratione distinguuntur de se inuicem prædicari possint, sicut dicimus, punctum unum secundum rem esse, principium, & finem diuersa ratione, sequeretur, quod Pater posset dici Filius, & Filius Pater, & ita personæ distinguerentur sola ratione, & solum secundum nomina diuersis rationibus imposita, & non realiter, quæ est hæresis Sabel-

li: ne-

li: necessario ergo dicendum est, relationes in Deo quibus Personæ distinguuntur esse reales, cum sint secundum processiones diuinarum personarum, in identitate naturæ; cum enim aliquid procedit à principio eiusdem naturæ, necesse est, quod ambo, & procedens, & id à quo procedit, in eodem ordine conueniant, & sic habeant reales respectus ad inuicem. Nec obstat, quod dicit Boetius in lib. de Trinitate, quod cum quis prædicamentum in diuinam uertit prædicationem, cuncta mutantur in substantiam, ad aliquid uerò omnino non potest prædicari; Vbi posset quis arguendo subiungere, si relatio non potest prædicari de Deo, ergo non est realiter in Deo; Nam respondetur, quod Boetius noluit per hoc excludere, quod relatio nõ esset in Deo, sed quod non prædicatur per modum inhaerentis, secundum propriam rationem relationis; cum. n. prædicari fundetur super inesse, eadem ratione, qua relatio ex propria ratione nõ inest, dicitur etiã, quod non prædicatur; sed tamè prædicatur per modum ad aliud se habentis. Nec etiam obstat, quod ibidem etiam dicit Boetius, quod similis est relatio in Trinitate Patris ad Filium, & utriusque ad Spiritum sanctum, ut eius, quod est idem ad id quod est, quasi sit relatio rationis eiusdem ad se ipsum; Nam respondetur, quod relatio, quæ importatur per hoc nomen idem, est relatio rationis tantum, si idem accipiatur simpliciter, quia huiusmodi relatio non potest consistere nisi in quodam ordine, quem ratio ad inuenit alicuius ad seipsum, secundum aliquas eius duas considerationes; secus autem est cum aliqua dicuntur esse eadem, non in numero, sed in natura speciei, uel generis. Boetius igitur relationes, quæ sunt in diuinis, assimilauit relationi identitatis, non quantum ad omnia, sed quantum ad hoc solum, quod per huiusmodi relationes non diuersificatur substantia, sicut nec per relationem identitatis; sed quia istæ relationes sunt, secundum originem unius ab altero in eadem natura, non sunt rationis, sed reales.

Ut autem has diuinas relationes aliquo modo, Sanctorum di-
ctis insistendo, intelligere possimus, notandum est, quod secundum Philosophum in 5. Meta. Omnis relatio fundatur, uel supra quantitatem, ut duplum, & dimidium, uel supra actionem, & passionem, ut faciens, & factum, pater, & filius, & huiusmodi. Cum autem quantitas non sit in Deo, est enim sine quantitate magnus, ut dicit Aug. relinquitur, quod realis relatio in Deo esse non possit, nisi super actionem fundata; non autem super actiones, secundum quas procedit aliquid extrinsecum à Deo, quia

rela-

Obiectio-
nes cum
solutioni-
bus.

Quod in
Deo sint
relationes
reales.

Quod re-
lationes
reales in
Deo sint
tantum qua-
tuor. &
qua.

relationes Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso, ut diximus; sed super actiones, secundum quas est processio in Deo ad intra. Huiusmodi autem processiones sunt duę tantum, ut dicemus, quarum una accipitur, secundum actionem intellectus, quę est processio Verbi, alia secundum actionem uoluntatis, quę est processio amoris, secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis à principio, & alia ipsius principij. Processio autem Verbi dicitur generatio, secundum propriam rationem, quę competit rebus uiuentibus. Relatio autem principij generationis in uiuentibus perfectis, dicitur paternitas. Relatio uero procedens à principio, dicitur filiatio. Processio uero amoris non habet nomen proprium, nec consequenter relationes, quę secundum ipsam accipiuntur; sed uocatur relatio principij huius processionis, spiratio, relatio autem procedentis, processio, quamuis hæc duo nomina ad ipsas processionem, uel origines pertineant, & non ad relationes sunt igitur tantum quatuor relationes reales in deo, scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio.

Obiectio, Si autem quis contendat esse plures relationes, quia in deo sunt relationes intelligentis ad intellectum, & uolentis ad uoluntatem, est etiam æqualitatis, & similitudinis, & identitatis, quę in deo sunt ab æterno, & sunt relationes reales. Respondetur, quod in his in quibus distinguitur intellectus, & intellectum, uolens, & uoluntatem, potest esse relatio realis, & scientiæ ad rem, scitam, & uolentis ad rem uolitam; sed in deo est omnino idem intellectus, & intellectum, quia intelligendo se, intelligit omnia alia, & eadem ratione uoluntas, & uoluntatem; unde in deo non sūt relationes reales, sicut nec relatio eiusdem ad idem; relatio autem ad Verbum est realis, quia Verbum intelligitur, ut procedens per actionem intelligibilem, & non ut res intellecta, cum enim intelligimus lapidem res intellecta est lapis, sed uerbum est conceptio lapidis, quę est uera lapidis similitudo ab intellectu producta.

De relationibus æqualitatis, & similitudinis opinionem, dicimus non paruam esse inter doctores controuersiam, & difficultatem, curabimus autem ea in quibus differunt, & ueritatem maiori qua possumus facilitate explicare, cum ipsi satis obscure loquantur. Scotus, & qui illum sequuntur dicunt non solum in creaturis, sed etiam in deo esse relationes reales, nam ad hoc, quod relatio sit realis, tria requiruntur. Primo, quod

quod fundamentum sit reale, & ideo entis ad non ens, non est relatio realis. 2. quod extrema sint realiter distincta, & ideo eiusdem ad seipsum non est relatio realis. 3. quod consurgat ex natura rei inter extrema, absque opere intellectus, & ideo relatio Dei ad creaturas non est realis; sed ista tria concurrunt ad relationem æqualitatis, & similitudinis personę diuine ad personam, nam æqualitas habet fundamentum reale, magnitudinem. s. perfectionis diuine, uel unitatem magnitudinis: eius extrema sūt realiter distincta. s. personę diuine, & æqualitas consurgit ex natura rei, nam filius ex natura rei est æqualis Patri. Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Contraria sententia est S. Thom. Thomistarum, & aliorum, quod istę relationes in Deo sint rationis, quod S. Thom. sic ostendit, & probat, quia æqualitas in Deo, tria includit, unitatem scilicet essentialis, realem distinctionem personarum, & relationem appellationem, qua formaliter denominatur æquales; secundum duo priora, æqualitas ponit aliquid reale in diuinis, secundum tertium autem relationem rationis; & quod sit rationis probat, quia ad mutuas relationes reales, requiruntur duę conditiones, realis. s. distinctio fundamentorum & quod fundatio non sit super alia relatione, quę hic deficiunt; nam æqualitas, & similitudo, si poneret in diuinis personis aliquam relationem realem, aut hoc esset ex parte essentialis, quę est communis, aut ex parte relationum, quibus distinguuntur; non ex parte essentialis, quia essentia est una, & eadem numero, & idem ad seipsum non refertur aliqua relatione reali, ergo non habent ex parte essentialis, quę est illius fundamentum, quod sint relationes reales; nec ex parte personarum, quia personę relationibus constituuntur, relatio autem non refertur ad aliam relationem, per relationem mediam, quia sic procederetur in infinitum, ergo quamuis personę realiter inuicem distinguantur, non possunt esse fundamentum relationum æqualitatis, & similitudinis, sed illarum fundamentum est essentialis, quę, cum nulla in ea sit distinctio, non potest esse fundamentum relationis realis. Scotistę pro eorum sententia multa adducunt argumenta in contrarium, sed ex illis, duo solum eligimus, quę punctum totius difficultatis attingunt, & probant, quod ad relationem realem, non sit necessaria distinctio fundamenti, sed sufficit distinctio suppositorum; primum est, quia eadem ratione sequeretur, relationes originis non esse reales, nec distingui realiter, quia si earum fundamentum est essentia, ipsa est una, & indistincta, si relatio, tunc obstat secunda conditio, ut relatio non

Thomistarum sententia.

Scotistarum argumenta

solutio-
nes Capre-
oli, & Cai-
etani in-
sufficien-
tes.

non fundetur super alia ratione. Secundum, quia si per diuinam potentiam esset una, & eadem numero albedo in duabus superficiebus, illę essent similes, & ratio esset realis, ratione realis distinctionis superficialium; & probatur, quia similitudo fundatur super una qualitate distinctorum, & uerior similitudo, quam super una, secundum quid. s. specie, & numero distincta. Capreolus, & Caiet. in eorum solutione maxime laborant, & ad primum respondent, quod relationes originis non fundantur super essentia, sed super actibus notionalibus, & in communicatione, & acceptione diuine naturę. s. generare, & generari, spirare, & spirari, quę realiter distinguuntur. Verum istę non sunt res absolutę, sed relatiuę, licet significantur per modum actionum, uel actuum notionalium, & cum sint relatiuę, fundantur in essentia, quę est una simplicissima, & sunt fundamenta relationum realium. Et confirmatur, quia in diuinis, non sunt nisi duo prædicamenta, substantia. s. & ratio, ergo si ratio non fundatur super relatione, quia daretur processus in infinitum, fundabitur super essentia, si fundatur super relatione, & non datur processus in infinitum, primarum relationum fundamentum erit essentia, contra duas prædictas condiciones. Caietan. aliam etiam adducit solutionem, dicens, quod illa conditio intelligitur in relationibus exigentibus fundamentum, nam relationes sunt duplicis ordinis, quędam ferunt secum non solum fundamenta, sed etiam supposita, & istę sunt relationes originis quę ut dicimus, constituunt, & distinguunt personas, quędam non ferunt, sed supponunt fundamenta, & supposita, & istę sunt æqualitatis, & similitudinis, & ideo illę sunt reales, & non istę. Sed contra hanc etiam solutionem facit idem argumentum, quia fundamenta, quę secum afferunt relationes originis, constituentes, & distinguentes personas, sunt relatiua, realiter distincta, quorum fundamentum est essentia simplicissima, ergo ad realitatem relationum non requiritur distinctio ex parte fundamenti. Pręterea, quę ipsi dicunt esse fundamenta relationum constituentium personas, Scholasticę dicunt esse constituentia, & relationes, constituere personas, non sub ratione relationum; ut paternitas, & filiatio, sed sub ratione actionis, & passionis, generare. s. & generari. Ad secundum Capreolus primo dicit id implicare, deinde quod si daretur casus ibi esset ratio realis, sed non in casu nostro, quia ibi sunt duo absoluta. s. duę superficies, & ideo una posset ad aliam referri, at in diuinis supposita sunt relatiua, quorum nullum potest aliam relationem fundare; po-

stea

stea se corrigens dicit, quod non esset ibi ratio realis similitudinis, quia ratio sumit numerum a fundamento potius, quã a supposito. Ex quibus hucusq; patet sententiam Scholasticarum esse probabiliorē, & Thomistarum sententiam non esse sic sufficienter probatam.

Cum autem a Sanctis, & doctoribus unanimiter dicatur in deo non esse nisi quatuor relationes reales, ne Scholasticarum sententia uideatur contraria, distinguendum est de relationibus realibus, nam relationes constituentes, & distinguentes personas non sunt nisi quatuor; sed præter has sunt etiam alię relationes reales communes omnibus personis, æqualitatis. s. & similitudinis. Verum sicut a Sanctis, & doctoribus dicitur in diuinis esse solum, quatuor relationes reales, simpliciter, & uniuersaliter sine aliqua distinctione cum Thomistis, illas solas esse, & non plures, nos quoq; dicimus, ita tamen, quod alio modo hoc explicandum, & probandum esse credimus. Est igitur primus modus facilior apud Durandum, quod licet nõ sit necessarium ad realitatem relationum, quod extrema habeant distinctum, fundamentum, necessarium tamen est, quod extrema, ut extrema sint realiter distincta; quamuis autem personę diuine sint, realiter distinctę, ut sunt extrema relationum originis, non tamen, ut sunt extrema relationis æqualitatis, & similitudinis; nam pater, & Filius de se dicuntur extrema relationum originis, & de se habent distinctionem, non sic autem, ut pater, & filius sunt extrema relatiuorum æqualitatis, & similitudinis; & ut quanti, & equales, non distinguuntur, sed sunt penitus unum, quia sunt tales ratione essentię, & consequenter istę relationes non sunt reales, sed rationis. Secundus modus est ipsius durandi, qui non differt a præcedenti, nisi in maiori explicatione, & redditione causę diuersitatis, etiam ex parte essentię; & dicit, quod ratio realis est triplex; uel est realis respectus consequens ex suo fundamento per se; uel est realis respectus ex suo fundamento accidentaliter consequens; uel est realis denominatio sumpta ex pluribus; similitudo autem, & æqualitas, nullo istorum modorum possunt esse relationes reales in diuinis; & ut a notioribus incipiamus non sunt reales ratione denominationis sumptę ex pluribus realiter inter se differentibus, quia æqualitas diuinarum personarum, est denominatio sumpta, nõ ex pluribus rebus, sed ex unica re, quę nullo modo est realiter plurificata. s. essentia; non sunt etiam reales secundo modo, quia respectus realis accidentaliter adueniens, non conuenit

solutio
questionis

deo,

Deo, etiam per comparationem ad creaturam; non sunt etiam respectus reales consequentes ad suum fundamentum per se, quia talis respectus est realis, ex hoc quod extrema realia ex natura sui fundamenti habent inter se necessariam exigentiam; sed personæ diuinæ non habent inter se necessariam exigentiam ratione essentia, ut est fundamentum equalitatis, & similitudinis, & illam habent, ut est fundamentum relationum originis; nam diuina essentia consideratur, ut est una, & ut est fecunda, ut est fecunda est fundamentum relationum originis, ex fecunditate enim diuinæ essentia est, quod in ipsa, una numero existente, sint plures personæ, quarum una sit ab alia, & tertia ab utraque; & propterea relationes originis sunt reales, ut autem est una, habens rationem quantitatis, & similitudinis, est fundamentum relationum æ qualitatis, & similitudinis, & non requirit, quod sit in pluribus, & non ponit inter personas necessariam exigentiam, & propterea istæ relationes in diuinis non sunt reales.

solutio cõ
trarii argu
menti.

Ad argumentum in contrarium respõdetur, quod tunc relatione fundamenti habent necessariam ad inuicem dependentiam, ut autem illam habeant, fundameta debent esse distincta, uel si est unum simplex, & indiuisum, debet esse fecundum, & ratione fecunditatis est fundamentum personarum, ut in diuinis; quando autem est unum simplicissimum, & indiuisum, & non consideratum, ut fecundum, ponit in extremis realiter distinctis relationem rationis; & extrema realiter distincta, ratione illius fundamenti non distinguuntur, sed sunt prorsus idem, sed quatenus alia ratione realiter distinguuntur, comparantur ad inuicem relatione rationis, quæ ratione fundamenti, in quo sunt unum, est identitatis eiusdem ad seipsum; & ita filius dicitur æqualis Patri uerè, & realiter ratione essentia in qua est idem cum Patre, eadem enim est utriusque essentia.

Quid sit persona, & quod in Deo sint personæ.
Cap. V.

Multa de diuinis relationibus tractantur, & tractanda sunt, quæ eadem de Personis repetuntur; ideo ut hanc repetitionem euitemus, nunc de diuinis personis agemus, & ut melius intelligamus, quid sit persona, notandum est ex 5. Meta. quod substantia dicitur dupliciter. Vno modo dicitur substantia, quidditas, essentia, seu natura rei, quæ

quæ definitione significatur, & hanc substantiam græci uocant *υσiam*, latini uero *essentiam*. Alio modo dicitur substantia indiuiduum, quod subsistit in genere substantia; & licet in quolibet etiam genere inueniantur uniuersale, & particulare, in genere tamen substantia, indiuiduum, speciali quodam modo inuenitur; substantia enim indiuiduatur per seipsam, accidentia uero indiuiduantur per subiectum, quod est substantia; Vnde etiã indiuiduum substantia specialibus, & multis nominibus, diuersis respectibus, significatur; nomine enim significante intentionem dicitur suppositum, nominibus uero significantibus rem, dicitur res natura, subsistentia, & hypostasis; secundum triplicem considerationem substantia sic dicitur, secundum enim, quod per se existit, & non in alio, dicitur subsistentia; secundum uero, quod supponitur alicui nature communi, dicitur res natura, sicut hic homo, est res natura humana, secundum autem, quod supponitur accidentibus, dicitur hypostasis, uel prima substantia; sed quia adhuc specialiori quodam modo indiuiduum inuenitur in rationalibus substantiis, quæ habent dominium sui actus, & nõ solum aguntur, ut alia, sed etiam agunt, & earum actiones sunt in indiuiduis, ideo indiuidua substantia rationalis, habuerunt speciale nomen, & hoc nomen est Persona. Quod personæ nomen, ut dicit Boetius in lib. de diu. nat. sumptum est ex his personis, quæ in Comediis, & Tragediis, homines representabant; & dicitur persona à personando, quia sonus in concantate emissus, euoluitur, & personat; illi enim, qui in comediis, & tragediis recitabant, quandam laruam ante faciem ponebant, Vnde Græci has personas uocant *profopa*; à *pro*, quod est, in, & *fopos*, quod est facies, eo quod in facie ad illam obtegendam, ponant laruam; sed quia isti representabant homines famosos, ideo nomen personæ translatum est ad significandum homines in dignitate constitutos; unde aliqui definiunt personam dicentes, quod persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinens; sed quia magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo personæ nomen impositum fuit ad significandum, omne indiuiduum rationalis natura; & in hac significatione modo usurpatur; cum igitur de persona loquimur, non debemus considerare id à quo sumptum est nomen, sed id ad quod significandum est impositum, quod est indiuiduum rationalis natura, & licet hypostasis (ut diximus) significet quodcumque indiuiduum substantia, secundum quod supponitur accidentibus; usus tamen loquendi obtinuit, ut sumatur pro indiuiduo

ff ratio

rationalis naturæ, & significet idem, quod persona.

Quid sit
Persona.

Personam Boet. in lib. de du. na. sic definit, Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia; cui consonat definitio Ricardi, lib. 4. de Trin. ca. 18. Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, per hoc, quod dicitur [substantia] excluduntur à ratione personæ omnia accidentia, quorum nullum est persona; per hoc, quod dicitur [indiuidua] excluduntur genera, & species in genere substantiæ, quæ personæ dici non possunt; per hoc uero, quod additur [rationalis naturæ] excluduntur corpora inanimata, plantæ, & bruta, quæ personæ non sunt, per hoc etiam, quod dicitur [substantia indiuidua] excluduntur humanitas Christi, & anima rationalis separata, nam substantia indiuidua, est quid completum per se existens. Vnde licet humana natura in Christo sit completa, & perfecta, quia tamen non habet propriam substantiam, sed subsistit in persona diuina à qua fuit assumpta, non dicitur persona, nec hypostasis; anima etiam rationalis separata, licet per se existat, quia tamen est pars speciei, & adhuc retinet naturam unibilitatis, non potest dici substantia indiuidua, quæ est hypostasis, nec per consequens persona. Definitio Ricardi eadem est cum definitione Boetij, nisi quod illam magis declarat, secundum quod persona accipitur in diuinis; nam loco rationalis naturæ, dixit intellectualis naturæ, & pro indiuidua substantia, dixit, incommunicabilis existentia, diuina enim essentia est intellectualis, & cum sit communicabilis, non est persona, & cum etiam sit comunicabilis, non est indiuidua, secundum predicationem, cum prædicetur de pluribus personis, licet sit indiuidua, secundum rem.

Quod Persona, & Hypostasis attribuantur Deo.

Ex quibus sequitur, quod nomen Personæ est Deo attribuendum, significat enim id, quod est perfectissimum in tota natura. scilicet subsistens in rationali, seu intellectuali natura; omne autem id quod est perfectionis, est Deo attribuendum, cum eius essentia omnem perfectionem contineat; nomen igitur Personæ de Deo dicitur; non tamen eodem modo quo de creaturis dicitur, sed excellentiori modo, omni imperfectione remota; cum enim dicitur de Deo, nullam compositionem importat, sicut importat cum de homine dicitur, non quidem per se, sed ex accidenti, ex hoc quod complementum, seu perfectio, quæ requiritur ad rationem personæ, non inuenitur statim in uno simplici, sed requirit adunationem multorum; in Deo autem cum summa simplicitate, est summa perfectio, & ideo in Deo est persona sine ulla compositione; & quatenus hypostasis accipitur pro

per-

persona, nomen hypostasis Deo conuenit, non quantum ad id, à quo est impositum nomen, cum non substat accidentibus, sed quantum ad id, ad quod significandum est impositum, rem. scilicet subsistentē. Nec obstat, quod dicit Hiero. quod in hoc nomine hypostasis, latet uenenum; quia hoc erat antequam huius nominis significatio esset plene nota apud Latinos; hæretici enim per hoc nomen simplices decipiebant, ut confiterentur plures essentias, sicut confiterentur plures hypostases; propter hoc, quod nomen substantiæ cui responderet in græco nomen Hypostasis, communiter accipitur apud nos pro essentia. Et quamuis hæc nomina non reperiantur in Sacra scriptura de Deo dicta, & Dionysius in princ. de Di. no. dicat. Vniuersaliter non esse audendum aliquid dicere, nec cogitare de supersubstantiali occulta diuinitate, præter ea, quæ diuinitus ex sanctis eloquiis sunt expressa; nihilominus sufficit, quod res per ista nomina significata multipliciter in Sacra scriptura reperitur de Deo dicta. scilicet quod est maxime ens, & perfectissime intelligens, ut contra Arium, probat Athanasius in disputatione coram Probo. Et si de Deo non essent dicenda, nisi illa solum nomina, quæ in Sacra scriptura ueteris, & noui testamenti, secundum uocem inueniuntur expressa, sequeretur, quod nunquam in alia lingua de Deo loquendum esset, præter quam in illa in quo primo tradita fuit Sacra scriptura; ad inuenienda autem noua nomina, antiquam fidem de Deo significantia, coegit nos necessitas disputandi cum hæreticis.

Quod Diuina Personæ in esse personali proprietate constituentur, & distinguantur.

Cap. VI.

Repositinus, quem etiam sequitur Gregorius Ariminensis. r. f. d. 26. existimauit superfluum esse querere, per quid Diuina Personæ formaliter constituentur, & distinguantur, cum non habeant constitutum, & seipsis distinguantur; quorum opinio potest etiam rationibus confirmari; nam Persona diuina est eque simplex ac essentia, & proprietates illa, quæ dicitur constituere, ut Paternitas; sed essentia, & Paternitas propter sui simplicitatem, non habent aliquid quo formaliter constituentur, & distinguantur; sed non sunt constituta, & seipsis distinguuntur à quocumque, alias enim daretur processus in infinitum, ergo nec etiam Persona diuina consti-

Ff 2 tui-

tuitur. 2. quia constituens facit compositionem cum constituto, & est aliquo modo causa constituti, quæ diuinæ personæ repugnant. Prat. 3. Si Persona exempligratia Patris constituitur, Paternitate constituitur, ut asserunt illi, qui dicunt constitui, sed abstractum, & concretum idem significant, ergo dicere Patrem constitui, & distingui paternitate, est dicere Patrem, se ipso constitui, & distingui. Sed hæc opinio est omnino reiicienda, & contra eam optime argumetur Scotus eadem dist. quia illa, quæ se totis distinguuntur, sunt primo diuersa, & non habent in quo conueniant, & in quo differant, cum altero; quæ autem non sunt primo diuersa, non distinguuntur se totis, sed habent aliquid quo constituantur, & distinguantur; sed Personæ Diuinæ conueniunt in essentia, & distinguuntur personaliter, ergo non se totis distinguuntur, sed habent quo formaliter constituantur, & distinguantur. Quod etiam confirmatur auctoritate Ecclesiæ, quæ in præfatione de Trinitate cantat, *In personis proprietates, & in maiestate adoretur equalitas*, persona autem non est in seipsa, sicut proprietas dicitur esse in persona, ergo Persona, aliqua proprietate formaliter constituitur, & distinguitur ab alia persona. Imo uidemus in eadem Persona esse plures proprietates, & Personas conuenire non solum in essentia, sed etiam in proprietate; & distingui non quacumque proprietate, nam in Patre est innascibilitas, generatio actiua, & spiratio actiua; & spiratio actiua non distinguitur à filio, quia illa est etiam in filio, & licet innascibilitas sit in Patre, & non in Filio, non tamen per eam formaliter Pater distinguitur à Filio, quia ut inquit Aug. 5. de Trin. Si Pater per impossibile non esset ingenitus, posset tamen esse Pater, & distingueretur à Filio, ergo Persona nõ distinguitur seipsa, nec formaliter quacumque proprietate, sed in ea est proprietas, qua formaliter constituitur, & distinguitur. Præterea si Pater se toto distinguitur à Filio, pari ratione distinguitur etiam à Spiritu sancto; & si pari ratione distinguitur ab utroque, ergo habet eandem habitudinem ad utrumque, & è conuerso, uterque habet eandem habitudinem eiusdem rationis ad ipsū, si quelibet persona se tota distinguitur ab alia, quod constat esse falsum, & hæreticum, nam Pater ad Filium refertur, ut Pater, & ad Spiritum sanctum, non ut Pater, sed ut Spirator refertur, & ob id Spiritus sanctus non dicitur Filius.

Rationes autem, quæ in contrarium adductæ fuerunt, nihil concludunt; & ad primam dicimus, quod licet Persona diuina sit eque simplex ac essentia, & proprietas personalis; nihilomi-

nus

nus proprietate constituitur, essentia uero, & proprietas, non constituuntur, nam in diuinis constitui, uel non constitui, non sumitur penes maiorem, uel minorem simplicitatem, sed penes hoc quod includit, uel non includit aliqua quorum unum non sit formaliter alterum, uel de alterius intellectu; quia igitur Pater, ut persona, est aliquid, quod non est de intellectu essentia: s. relatio, & aliquid, quod nõ est de intellectu relationis, scilicet essentia, ideo persona Patris constituitur, & non se tota distinguitur, sed habet in quo conuenit, & in quo differt; non sic autem essentia, nec relatio, quæ non includunt aliqua quorum unum non sit de intellectu alterius, nec habent per quod distinguantur, & non distinguantur, sed se totis distinguuntur. Ad quod etiam facit eorum modus significandi, nam pater significatur, ut subsistens; & ut suppositum; essentia autem, & relatio, per modum formarum; & ideo non potest dici, quod constituatur, sicut dicitur de Patre; nam ad ueritatem, & proprietatem locutionis, non solum attenditur ueritas rei, sed etiam modus significandi eorum de quibus loquimur. Nec ob id sequitur (ut ad secundam rationem respondeamus) quod persona diuina sit composita, & causata; nam dum loquimur de constitutione personæ, non intelligimus personam proprietate per modum totius ex partibus constitui, ut totum integrale ex suis partibus; uel quod essentia se habeat per modum partis potentialis, & proprietas per modum partis actuantis, uel quod essentia se habeat tanquam genus, & proprietas tanquam differentia; quod enim sic constituitur est compositum ex partibus integralibus, essentialibus, & specificis; quod Deo nullo modo conuenit, tanquam eius summæ simplicitati repugnans. Sed intelligimus personam constitui, constitutione suppositi, per naturam; eo. n. modo quo humanitas constituit hominem, & petreitas petrum, sic diuinitas constituit Deum, & paternitas patrem; quæ constitutio potest dici formalis, sicut album in esse albi formaliter constituitur per album; proprietas igitur, seu relatio constituit in diuinis personam, eo modo quo forma totius constituit suppositum suum, ut humanitas hominem, & petreitas petrum, homo enim formaliter est homo humanitate, & petrus formaliter est petrus, petreitate, ideo illis constituuntur, non quasi sint partes, sed quia sunt forma totius; eodem modo in diuinis, persona patris constituitur paternitate, qua formaliter est pater, & ista constitutio non repugnat summæ simplicitati, nam quod sic constituens, & constitutum non sit simplex, est per accidens,

Vnde sumatur constitui, & non constitui in diuinis.

Quod constitutio in diuinis nullam faciat compositionem.

Ff 3 cidens,

solutio
contrario
rum argu
mentorum.

cidens, quia forma totius est composita, & non est subsistens, sed est recepta in supposito, at si forma illa esset simplex, & per se subsistens, & constituens, & constitutum esset simplex; huiusmodi est proprietas diuina, quæ est simplicissima idem realiter, & essentialiter cum essentia, & est subsistens, qua formaliter in quantum talis, persona, est persona; Et licet persona non solum dicat proprietatem incommunicabilem, qua constituitur, & distinguitur; sed etiam essentiam, quæ tribus personis est communis, non ob id sequitur, quod in Persona sit aliqua compositio, nam proprietas est idem essentiæ, ut dicemus, & ut talis personam constituit, non ergo potest cum essentia compositionem facere. Per quæ patet responsio ad ultimam rationem, nam concretum & abstractum non significant omnino idem eadem ratione, nam abstractum significatur, ut forma, concretum uero, ut habens formam, & ut subsistens; unde paternitas præcise, & formaliter dicit paternitatem, qua pater est pater, & pater non dicit præcise solam paternitatem, sed dicit etiam essentiam, qua non distinguitur à Filio, nec à Spiritu sancto, sed quia paternitas, ut respicit essentiam, est idem cum essentia, ideo ita constituit, & distinguit personam, ut nullam cum essentia compositionem faciat, ut inferius ostendemus.

Quod Personæ Diuinæ non constituantur, & distinguantur per aliquid absolutum, sed relationibus. Cap. VII.

Cum igitur Diuinæ personæ in esse personali proprietate constituantur, & distinguantur; uidendum nunc est per quid constituantur, & distinguantur, per relationes ne, an per aliquid absolutum. Cum autem personæ diuinæ nominibus relatiuis significantur, si per aliquid absolutum eas constitui asseratur, debet esse, quia non relationibus significatis, sed aliquo absoluto constituuntur; Non desuerunt, qui dicerent, personas diuinas constitui per modos absolutos, qui relationibus supponuntur; non tamen dicunt, qui sint isti modi; nec etiam id directe probant, sed solum indirecte, quia non est maior ratio, cur asseratur constitui potius relationibus, quàm modis absolutis; qui enim dicunt personas diuinas relationibus constitui, id asserunt ad euadendum compositionem in diuinis quæ esset absoluti cum absoluto; & ad euadendum distinctionem in diuina essentia, quia oppositæ relationes possunt esse in diu-

na essentia, tanquam in fundamento, propter eius infinitam facultatem; sed eadem inconuenientia etiam euitantur, si dicatur, quod constituuntur modis absolutis; quia cum sint modi rerum, & non quidditates, non faciunt cum essentia compositionem; & plures tales modi possunt fundari in una essentia, sicut plures relationes; quare per tales modos personæ diuinæ possunt constitui, & distingui. Sed ista opinio est omnino reijcienda, quia sequeretur, quod non esset una trium personarum essentia, quicquid enim absolute in diuinis dicitur, ad unitatem essentiæ pertinet. Vnde August. & omnes Sancti in Deo non nisi substantiam, & relationem ponunt. & ita Aug. 5. de Trin. dicit, quod illa, quæ sunt propria personis, dicuntur relatiue; sed nihil est magis proprium personis, quàm illa per quæ constituuntur, & distinguuntur, ergo constituentia, & distinguentia sunt, relatiua, & non modi absoluti; & idem Aug. eodem lib. inquit, quod quicquid est ad se, secundum substantiam dicitur, & de omnibus prædicatur singulariter, & non pluraliter; sed modus absolutus dicitur ad se, & non ad aliud, ex quo est absolutus; ergo si talis modus est in diuinis, dicitur secundum substantiam, & prædicatur de omnibus personis simul sumptis, singulariter, & non pluraliter; & per consequens non potest constituere, & distinguere personas. Et Damasc. lib. 1. de Fide ortho. c. 11. secundum omnia (inquit) sunt unum, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter ignascentiam, gignentiam, & processionem, nam unum agnoscimus Deum in solis quidem proprietatibus; paternitatis, filiationis, & processionis. Ansel. in epist. de processione Spiritus sancti inquit, quod in Deo omnia sunt unum; ubi non obuiat aliqua relationis oppositio; & quod impossibile est inuenire in fide Christiana; unde una persona distinguatur ab alia, nisi per relationes originis, & ita ex hoc, quod Spiritus sanctus distinguitur à Filio, probat quod ab eo procedit. Boetius in primo de Trinitate, inquit, substantia in diuinis continet unitatem; relatio multiplicat Trinitatem, Ricchard. 4. de Trin. dicit, quod in diuinis existentia suppositorum, uariatur secundum solam originem, non secundum qualitatis differentiam, & uocat differentiam qualitatis, differentiam per absoluta, ergo diceret, quod personæ diuinæ constituantur, & distinguantur per modos absolutos, est contra Sanctorum doctrinam, & contra communem Ecclesie intelligentiam; quod etiam ex Sacra scriptura probatur, nam Matthæi ultimo, Christus diuinas personas nominibus relatiuis significauit, dicens, *Baptizatus eos in nomine*

Patris, & Filij, & Spiritus sancti. & propriissime nominatas fuisse credendum est, & Ioa. 16. inquit. *Omnia quaecumque habet pater, mea sunt,* quod ponderans Cyrillus inquit, Christum exquisitissima usum esse oratione; non enim dixit, quaecumque habet pater, & ego habeo, ne imago quaedam exterior ad primitiuum formata esse uideatur, sed mea sunt, ait, identitatem substantiae ultimam, in proprietatibus incommunicabilibus in utrisque ostendens, nihil enim a patre penitus filius differt, nisi quod pater non est; solis ergo proprietatibus relatiuis constituuntur, & distinguuntur personae, alias enim aliquid esset patris, quod non esset filii, & aliquid filij, quod non esset patris, quod est expressae contra uerbum Christi. Sed contra praedictam opinionem, seu potius errorem, Durandus rationibus etiam agit, nam isti, qui ponunt per tales modos absolutos personas constitui, & distinguere, non assignant, nec possunt in speciali assignare, qui sint isti modi, & quomodo uocentur, sicut nos; qui ponimus eas per relationes constitui, unde patet eorum opinionem esse quoddam figmentum. Praeterea si per tales modos absolutos personae constituerentur, aut isti modi differunt specie, aut solum numero; non specie, quia omnis differentia specifica si sit impossibilis, in eodem supposito includit oppositionem, sed proprietates personas constituentes, sunt impossibiles in una persona, proprietates enim constituens unam personam, & eam ab altera distinguens, non potest alteri conuenire, ergo si distinguuntur specie, necesse est, quod oppositionem includant; sed in Deo non potest esse nisi relatiua oppositio, quia in omni alia oppositione unum extremum est imperfectius altero, ut in contradictione negatio est imperfectior affirmatione, & priuatio habitu, & in contrarietate quoque, unum contrariorum est imperfectius altero; in sola autem relatiua oppositione, extrema possunt esse aequaliter perfecta; ergo si illi modi differunt specie, necesse est, quod differant solum relatiue. Nec potest dici, quod sint eiusdem speciei, & differant solum numero; nam cum species in hoc differat a genere, quod tota ratio speciei potest reperiri in uno individuo, non autem tota ratio generis in una specie, necesse est, quod si natura specifica tanquam simplex, non plurificatur per aliud, in uno solo individuo reperitur; si autem plurificatur per aliud, plurificetur per aliquam accidentalem differentiam, quae faciat solum differre numero; & per consequens ea, quae sunt de se plurificata, & non per aliquam differentiam, non possunt esse eiusdem speciei solo numero differentia; sed quae

quid

quid est plurificatum in diuinis, est de se plurificatum, & non per aliud, & maxime prima distinguuntur, ut sunt illa, quae constituunt, & distinguunt personas, ergo tales modi si sunt plures, sicut sunt, non sunt unius speciei solum numero differentes, cum repugnet summæ Dei simplicitati, si autem distinguuntur specie, non possunt distinguere nisi relatiue, ut probauimus.

Quod relationes non constituent, & distinguant Personas sub ratione originis, sed sub ratione relationis. Cap. VIII.

Cum ratio dupliciter possit considerari. Primo, sub ratione relationis, ut paternitas, & filiatio. 2. sub ratione actionis, & originis, ut generare, & generari, spirare, & spirari, uidendum est sub qua ratione relationes, diuinas personas constituent, & distinguant, an sub ratione relationis, an sub ratione originis; & quicquid dicatur, non est differentia in re, sed solum in proprietate locutionis, cum omnino idem realiter sint paternitas, & generare, filiatio, & generari. Quidam dixerunt Personas constitui, & distinguere per origines, & non per relationes sub ratione relationis, sed relationes manifestare personas distinctas originibus; quorum ratio fuit, quia relationes consequuntur actus, & super illos fundantur; ex eo enim aliquis est pater, quia genuit, & aliquis est filius, quia est generatus; ergo distinctio relationum sequitur distinctionem originum, & per consequens personae intelliguntur constitutae, & distinctae, per origines potius, quam per relationes; Quod etiam probatur auctoritate S. Augustini de fide ad Petrum, circa principium, ubi dicit, quod quia aliud est genuisse, quam natum esse, & aliud natum esse, quam processisse, manifestum est quoniam alius est pater, alius filius, alius Spiritus sanctus, & S. Damasceni lib. 1. de fide orthodoxa. cap. 11. ubi dicit, quod in diuinis omnia sunt unum praeter ignascentiam, gignentiam, & processionem; qui Sancti Personas per origines distinguunt. Verum contraria sententia uidetur probabilior, ut duabus rationibus ostendit S. Thomas, prima est, quia ad hoc, quod aliqua duo intelligantur distincta, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utrique, sicut in rebus creatis per materiam, uel formam; at origo alicuius rei non significatur, ut aliquid intrinsecum, sed ut uia quaedam a re, uel ad rem, sicut generatio significatur ut uia quaedam ad rem genitam, & ut

pro-

progrediens à generante: non igitur potest esse, quod res genita, & generans constituentur, & distinguantur sola generatione; sed oportet præintelligere, tam in generante, quam in genito, ea quibus ad inuicem distinguuntur, sed in persona diuina non est aliud intelligere nisi essentiam, & relationem, ergo cum in essentia conueniant, reliquum est, quod per relationem constituentur, & ad inuicem distinguantur. 2. quia in diuinis personis distinctio non sic est intelligenda, quasi aliquid commune diui datur, quia essentia communis remanet indiuisa; sed oportet, quod ipsa distinguantur res distinctas; sic autem relationes distinguunt, uel constituunt personas, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes, sicut paternitas est pater, & filiatio est filius, eo quod in diuinis non differunt abstractum, & concretum, non enim se habent sicut totum, & pars; sed contra rationem originis est, quod constituat hypostasim, seu personam quia origo actiue significata, significatur, ut progrediens à persona subsistente, unde eam supponit; origo autem passiuè significata, ut natiuitas, significatur, ut uia ad personam subsistentem, & non ut constituens, non ergo possunt personæ constitui per originem; & licet distinguantur relationibus, & originibus, prius tamen, & principaliter, secundum modum intelligendi, distinguuntur per relationes; unde hoc nomen pater, non solum significat relationem, siue proprietatem, sed etiam personam; sed genitor, uel generans significat tantum proprietatem; nam pater significat relationem, quæ est constitutiua, & distinctiua personæ, generans autem, uel genitus, significat originem, quæ non est distinctiua, & constitutiua personæ.

Et si cōtra istas rationes arguatur, quod licet productiones elicite non possint constituere suppositum à quo eliciuntur, nec productiones quibus aliquid passiuè producitur, quasi per modum termini accipientis esse, possint formaliter constituere suppositum ad quod sunt uia, & quod per eas producitur; nihilominus productiones actiue, quæ non sunt elicite, & productiones passiuæ, quæ non sunt uia ad aliquid, quod per modum termini producat, possunt constituere supposita, & personas; quia in eis cessat prædicta repugnantia, non enim deberent præintelligi supposita siue personæ, ut ab eis egredientes, nec intelligerentur, ut uia, sed intelligerentur per modum insistentium, quibus formaliter producant producentia, quoad productiones actiuas, & formaliter producantur supposita producta, quo ad productiones passiuas. sed in diuinis genera-

re non debet intelligi, ut aliquid elicited, nec generari, ut aliquid eliciens, personam. s. filii, nam pater est generans per generatione formaliter, non eliciendo ipsum, & filius est genitus, per generatione formaliter, & non quia eliciatur per ipsum generari, ergo generare, & generari, secundum nostrum modum intelligendi, possunt concipi, ut constituentia supposita, proprius, & principalis, quam paternitas, & filiatio, quæ consequuntur illa. Respondemus cum Capreolo, quod licet non intelligamus, quod generatio diuina eliciatur à patre, nec quod natiuitas sit quædam uia elicitiua filij, tamen quia, nec generationem, nec natiuitatem diuinam, secundum quod in se est concipimus, sed in conceptibus creaturarum. s. generationis creature, & natiuitatis eiusdem, in quibus unum significatur, ut egrediens à generante, & aliud, ut uia ad genitum, ideo generatio, aut natiuitas diuina, non concipitur à nobis nisi per modum egressus, aut uia cuiusdam, licet non concipiatur quod sit egrediens à generante, & per consequens nullum eorum potest concipi, ut constitutum personæ, quia modus constitutiui formaliter repugnat, egressui, aut uia; manent ergo in suo robore rationes quibus probatum est Personas non originibus, sed relationibus constitui, & primo distingui.

Vt autem ad rationem pro confirmatione contrariæ sententiæ factam, respondeamus, & simul ostendamus qua ratione relatio constituat personam, notandum est, quod sicut relatio, & processio in diuinis sunt idem, secundum rem, & differunt secundum rationem, ita relatio in Deo, licet sit una secundum rem, & simplicissima, secundum tamen modum intelligendi est multiplex, nam intelligitur, ut constitutiua personæ, & ut relatio, qui duo modi sunt distincti, nam quæ relatio sit constitutiua personæ, nō habet ut est relatio; nam relationes in humanis nō constituunt personas, cum relationes sint accidentia, & persona sit quid subsistens in genere substantiæ, substantia autem per accidens constitui non potest; sed relatio in diuinis habet hoc, quod constituat personam, in quantum est diuina relatio, ex hoc enim habet, quod sit idem cum diuina essentia, & ut est idem re cum diuina essentia, potest diuinam hypostasim constituere; non quod illam constituat, ut est idem re cum essentia, nam illam constituit, ut distinguitur contra essentiam, & contra originem. Vbi notandum est, quod aliud est relationem, aliquid habere, ut est ipsamet essentia, aliud ut ratione distinguitur ab essentia, & est idem re cum essentia; ut est ipsa essentia,

Solutio cōtrarij argumenti.

Qua ratione relatio constituat personam

tia, illi conueniunt omnia, quæ Deo ratione essentiæ conueniunt, & ita relatio dicitur creatrix, conseruatix, gubernatrix; ut distinguitur ab essentiâ, ita tamen, ut res sit eadem cum essentiâ, aliqua ei per se formaliter conueniunt, quæ per se, & formaliter non conueniunt essentiæ, sed illi conueniunt, ut talis relatio, ratione essentiæ, quatenus est idem re cum essentiâ; quod. s. sit realis, quod sit subsistens, & incommunicabilis, quod personam constituat. relatio igitur constituit personam, non ut est essentiâ, nec ut est relatio, sed in quantum est talis relatio, res. s. relatiua eadem essentiæ, per se subsistens, prima, & incommunicabilis; & ut talis est ipsamet persona, nam persona Patris non est aliud nisi paternitas per se subsistens; ex quo sequitur, quod relatio in Deo consideratur, ut constitutiua personæ, & ut relatio; est ergo alius modus intelligendi, quo intelligitur relatio ut constitutiua diuinæ personæ, & alius quo intelligitur relatio ut relatio est, & ita nihil prohibet, quod quantum ad unum modum intelligendi, relatio præsupponat processionem, quantum uero ad alium, è contra processio præsupponat relationem: Dicimus igitur, quod si relatio consideretur, ut relatio, secundum intellectum præsupponit processionem, & consequitur actum, & super illum fundatur, nam pater refertur ad filium, quia genuit filium, & filius refertur ad patrem, quia est genitus, & sic generare, & generari præcedunt intellectu ipsas relationes paternitatis, & filiationis; si autem relatio consideretur, ut est constitutiua personæ, aliquando est prior processione, aliquando posterior, secundum intellectum; nam relatio, quæ est constitutiua personæ à qua est processio, est prior secundum intellectum, quam processio; sicut paternitas in quantum est constitutiua personæ Patris, est prior, secundum intellectum, quam generatio, quia actio præsupponit personam agentem; relatio autem, quæ est constitutiua personæ procedentis, etiam in quantum est constitutiua personæ, est posterior secundum intellectum, quam processio, sicut filiatio, quam natiuitas, quia persona procedens intelligitur, ut terminus processionis, & processio, ut uia ad personam relatione constitutam. Et apud logicos etiam, ut bene dicit Caietanus, relatio dupliciter consideratur. s. ut concepta, & ut exercita, & tamen est unamet relatio; iuxta quam distinctionem dicimus in proposito, quod paternitas, ut relatio, est ut exercita, & consequitur actum generationis, & ipsamet sub expressa ratione paternitatis, ut constitutiua, est ut concepta, & præcedit generationem, & constituit hypostasin.

utrunque

utrunque comprehendatur infra relatiuam illius latitudinem, simul tamen non sunt secundum rationis ordinem. sed paternitas, ut præcedit generationem, constituit, & distinguit relatiuam personam patris in esse hypostatico relatiuo, realiter, & formaliter, sed non relatiue exercito, & ita uocatur paternitas, non ut relatio, sed ut constitutiua; Vt autem consequitur generationem, constituit, & distinguit eandem personam, non in esse hypostatico, sed in esse relatiue exercito, & ideo uocatur paternitas, ut relatio. ita quod non sunt duo esse relatiua in Patre, sed unum tantum datum à paternitate formaliter ante generationem, ut hypostaticum, & post, ut exercitum, & similiter unica est distinctio Patris à Filio, sed data prius, ut hypostatica, & post ut exercita. Ex quo soluitur quorundam argumentum sic arguentium, Paternitas, ut constitutiua, aut dicit absolutum, aut quid relatiuum, si absolutum, ergo persona constituitur per rationem absolutam, quod falsum esse probatum est superius, si quid relatiuum, ergo paternitas, ut relatio, constituit, quibus dicitur cum Capreolo, quod paternitas dum concipitur, ut constitutiua patris, intelligitur, quid relatiuum, sed non relatiue, nec sub ratione relatiui, sed ut quedam forma incommunicabilis nature intellectus diuinæ; & sic concipi est absolute concipi; nec ob id sequitur, quod persona diuina constituitur per rationem absolutam, nam diuina persona non constituitur per rationem nostri intellectus, sed per rem, quæ est uerissime relatiua, & ideo persona diuina est relatiua; tamen intellectus noster dum concipit constitutum illius personæ, illud concipit sub ratione absoluta, nec aliter posset constitutionem illius personæ concipere, nisi concipiendo rem relatiuam sub ratione absoluta; nec est in hoc aliqua repugnantia, quia relatio in diuinis habet esse diuinæ essentiæ, quod est esse absolutum, & ideo potest concipi sub ratione absoluta. Et si adhuc instetur pro confirmatione prioris sententiæ, quod sicut distinguitur de relatione, quod consideratur, ut constitutiua personæ, & ut relatio, eadem ratione potest, & de origine dici, quod non constituit, ut origo, sed ut constitutiua, & ita saltem non erit maior ratio quare relatio potius, quam origo constituat, & distinguat personam. Respondetur cum Caietano, quod relatio sic debuit distingui, & non origo, tum quia tenentes oppositum non distinguunt de origine, sed ipsam ut originem constituentem faciunt, non curantes de modo significandi. Tum quia relatio realis, secundum propriam rationem non solum consideratur secundum comparisonem ad

ali-

aliquid extra, quæ est propria eius ratio, sed etiam ut est, & existit, increatis quidem, accidens subiecto in hærens, in Deo uero substantia. at origo, ut origo habet solum rationem uia; tum etiam tertio, quia in diuinis duo tantum sunt genera, secundum Boetium substantia. s. & ad aliquid, sed persona diuina est formaliter ad aliquid, ergo oportet illius constitutum esse formaliter ad aliquid, & propterea oportuit relationem diuinam affirmare, & deinde illam distinguere in duplicem eius actum, constituere. s. & referre, Ad auctoritates autem Augustini, & Damasceni, dicitur quod dicunt personas distingui per origines, attendentes ad rem, & non ad proprietatem locutionis.

*Quod relationes reales, & Personæ, sint idem re cum essentia
& sola ratione ab ea differant, inter se uero realiter. Cap. IX.*

Cum in Deo sint relationes reales, quibus Personæ constituuntur, & Deus sit simplicissimus, actus purus, nullam habens compositionem, necessario dicendum est, relationes, & Personas, esse idem cum diuina essentia, si enim essent accidentia in hærentia, compositionem facerent; & ex alia parte, aliqua conueniunt diuinæ essentiæ, quæ non conueniunt relationibus, & personis; nam diuina essentia est una, communicabilis, & secundum eam, nulla sumitur distinctio; at relationes, & personæ sunt multæ incommunicabiles, & aliqua illis conueniunt, quæ non conueniunt essentiæ, nam relationes constituunt, & distinguunt personas, pater generat, filius generatur, quæ de essentia dici non possunt; necesse igitur est, quod relationes, & personæ, ita sint idem re cum essentia, quod aliquo etiam modo ab ea distinguantur. quomodo autem distinguantur ab essentia, est nunc breuiter explicandum; & relicta opinio Durandi, qui uoluit aliquomodo distingui realiter; aliqui tenuerunt, quod distinguuntur formaliter à parte rei, ante opus intellectus; cum de illis contradictoria prædicentur, & illæ prædicationes eis conueniant ante opus intellectus; sed nihilominus propter summam Dei simplicitatem, dicimus, inter personam, & essentiam, nullam esse actualem distinctionem, & ut huiusmodi prædicationes contradictoriæ, uerificentur à parte rei non requiritur actualis distinctio ante opus intellectus, sed sufficit, quod non sint idem ratione, uel non sint ad æquata; in quo decepti sunt, qui realem, uel formalem distinctionem inter es-

sen-

sentiam, & personam constituunt; nam arbitrantur prædicationem, compositionem, diuisionem, seu negationem, esse in re extra intellectum in actu completo, cum sint opus intellectus, & sufficiat quod in re sit uirtualis distinctio, & ut in fundamento; in puncto enim nulla est diuisio realis, nec formalis, cum sit indiuisibilis, & tamè quatenus multas lineas terminat, ratione illum in ordine ad lineas quas terminat, intellectus distinguit, & contrarias rationes ei tribuit, principij. s. & finis, quæ ei à parte rei conueniunt; quia licet terminare unam lineam toti puncto conueniat, cum in eo non sint partes, non tamè totaliter, quia alias etiam terminare potest; & tamen in eo nulla est actualis distinctio, sed tantum uirtualis, quia (ut diximus) licet secundum se totum terminet lineam, non tamen totaliter, ita ut alias terminare non possit. Distinctio igitur inter Personam, & essentiam, est in re, uirtualiter, & ut in fundamento, & non in potètia, nec in actu completo, propter plenitudinem diuinæ perfectionis, in qua unum sunt secundum rem absolutam, & respectiuam. Cum enim diuina essentia in esse reali sit simplicissima, omnem præhabens perfectionem, & esse absoluti, & esse respectiui, non erit, nec pure absoluta, nec pure respectiua, sed eminentissime habens, quod est absoluti, & respectiui; Cum autem omni rei simplicissime sua correspondeat formalis ratio, in Deo, in ordine formali, seu rationum formalium, est una ratio formalis, non pure respectiua, nec pure communicabilis, sed eminentissime, ac formaliter continens quicquid est absolute perfectionis, & quicquid Trinitas respectiua exigit; cuiuslibet enim rei simplicissime, secundum se maxime uni, respondere debet unica ratio formalis, ut diximus. Non ergo ex hoc, quod essentia est unius rationis in se, sequitur, quod sit tantum communicabilis, & in hoc formaliter differat à persona; nam illius unica formalis ratio, propter suam infinitatem utrumq; continet; in creatis quidem, absoluta à respectiuis formaliter differunt, sed non in Deo, qui est prior ente, & omnibus entis differentiis, & maxime unus, & simplicissimus; quia ergo essentia diuina sub una ratione formali, eminentissime continet rationem suæ communicabilitatis, & rationem incommunicabilitatis personæ, persona comparata ad essentiam, non solum non distinguitur ab ea re, sed nec etiam formaliter, sed tantum uirtualiter, & ratione. Et Pater in primo signo originis intelligens se, non intelligit essentiam, & paternitatem, ut duo obiecta formalia, secundum se, ut uoluit Scotus, sed ut unum formaliter, & duo uirtualiter: &

solutio ta
cit e obie-
ctionis.

non

non ita, quod in illa summa re, atque ratione formali, paternitas, & essentia fiat virtualiter: sunt enim ibi formaliter, & realiter; sed earum distinctio est virtualiter, quia ita ibi sunt, & ita exercent propria utriusque, ac si essent distinctæ; Et si Sancti, & Doctores de essentia, & relatione aliquando locuti sunt, ut de distinctis formaliter, intelligendi sunt ex parte rei, quod formaliter distinguuntur, non actualiter, sed virtualiter, quia sunt sub una ratione formali, ac si essent formaliter distinctæ; Ex parte autem nostri, quia ratione obiectiua apud nos actualiter distinguuntur; sed hoc nihil in Deo ponit, nisi relatiuam entis rationis denominationem. Ex quo sequitur, quod quatenus essentia, & persona, habent unde distinguantur secundum intelligentiæ rationem, aliqua possunt affirmari de una, quæ negantur de alia; nam licet persona comparata ad essentiam, sit idem re cum essentia, quia tamen non solum comparatur ad essentiam, sed etiam ad aliam personam cui relatiue opponitur, & à qua consequenter realiter distinguitur, non adæquat omnem rationem essentiæ; cum enim essentia propter eius omnimodā perfectionem, ita in suo esse, & sua formali ratione sit absoluta, & incommunicabilis, ut etiam includat suo simplicissimo esse, & sua formali ratione, quicquid est respectiui, ut ad essentiam comparatur, identificabit etiam sibi aliam personam correlatiue oppositam; Vnde essentia non tantum est Pater, sed etiam filius, & Spiritus sanctus. Propter igitur inadæquationem cuiuslibet personæ ad essentiam, & propter omnimodam perfectionem essentiæ, qua in uno esse reali, & formali simplicissimo continet, & sibi identificat quicquid est absoluti, & respectiui, aliquid dicitur de Patre, quod non dicitur de essentia, scilicet generare; & aliquid dicitur de essentia, quod non dicitur de Patre, scilicet filius, & Spiritus sanctus; quia Pater non solum comparatur ad essentiam, sed etiā ad Filium, & ad Spiritum sanctum refertur, & ut ad filiū refertur dicitur generare, & similiter, ut ad Spiritum Sanctum, cum filio refertur, dicitur spirare, à quibus differt, qui sunt idē cum essentia; sed quia sunt idem, ut eam respiciunt, ideo essentia non dicitur generare, nec generari, nec spirari, quia hæc personis conueniunt, non ut essentiam respiciunt, sed ut ad se inuicem referuntur.

Quod relationes inter se realiter distinguantur
Cum Personæ ratione distinguantur ab essentia, uideri alicui posset, quod inter se etiam solum ratione, & nō realiter distinguantur; nam talis est identitas extremorum inter se, qualis est eorum identitas in medio. Si autem realiter distinguuntur, uidetur

uidetur hoc Sanctissimum Trinitatis mysterium aduersari illi maximæ, ab omnibus Philosophis receptæ, Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se: & consequenter etiā tolli syllogismus expositorius: qui super ea fundatur; secundum enim artem syllogisticam, sic argumētari licet, essentia est paternitas, & filiatio est essentia, ergo filiatio est paternitas; & tamen duæ præmissæ conceduntur tanquam ueræ, & catholicæ, & consequens tanquam falsum negatur, & nihilominus consequentia uidetur bona: Imo uidetur hoc mysterio falsificari illud primum principium, de quolibet affirmatio, uel negatio, est uera, & de nullo ambæ sunt ueræ; si enim tres personæ, sunt una essentia, sequitur quod sint tres personæ diuinæ, & non sint tres personæ; cum etiam essentia, & pater sint eadem res, de eodem, plura contradictoria affirmabuntur, nam de Patre dicitur, quod generat, quod spirat, quod est incommunicabilis, quæ omnia negantur de essentia; & de essentia dicitur, quod est Filius, & tamen non dicitur, quod Pater sit Filius, licet Pater sit essentia. Hæc dubia mouimus, ut etiam gentiliū argumentis in contrarium satisfaciamus; & respondēdo dicimus, quod non oportet, quod talis sit identitas extremorum inter se, qualem habet illa extrema in medio, & maxime quando medium est idem extremis, non formaliter, sed identice, hoc est identitate rei, & nō rationis; quod patet in actione, & passione, quæ sunt idem realiter, motui, & ab eo differunt ratione, & tamen secundum aliquos inter se realiter distinguuntur; earum enim relationes sunt reales, & realiter distinctæ; quarum una est subiectiue in agēte, alia uero in passō; & illa maxima est intelligenda, cum duplici limitatione; prima est, quando extrema identificantur medio, re, & ratione, altera est, quando identificantur adæquate, quando enim medium nullum, extremorum adæquate sibi identificat, non oportet, quod extrema in tali medio identificata, identificentur inter se: Essentia autem diuina identificatur relationibus, seu personis, re, sed non ratione; cum enim dicitur Pater est essentia, uel è contra, talis prædicatio est quasi per accidens, & non per se, nam est uera, non propter identitatem significationis subiecti, & prædicati, sed propter identitatem rei subiecti, & prædicati, non enim Pater formaliter significat essentiam, nec essentia Patrem. Et quælibet persona est eadem diuinæ essentis, sed non adæquate, & conuertibiliter, & propterea licet quæ personæ sint idem cum essentia, non tamen ob id una persona est altera. Modus autem distinctionis Personarum ad in-

hanc non est sumendus in ordine ad essentiam, sed ex rationibus ipsarum personarum, quibus se inuicem respiciunt, & distinguuntur, quæ sunt relationes; persona enim diuina nihil aliud est, quam relatio per se subsistens: cum igitur in Deo sit relatio realis, oportet, quod ibi sit realis oppositio, de ratione enim relationis, est respectus unius ad alterum, secundum quem, aliquid alteri relatiue opponitur; relatiua autem oppositio in sui ratione includit distinctionem, & ita in Deo est realis personarum distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa unitas, & simplicitas, sed secundum rem relatiuam. Ex quibus remanent soluta prædicta philosophorum argumenta, non enim hoc sacrosancto mysterio destruitur illa maxima, nec ars syllogistica, nec illud principium de quolibet affirmatio, uel negatio, est uera, & de nullo ambæ sunt ueræ; cum personæ ita sint idem re cum essentia, ut ratione ab ea distinguantur, inter se uero realiter, sed non quatenus sunt idem re cum essentia, nam hac ratione sunt etiam idem re inter se, sed quatenus inuicem referuntur. Vnde cum arguitur essentia est paternitas, filiatio est essentia, ergo filiatio est paternitas; concessis præmissis, neganda est consequentia, quia in argumento est fallacia accidentis; nam essentia dicitur paternitas, & filiatio essentia, propter identitatem rei, sed non rationis, & propterea non sequitur, quod filiatio sit paternitas; Verum etiam est, quod non potest aliquid idem affirmari, & negari de eodem, quatenus est idem, sub eadem ratione, sed bene poterit diuersa ratione, quatenus ita sunt idem, ut etiam distinguantur; & ita cum persona, & essentia sint idem re, nihil quod ad naturam rei pertinet, quod prædicatur de essentia, potest negari de persona, ut dicatur essentia est increata, persona non est increata; sed quia distinguuntur ratione, quicquid pertinet ad rationem illam in qua distinguuntur, quod prædicatur de uno, potest negari de alio, ut dicatur essentia est communis, paternitas non est communis, pater generat, essentia non generat.

Quod in Deo nulla sit compositio, sed summa simplicitas. Cap. X.

Sed ex prædictis oritur dubium, quia uidetur poni in Deo compositio, etiam si asseratur in eo essentiam sola ratione distingui à Persona, nam si essentia ratione distinguitur à persona, & personali proprietate, persona uidetur compo-

ni ex essentia, & personali proprietate; nec obstat si dicatur, quod sunt idem re, quia saltem in Deo erit compositio rationis, & formalis; quia talis est ordo, & habitudo secundum rationem inter ea, quæ sunt distincta ratione, qualis est ordo, & habitudo secundum rem, inter ea, quæ sunt distincta realiter; sed hæc faciunt compositionem realem, ergo illa faciunt compositionem rationis, & formalem. Et confirmatur, quia transitus in identitatem, non tollit compositionem, nisi illam, quæ est eiusdem generis cum transitu; ut si transitus sit in identitatem realem, tollit compositionem realem, si in identitatem rationis, tollit compositionem rationis; si igitur Paternitas, & essentia transeunt in identitatem realem, & retinent distinctionem rationis, iste transitus tollit solum compositionem realem, & relinquit compositionem rationis. Præterea simplicius cogitatur aliquid cum cogitatur, ut abstractum à pluribus, quam ut contentum in pluribus; Et maior est simplicitas, ubi est unitas, sine pluralitate, & sine diuersitate, at in Deo est pluralitas, & diuersitas suppositorum, & proprietatum. Ad quod respondetur nullam in Deo esse compositionem, nec realem, nec formalem, nec etiam secundum rationem, licet in Deo sint plures rationes; Pro cuius maiori explicatione, notandum est, quod cum personarum nomina, relationes denotent, & earum processiones sint in identitate natura, necesse est, quod in Deo sint relationes, & sint reales, & secundum eas, processiones accipiantur, & personæ constituentur, & distinguantur; quæ relationes in Deo non sunt accidentia, sed habent esse diuinæ essentiæ; & licet constituent, & distinguant personas, nullam tamen in Deo compositionem inducunt; quod ut melius intelligatur, notanda est differentia inter relationem & reliqua accidentium genera. In omnibus quidem generibus accidentium duo sunt consideranda. Vnum est esse, quod competit unicuique ipsorum, secundum quod est accidens, & communiter in omnibus est in esse subiecto, accidentis enim esse, est in esse. Aliud est propria ratio uniuscuiusque illorum generum; & in hac, relatio differt ab aliis omnibus accidentibus, in aliis enim generibus, ut pote quantitate, & qualitate, etiam propria ratio generis, accipitur secundum comparisonem ad subiectum, nam quantitas dicitur mensura substantiæ, qualitas uero dispositio substantiæ; sed ratio propria relationis non accipitur, secundum comparisonem ad subiectum in quo est, sed secundum comparisonem ad aliquid extra. Si igitur consideremus relationes secundum id, quod relationes sunt, etiam in rebus creatis, non

sunt assistentes, siue intrinsecus affixæ, ut putauit Gilbertus porretanus, qui postea errorem suum in Concilio remensi reuocauit, sed significant respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam prout ab ea tendit in alterum. Si autem consideretur relatio, secundum quod est accidens, sic est inherens subiecto, & habens esse accidentale in ipso. Quicquid autem in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod in Deum transfertur, habet esse substantiale; in Deo enim non est accidens, ut in subiecto, sed quicquid est in Deo, est eius essentia. Relatio igitur qua parte in rebus creatis habet esse accidentale, in Deo realiter existens, habet esse Diuinæ essentia; idem omnino ei existens; qua parte uero ad aliud refert, non significat aliquam habitudinem ad essentiam, sed magis ad suum correlatiuum, a quo realiter distinguitur; Ex quo fit, quod licet sint plures relationes reales in Deo, quæ realem etiam personarum distinctionem efficiunt, nullam tamen cum essentia Diuina compositionem inducunt; quia nihil componit cum alio, secundum suam rationem, sed solum secundum suum esse; ex hoc enim aliqua compositionem efficiunt, quia unum est in potentia respectu alterius, uel ambo respectu alicuius actus. At relationes, & proprietates personales, comparatæ ad essentiam, non differunt re ab ipsa; & secundum suas rationes, non essentiam, sed sua correlatiua respiciunt, ergo cum ea nullam compositionem faciunt. Et si instetur, quod saltem differunt ab essentia ratione, & ita in persona concipiuntur, essentia, & personalis proprietas, ut distinctæ; & de Deo etiam, distinctas attributorum rationes concipimus, quæ uidentur aliquam compositionem inducere. Respondetur, quod hæc est differentia inter rationes relationum, & alias rationes attributorum, quas de Deo concipimus, quod rationes relationum sunt realiter in Deo, & respiciunt non essentiam, sed correlatiuam personam, unde solam distinctionem, sine ulla compositione in Deo ponunt; at rationes quas concipimus de diuinis attributis, & etiam de relationibus, & de personis in ordine ad essentiam, nec realiter, nec formaliter, differunt inter se, nec ab essentia (ut diximus) sed uirtualiter, & ut in fundamento, & ob id nullam faciunt compositionem, nec distinctionem cum diuina essentia; rationes quidem relationum ex se faciunt distinctionem, quia respiciunt suum correlatiuum, ex quo intellectus sumit distinctionem rationis ab essentia; quia licet una relatio puta paternitas, sit tota essentia, non tamen totaliter, quia essentia est etiam

filia-

filiatio, a qua distinguitur paternitas; at aliæ rationes, cum non sint relatiuæ, nullam realem distinctionem efficiunt, sed distinctio est ex parte nostri, qui cum non possimus unico simplicissimo conceptu Deum cognoscere, multos formamus. Est igitur in diuinis pluralitas rationum sine compositione, & distinctio sine dissolutione, cuius potissima causa est, ex cuius ignorantia multi errauerunt, quia illæ rationes, quæ de diuina essentia & de personis concipiuntur, non sunt subiectiuæ in Deo, sed in nostro intellectu, licet Deus sit illarum omnium fundamentum, Rationes enim istæ (quantum ad præsens spectat) quas de Deo concipimus, dupliciter accipi possunt, uel pro ipsa conceptione, quam intellectus per actum suum producit, & isto modo clarum est, quod diuersæ rationes nullam ponunt in Deo pluralitatem, nec compositionem, sed solum in intellectu nostro, cum sint quædam accidentia intellectus nostri; imo ab Arist. 1. periar. uocantur passionem animæ, dum dicit, quod uoces sunt signa passionum animæ, scilicet rationum, & conceptuum. Secundo modo accipiuntur pro obiecto, ut est acceptum ab intellectu, ita quod obiectum, est, ut materiale, & conceptio, ut formale, & rationes etiam sic acceptæ nullam in Deo ponunt pluralitatem, nec compositionem, quia rationes de diuina essentia, & de personis in ordine ad essentiam, illo modo sumptæ, sunt in Deo solum quoad fundamentum, quoad uero sui complementum, sunt in intellectu; sicut si ab vno puncto procedant in circulo multe lineæ uersus circumferentiam, ille punctus est in se simplex, nullam in se habens pluralitatem, & tamen est pluralitas in lineis procedentibus, ut sunt extra ipsum, non ut sunt in ipso, quia ibi omnes lineæ unum sunt, sunt enim ibi quælibet per suum punctum inchoatiuum lineæ, idem autem punctus omnes illas lineas inchoat, & principiat, si ergo ille punctus, ut principiat talem lineam diceretur una ratio, & ut principiat aliam, diceretur alia ratio, manifestum est quomodo illæ omnes rationes, ut sunt in re essent idem, licet ut sunt in intellectu essent multiplices, & distinctæ. A similitudine sit ille punctus Deus, circumferentia intellectus noster, lineæ exeuntes a centro, & terminantes ad circumferentiam, sint conceptus de Deo habiti. Si ergo ratio dicatur res diuina sub tali conceptu, uel ut fundat conceptum, apparet quomodo diuersitas rationum in nullo præiudicat Diuinæ simplicitati, sicut nec pluralitas linearum unitati puncti, & quomodo sicut ille punctus dicitur multiplex extrinsecè, ita, & Deus extrin-

Gg 3 sic,

sice plures dicitur habere rationes, & plures perfectiones, & relationes ratione distingui ab essentia, quia. s. Diuina essentialiter sit simplicissima, distinctos tamen conceptus fundat, qui in intellectu solum distinctionem habent. Neq; hoc derogat summæ Dei simplicitati, nam ad perfectam unitatem, & simplicitatem pertinet, quod ea, quæ sunt multipliciter, & diuisim in aliis in ipso sint simpliciter, & unitè. Ex quibus patet responsio ad ea, quæ in contrarium opposita sunt, non enim oportet talem, ordinem, & habitudinem esse inter ea, quæ sola ratione distinguuntur, qualis esset inter ea, si realiter distinguerentur, nisi quantum ad habitudines, quæ consequuntur illorum rationes; compositio autem non consequitur essentiam, & relationem, quantum ad earum rationes, sed quantum ad esse, ut diximus, in quo non differunt. Ex quo etiam patet solutio secundi argumenti, nam transitus in identitatem realem, tollit omnem compositionem, cum res non componant, secundum suas rationes, sed secundum suum actuale existere, ubi scilicet, est multitudo ipsius esse. Ad tertium dicitur, quod tunc abstractum à pluribus est simplicius, quam contentum in pluribus, quando in illis plurificatur, secus si non plurificatur, nam ut inquit S. Bona. est unum in uno, unum in pluribus multiplicatum, & unum in pluribus non multiplicatum, unum in pluribus multiplicatum, est simplicius, quàm unum in uno, nam uniuersale est simplicius singulari, & multo simplicius est id, quod est unum in pluribus non multiplicatum. & sic est Deus simplicissimus, in quo pluralitas personarum non derogat eius summæ simplicitati, nam, tantum est in omnibus tribus, quantum in qualibet, & non minus est in una, quam in omnibus tribus simul. & omnes sunt, idem cum essentia; & ipsamet essentia; ista pluralitas nihil addit ad unitatem, & ideo nullam omnino ponit compositionem, nec tollit simplicitatem, sicut illa in qua plus est in duobus, quam in uno. Et licet pluralitas exigat proprietates diuersas ad constitutionem, & differentiam, istæ tamen proprietates diuinarum personarum, & earum differentia nullam faciunt compositionem; nam proprietas tripliciter differt à proprietate, aut respectu subiecti, quia causatur ex diuersis naturis in ipso repertis, & sic arguit compositionem subiecti ex diuersis naturis, & illam auget, aut respectu sui, quo pacto musica, & grammatica differunt in Petro, & sic etiam ponit compositionem, quia ponit subiectum sub esse pluribus; aut respectu obiecti, & hoc modo facit solam distinctionem, sed non compositionem, quia ponit solam rela-

tio-

tionem, & respectum ad correlatiuum, ut diximus de puncto, qui est principium, & finis diuersarum linearum, & hoc modo est pluralitas, & differentia diuinarum proprietatum, quæ etiam hoc modo personas constituunt, & distinguunt, quatenus. s. sunt relationes originis, & important ordinem, & respectum ad aliū, quatenus uero respiciunt essentiā sunt idem cum essentia, ideo sine ulla compositione personas constituunt, & illas inuicem realiter distinguunt, quæ summæ Dei simplicitati non repugnāt.

Quod tres in Deo sint Personæ, & non plures. & quomodo rationes philosophicæ sint applicandæ mysterijs fidei. Cap. XI.

Hoc sacro sanctum mysterium dicitur Trinitas, id est trium unitas, quia sunt tres personæ unius, & eiusdem profus numero essentiæ, Quod autem tres tantum sint in Deo personæ, non plures, nec pauciores, fide habemus; qua supposita, ex his quæ diximus possumus etiam huius deducere rationem, tam ex parte processionum, quam ex parte personarum; Ex parte quidem processionum, quia generaliter loquendo tria sunt productionis principia, natura, uoluntas, & ars, & consequenter tres sunt modi producendi, secundum naturam, secundum uoluntatem, & secundum artem; productio secundum artem, conuenit cum ea, quæ est secundum naturam quia per utranque producitur, quid simile; sed differt, quia in productione naturali producitur simile in substantia, in productione autem artis producitur simile, secundum rationem formæ exēptaris, dissimile uero in substantia, & natura; & propterea est impossibile, quod iste modus producendi sit in Deo ad intra quia processio ad intra repugnat distinctio in essentia; cum igitur processio ad intra sit cum identitate essentiæ, necesse est, quod actiones personales radicentur in actibus essentialibus, non tendentibus ad extra, sed intra manentibus; isti autem actus non sunt nisi duo. s. intelligere, & uelle, cum Dei natura sit pure intellectualis, processio secundum intellectum, est in Deo secundum naturam, & propterea dicitur generatio; duobus autem tantum in Deo existentibus actibus, duæ tantum erunt processiones ad intra, & duæ personæ procedentes, nam per modum intelligendi, procedit Verbum à Patre, quod dicitur Filius, & eius processio generatio, ut dicemus, & per modum uoluntatis spirando, procedit Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Nec potest Pater intelligendo plura producere Verba, seu plures generare filios,

Ratio ex parte processionum.

Gg 4 nec

nec simul, nec successiue, quia ille actus intelligēdi est perfectissimus aequans totam uirtutem intellectus cuius est actus, & perfectissime exprimens totum id, quod Pater intelligit. Similiter, & de actu uoluntatis quo Pater, & Filius se mutuo diligentes spirant Spiritum sanctū; & huius tertie personæ productio, non est ex imperfectione Filij, quasi non habuerit à Patre totū, quod dare potest, aut non perfecte exprimat patrem, sed quia idē totum, duplici modo haberi, & declarari potest, & secundū rationem naturæ, & secundum liberalitatem uoluntatis, cum igitur sint solum duæ personæ productæ, & una non producta, sed producens, tres tantum in Deo erunt personæ.

Ratio ex parte personarum.

Hoc idem etiam possumus ostendere ex parte ipsarum personarum. Cum enim persona diuina sit relatio realis per se subsistens, & relatio sit idem re cū essentia, & realiter distinguatur solum à suo correlatiuo, cū ei opponatur; necesse est, quod pluralitas, & numerus personarum accipiatur iuxta relatiuas oppositiones, ut duæ relationes oppositæ, ad duas personas pertineant, & illæ, quæ non sunt oppositæ ad eandem personam. Vnde Sancti dicunt, quod in Deo omnia sunt unum, præter quam ubi obuiat relatiua oppositio. In Deo autem sunt tantum quatuor relationes reales originis, ut diximus, fundatas super duas actiones, intellectus, scilicet, & uoluntatis, secundum quas sunt duæ tantum processiones. Verbi. s. & amoris; & secundum quamlibet processionem, sunt duæ relationes oppositæ, quarū una est procedentis à principio, & alia est ipsius principij, & istæ sunt Paternitas, & Filiatio, Spiratio, & Processio, secundū quas sunt quatuor oppositiones, duæ priores sunt Paternitatis, & Filiationis ad inuicē, iuxta quas sūt duæ Personæ, Pater. s. & Filius à paternitate, & Filiatione, earū relationibus constitutæ; duæ posteriores sunt spirationis, & processionis, iuxta quas sumuntur duæ relationes inuicem oppositæ; sed sola processio constituit personam Spiritus sancti. Spiratio autem non potest constituit personam spirantem ab aliis distinctam, sicut paternitas constituit Patrem generantem; quia spiratio non opponitur paternitati, nec filiatiōi, cum non sint eius correlatiua, sed processionem, unde iuxta principium, & maximam sanctorum, quæ est quod sola oppositio multiplicat, & distinguit personas, Spiratio Patri, & Filio conueniet, cum eis non opponatur, & illos spirantes, & unum spiratorem constituet; spirantes, quia sunt duæ personæ distinctæ, unum spiratorem, quia in spiratione non distinguuntur, sed sunt unum spirationis principium;

piam & illos realiter distinguet, nō quidem inter se, sed à spiritu sancto, cui relatiue ratione spirationis opponuntur, ab eis enim procedit. Spiratio igitur actiua, ita est relatio realis, quod non est propria, & personalis, sed communis Patri, & Filio, & non habet propriam subsistentiam, sed eius subsistentia, est subsistentia Patris, & Filii quorum est spiratio, & propterea non potest constituere personam. Huius etiā possumus clariore ratione reddere, quia una natura simplex non potest esse nisi in uno sicut in primo principio; Vnde Hylarius in libro de synodis, dicit, quod qui confitetur duos innascibiles, confitetur duos Deos, unum enim Deum prædicari, natura unius innascibilis Dei exigat; cum ergo natura diuina sit simplicissima, est impossibile quod in Deo sint duæ personæ innascibiles, quæ ab alia nō procedant, sed debet esse una sola persona innascibilis, à qua aliæ personæ procedant; si enim sicut persona Filii est à Patre innascibili, à quo habet naturam diuinam, ita Spiritus sanctus esset ab alia persona spirante innascibili, distincta à Patre; natura, seu essentia Spiritus sancti, necessario esset distincta ab essentia Patris, & Filii, quia illam haberet à spirante, & spirans est persona distincta à Patre, & Filio, & ab eis non procedit, nec procedit ab alia persona, & consequenter huius spirantis, & procedentis essentia, esset distincta ab illa patris, & Filij, quia non esset ab eis, nec ab alio communi principio habita, quod cum sit impossibile, quia sic esset ponere plures Deos, necessario dicendum est, quod persona procedens non est à spirante distincta à Patre, & Filio, sed est à Patre, & Filio.

Sed posset aliquis probare, plures in Deo esse personas, nam sicut Pater intelligendo seipsum generat filium, ita etiam Filius cum seipsum intelligat generabit alium filium; similiter, & de Spiritu sancto; dicere autem, quod solum intelligere Patris generat, & non intelligere Filii, & Spiritus sancti, similiter, quod solum uelle Patris, & Filii, spiret, & nō uelle Spiritus sancti, nō uidetur conueniens, tū quia sunt eiusdem rationis, & perfectionis in omnibus personis, tum quia aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio. s. potentia generandi, quod nullo modo est dicendum. Quod non sint, nec possint esse plures filii, aut Spiritus sancti, certum est, & de fide; in reddenda autem huius ratione, Doctores maxime laborant, Aliqui (ut Durandus) ut facilius difficultatē euadant, dicunt poterit generandi esse paternitatem, quæ cū non conueniat Filio, nec Spiritui sancto, generare non

An filius possit generare.

non possunt. Alij dicunt, & bene (ut Thomistę) potentiam generandi, & spirandi, significare in recto diuinam essentiam, sed in obliquo relationem, & propterea Filius non potest generare, quia licet habeat diuinam essentiam, non habet relationem paternitatis; quare autem illam non habeat. S. Tho. quinque adducit rationes; quarum prima est, quia cum formę unius speciei non multiplicentur, nisi secundum materiam, & in Deo non sit materia, non possunt esse in diuinis plures paternitates, & filiationes. Cum autem Scotistę differant in principio indiuiduationis, & teneant posse esse numericam multiplicationem sine materia, ut in Angelis; Capreolus, & Caietanus longissimā contra illos faciunt disputationem, ut rationem S. Tho. tanquam propriam defendant. Sed doleo, quod uiri doctissimi ita adhæreant Doctori eorum scholę, ut philosophicam illius opinionem, quę in philosophia difficultatem, & contradictionem non solū a philosophis, sed etiam a Theologis patitur, uelint esse propriam rationem mysteriorum fidei; Hortor omnes in Domino cuiuscumque scholę sint, est enim noster sermo uniuersalis, ut Diuina mysteria, cum humilitate, & charitate tractent, & non ad contentionem; possunt quidem philosophicę rationes ad eorum explicationem, & probationem adduci, sed ubi ratio philosophica est dubia, non debet in ea ex propria sententia fieri tota uis, sed tanquam probabilis adduci; quia alias condemnantur, & irritantur Doctores alterius scholę; in fide parum constantes infideles redduntur; & mysteria fidei, infidelium irrisionibus exponuntur. Vnicum uerbum, omnes difficultates tollit, si dicant, iuxta nostram scholam hanc probabilem possumus reddere rationem. Dum in Philosophia philosophicę agunt, suam pro uiribus tueantur sententiam; at dum in Theologia philosophicas rationes, diuinis mysteriis applicant, nolint dubiam eorum sententiam, esse propriam diuinorum rationem, & propriam scholam esse regulam, & magistram fidei; cum enim fides sit communis, ratio intellectum conuincens, debet sumi ex principio communi; non reprehēdo eorum philosophicas rationes, nec modū quo ab eorum Doctoribus adducuntur, sed modum quo a quibusdam discipulis (non tamen omnibus) assumuntur, & explicantur; quia non tanquam probabiles, ut illi adduxerunt, sed tanquam necessario concludentes; & ita minima quęq; suorum Doctorum dicta tueantur, quasi scriptoribus sacris sint comparandi; Audiui ego quendam Concionatorem pro Doctore suę scholę ita zelantem, quod in feruore Cōcionis populo dixit, se

Notandū.

pa-

paratum esse effundere uitam pro minimo quoque illius dicto. quod uerbum certe est scandalosum, sic enim statim audientes arguunt; si tu moriendo eris martir, ergo alij uiri religiosi, contrarium cum sua schola tenentes sunt hęretici, quod absit hoc de illis cogitare; si ergo illi contrarium tenentes, non sunt hęretici, & consequenter tu pro illa opinione moriendo non esses martir, necessario sequitur, quod sic loquendo, sis maximus temerarius. Legant, quę dixit S. Augustinus epist. 19. ad S. Hieronimum, de suis, & aliorum quantumuis Sanctorum, & Doctorū scriptis, cuius uerba nos superius, cap. 11. precedentis libri, adduximus. Et ut uideant quanti hoc sit momenti, eo deuenit disputatio, ut difficultates philosophicę, reducantur ad absolutam Dei potentiam; & qui uolunt consequenter loqui, dicunt, ea per absolutam Dei potentiam fieri non posse; ex quo alijs occasione præbent, contra eos liberius loquendi: ut in præfenti difficultate; nam ad uidendum an propria ratio ob quam non possunt esse plures filij in diuinis, sit quia in Deo non est materia, uertebatur in dubium, an Deus de potentia absoluta, possit facere plures angelos eiusdem speciei, & multiplicare indiuidua sub una specie sine materia, & an repugnet formas aliter recipere diuisionem, quam per materiam; quę multi dicunt, non solum esse factibilia de potentia absoluta, sed etiam facta fuisse; sed quia alij consequenter loquentes, negabant posse fieri. Doctores Parisienses in unum congregati, tres in contrarium formauerunt articulos, quos ut falsos damnarunt, primus, Qui dicit, quod quia intelligentia non habent materiā, ex hoc Deus non possit facere plures eiusdem speciei, error. Secundus, Qui dicit, quod Deus non potest multiplicare indiuidua sub una specie sine materia, error. Tertius, Qui dicit, quod formę non recipiunt diuisionem, nisi per materiam; error. Illud unicum uerbum, quod diximus, has omnes controuersias sustulisset, nec ulla fuisset, nec esset occasio, ita facile de absoluta Dei potentia, quam tremunt Potestates, proferre sententiam. Summo pere laudarem si quęlibet schola attenderet realitati doctrinę, & non dicto sui Doctoris, & formaret quasdam propositiones quas sustinere amplius non liceat, sicut aliquę Vniuersitates fecerunt, sic enim Theologia, & ueritas catholica magis illustraretur, & facilius redderetur, nam dum falsum defenditur, contextitur cathena errorum. Et si ad coercenda petulantia ingenia, (in omnibus enim congregationibus diabolus tentat aliquem pro se habere, & inter Apostolos habuit Iudam) Scholę

pro-

propositiones illas offerrent Summo Pontifici, suam facile interponeret auctoritatem, censuris, & pœnis. Quod modeste, ex charitate pro Dei gloria, & communi bono particulariter indigentes, cum summa cuiusque Vniuersitatis, & Scholę reuerentia, & ueneratione, (cui non debet particularis præiudicare, non enim dictum, & factum unius, est dictum, & factum omnium) monemus, & hortamur, nemini uideatur graue; amicus enim Plato, amicus frater, magis amica ueritas, magis amica charitas; quę causę suę, omnes patronos facit. Et pro ea sanguinem fundentes, beatos reddit, & propria decorat corona.

Quare filius intelligendo non generet.

Ad rem igitur nostram redeuntes, illam rationem iuxta Thomistarum scholam probabilem esse dicimus, sed relictis philosophicis disputationibus, faciliorem, & clariorę, ex magis propriis, possumus reddere rationem; pro qua notandum est, quod processio in diuinis, est propter fecunditatem diuinę essentię, & est secundum actiones intellectus, & uoluntatis; sed cū propter infinitam Dei uirtutem, & summam illius simplicitatem, eadem prorsus numero essentia, quę est in producente, communicetur personis productis, & essentia sit idem re., cum personis, necesse est, quod in illis sit etiam idem intelligere, & uelle; & dubium modo est, an intelligere, & uelle, habeant in singulis personis, rationem producendi, & si non habent, quę sit ratio differentię. Illud autem supponendum est, quod si filius non potest generare, & Spiritus sanctus, nec generare, nec spirare, hoc non est ex impotentia, cum eadem sit trium personarum essentia, idem intellectus, eadem uoluntas, idem intelligere, & uelle, & eadem potentia; sed quia non est factibile, & hoc est, quod dixit Aug. lib. 3. contra Maximinum, cap. 12. filius non genuit, non quia non potuit, sed quia non oportuit: quod in diuinis nõ oportet, & est superfluum, non est factibile, & consequenter fieri non potest, non propter impotentiam uirtutis, sed propter repugnantiam. & ita filius habet eandem potentiam generandi, quam habet pater, & quicquid perfectionis importat potentia generandi, sed non sub ratione potentię, & principii generationis, sed sub ratione essentię, & filiationis, & propterea generare non potest, quia non potest esse alius filius. Dicimus ergo, quod intelligere, & uelle, non habent in singulis personis rationem producendi, & quod Filius intelligendo non generat filiũ sicut Pater, similiter, & de Spiritu sancto, & huius rationem reddidit S. Augustinus in d. cap. 12. quia si Filius intelligendo generet alium filium, ille simili ratione alium generaret, & sic esset pro-

processus in infinitum, quia non est maior ratio, quare generet primus filius, & non ultimus, quod cum sit impossibile, necesse est dicendum est Filium generare non posse. Quare autem cū sit eadem essentia Patris, & Filij, & idem intelligere, & idem posse, Pater intelligendo generet, & non Filius; ratio est, quia generare, & spirare, sunt ex fecunditate nature quodam ordine; generatio est intelligendo, spiratio amando, amor præsupponit cognitionem, quia non fertur in incognitum, cognitio non præsupponit alium actum, cum cognitio sit primus actus, & alium non præsupponat; fecunditas ad generandum est secundum rationem primi principij, & consequenter est in sola prima persona, scilicet patris, quæ non est ab alio, & non potest esse in Filio, nec in Spiritu sancto, quia primitas, & non esse ab alio, nõ potest eis conuenire, nec communicari. Cum autem amor præsupponat cognitionem, spiratio præsupponit generationem, & fecunditas ad spirandum est in Patre, & Filio, non ut in duobus, sed ut in uno spirationis principio: Et Pater unum solum Filium generat & Pater, & Filius unum solum Spiritum sanctum spirant; quorũ etiam ratio est, plenissima communicatio, quia multiplicatio suppositorum, secundum similem modum procedendi, non est nisi, uel propter defectũ durationis, ut in generabilibus, & corruptibilibus, ut per successiuam generationem perpetuetur esse, uel quia unum non adæquat uirtutem sui principij. hac ratione sunt plures Angeli, & plures animæ ad manifestandam Dei bonitatem, quam nec unus Angelus, nec una anima poterat sufficienter manifestare; sed Filius adæquat totam uirtutem, seu potentiam generatiuam, & Pater perfectissime seipsum communicat Filio, suam essentiam illi tribuens, ergo Pater non potuit generare alium filium, nec tribuere Filio, ut ipse quoque alium generet; & hoc non propter impotentiam, sed quia non potest in diuinis esse alius filius. Concludendo igitur dicimus, quod intelligere, & uelle dupliciter possunt in Deo considerari, primo absolute, ut sunt actus essentielles, & sunt in Patre, Filio, & Spiritu sancto, & non sunt plures actus, sed unus, & idem; id est intelligere Patris, & Filij, & Spiritus sancti, similiter, & uelle. Secundo potest considerari intelligere, ut habet rationem dicentis, seu exprimentis Verbum, seu generantis Filium, quod idem est; & sic est actus notionalis, Patri dumtaxat conueniens; similiter uelle, ut habet rationem spirantis, est actus notionalis, Patri, & Filio solum communis. Quod si arguatur, in nobis ex omni intellectu perfecta, emanat uerbum, ergo emanabit etiam

Intelligere, & uelle dupliciter considerantur.

etiam ex intellectione Filii, Respondetur esse maximam differentiam, quia in nobis sunt diuersae intellectiones, & propterea multiplicantur verba; at in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, est unum, & idem intelligere, & consequenter est unum Verbum, sed istud Verbum non est à quocumque intelligente, per illam intellectionem, sed solum ab illo, qui per illam intelligens habet rationem primi principii, & relationem dicentis. Hæc illustrati lumine fidei, dicere possumus, sed non plene intelligere; captiuandus est modo intellectus in obsequium fidei, & non oportet sapere plus, quam oporteat sapere, qui enim scrutator est Maiestatis opprimetur à gloria; ipsimet Angeli non possunt hoc infinitum mysterium comprehendere, in cuius uisione, non tamen comprehensione, illorum, & nostra beatitudo consistit.

*De Notionibus, proprietatibus, & nominibus Diuinis,
& de suppositione nominis Deus.*

Cap. XII.

Notio
quid, &
quotu-
plex sit.

Personæ nobis innotescunt, Notionibus, & Proprietatibus, Notiones sunt quinque, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Communis spiratio, & Processio. Notio enim est propria ratio cognoscendi diuinam personam; diuinæ autem personæ multiplicantur secundum originem; ad originem uero pertinet, à quo alius, & qui ab alio; ergo secundum hos duos modos persona innotescere potest. Persona Patris, innotescit per hoc, quod est à nullo. scilicet innascibilitate; & per hoc quod ab eo est Filius, paternitate. Filius per hoc quod est à Patre, filiatione innotescit; quatenus uero à Patre, & Filio est Spiritus sanctus, est communis spiratio; Spiritus sanctus per hoc, quod est à Patre, & Filio, innotescit, processione; non autem sumitur Spiritus sancti notio, per hoc, quod nulla persona ab eo procedit; quia persona dignitatem importat, & hoc non pertinet ad eius dignitatem, sicut pertinet ad auctoritatem Patris, quod sit à nullo. Inspirabilitas etiā non annumeratur inter notiones, quia notio innotescendi gratia ponitur, & priuatio per habitum, negatio per affirmationem, naturaliter cognoscitur, non est contra; & propterea negationes modorum originis, regulariter inter notiones computari non debent; at innascibilitas posita est notio, propter tres singulares rationes, quæ in aliis negationibus locum non habent. Prima est, quia in Trinitate sola persona Patris habet rationem primi principii, ratio autem primi principii, per negationem op-

me

me notificatur, & commendatur: Secunda est, quia cum apud nos omnis pater sit ab alio, merito aeterno Patri innascibilitas attributa fuit. Tertia est ad commendandam diuinæ naturæ unitatem, ponendo enim innascibilem personam, ponitur unum principium, & caput in diuina natura, sicut ponendo duos innascibiles (ut inquit Hilarius) ponuntur plures Dei, & plures nature diuine. Quinque igitur sunt notiones, & earum tantum, quatuor sunt relationes, innascibilitas enim non est relatio; quatuor etiam sunt proprietates, nam communis spiratio cum Patre, & Filio conueniat, non est proprietas. Tres autem sunt notiones personales, id est constituentes personas Paternitas, Filiatio, & Processio, nam Innascibilitas, & Communis spiratio, dicuntur notiones personarum, sed non personales.

Quatuor sunt genera nominum in diuinis, quædam sunt essentialia essentialiter dicta, ut Deus, Deitas, Maiestas: quædam sunt essentialia personaliter dicta, ut potentia generandi; quædam personalia dicta personaliter, ut pater, generans, genitus; quædam personalia dicta essentialiter, ut missus incarnatus, & huiusmodi, quæ quatenus dicunt respectum ad personam, sunt personalia, quatenus uero effectum in creatura sunt essentialia. Cum autem ad ueritatem locutionum, non solum attendenda sit res significata, sed etiam modus significandi, ne detur errandi occasio, ideo norandum est, quod nomina essentialia, quæ dicuntur de Deo, quædam significant essentiā substantiuè, ut Deus, quædam adiectiuè, ut sapiens; eaque substantiuè essentialia significant, prædicantur de tribus personis singulariter tantum, & nullo modo pluraliter, quæ uero adiectiuè pluraliter prædicantur; cuius ratio est, quia nomina substantiua, significant aliquid per modum substantiæ, substantia autem sicut per se habet esse, ita habet per se unitatem, uel multitudinem; unde singularitas, uel pluralitas nominis substantiui, attenditur secundum formam significatam per nomen, una igitur existente forma in pluribus suppositis, nomen substantiuum non dicitur pluraliter, sed tantum singulariter de illis pluribus suppositis. Ut autem substantiua pluraliter prædicentur, præter pluralitatem formæ, requiritur etiam pluralitas suppositorum, & in hoc substantiua conueniunt cum adiectiuis; licet enim ratio, & causa formalis pluralitatis nominis substantiui, sit pluralitas formæ, tamè requiritur etiam tanquam causa concomitans, & sine qua non, pluralitas suppositorum; quia apud nos non inuenitur forma substantialis multiplicata, sine multiplicatione suppositorum;

cum

Quatuor
nominum
genera.

Quomodo
prædicantur
nomina
essentialia
substanti-
ue supra.

cum ergo in diuinis utamur nominibus ad significandum secundum modum in creaturis inuentum, non prædicamus nomen substantiuum de Deo pluraliter, nisi cum pluralitate formæ, concurrat etiam pluralitas suppositorum; unde licet Pater sit principium filij, & Spiritus sancti, unum tamen dicitur principium, & si Verbum duas assumpisset naturas humanas, non essent duo homines, ut uoluit S. Tho. 3. sent. sed unus homo, ratione unius suppositi, ut inquit idem S. Tho. qui sententiam mutauit in 3. p. q. 3. ar. 7. At nomina essentialia, quæ adiectiue significant essentiam, ut prædicentur pluraliter sufficit pluralitas suppositorum, quia adiectiua significant aliquid per modum accidentis, quod inhæret subiecto, accidentia autem, sicut habent esse in subiecto, ita ex subiecto habent unitatem, uel multitudinem. Quod etiam aliquo modo in creaturis uidetur, in quibus non inuenitur una forma in pluribus suppositis, nisi unitate ordinis, ut forma multitudinis ordinatæ; & tamen etiam in ista minima unitate obseruatur prædicta distinctio, nam nomina significantia talem formam, si sint substantiua prædicantur de pluribus in singulari, non autem si sint adiectiua, dicimus. n. quod multi homines sunt collegium, uel exercitus, aut populus & quod plures homines, sunt collegiati. Cum igitur in diuinis, essentia significetur per modum formæ, quæ est simplex, & maxime una, nomina significantia diuinam essentiam substantiue, singulariter, & non pluraliter de tribus personis, prædicantur; & hæc est ratio quare Petrum Paulum, & Ioanem dicimus tres homines, quia in illis sunt tres humanitates, Patrem autem, Filium, & Spiritum sanctum, non dicimus tres Deos, sed unum Deum, quia una est in illis diuina essentia. Ea uero, quæ significant essentiam adiectiue, prædicantur pluraliter de tribus personis, propter pluralitatem suppositorum, dicimus enim tres existentes, tres sapientes, æternos, increatos, immensos, si adiectiue sumantur, si uero substantiue sumantur, dicimus unum, increatum, immensum, & æternum, ut dicit Athanasius. Et tres persone dicuntur tres res, quia hoc nomen res, est unum de transcendentibus, & secundum quod pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur, secundum uero, quod ad substantiam, singulariter. Et secundum dictam regulam, cum spirans sit adiectiuum, & spirator substantiuum, Pater, & Filius sunt duo spirantes, propter pluralitatem suppositorum, sed unus spirator, propter unam spirationem. Nomina etiam diuina, sumantur in abstracto, & in concreto, in ab-

Quomodo prædicentur nomina essentialia adiectiue sumpta.

in abstracto, ut essentia, deitas, diuinitas, paternitas, per modum formæ; in concreto, ut Deus, Pater, quæ significant essentiam, & paternitatem ut in habente; Cum autem in Deo omnia sint in unum, præter quam ubi obuiat relationum oppositio, ad ueritatem propositionum de Deo, non solum attendenda est identitas significatorum, sed etiam ratio formalis significandi; non quod omnes propositiones debeant esse ueræ formaliter, sed ne formalis ratio prædicati repugnet subiecto; unde prædicationes in diuinis, quædam sunt formales, quando. s. prædicatū dicitur de subiecto, secundum propriam rationem immediate, ut pater est generans, filius est genitus, essentia est communicabilis; quædam identice, quædo prædicatum dicitur de subiecto, quia sunt idem res, licet ratione distinguantur, ut essentia est pater, & paternitas, & contra pater est essentia. falsa autem sunt, non solum quando prædicatum distinguitur realiter à subiecto, ut si dicatur pater est filius; sed etiam quando sunt idem res, cum de subiecto dicuntur ea, quæ pertinent ad distinctionem; & proprietatem essentiæ, uel personæ, quia illa formalis ratio prædicati repugnat subiecto; dicitur quidem, quod pater est essentia, sed non potest dici, quod pater sit communicabilis, licet sit essentia, & essentia sit communicabilis; recte dicitur, quod essentia est pater, & filius, non formaliter, sed identice, sed cum pater generet, & filius generetur, non potest dici, quod essentia est generans, aut generet, quod sit genita, aut generetur, nisi aliquid adiungatur per quod significetur id dicitur de persona, quæ est idem cum essentia, ut si dicatur essentia est res generans, Deus generans, id est est persona Patris generans; & ratio est, quia essentialia in abstracto, non possunt supponere pro persona sicut possunt in concreto, & ideo non possunt de illis dici, quæ pertinent ad distinctionem, & proprietatem personarum, sicut possunt dici de concretis, non enim dicitur essentia generat, sed dicitur Deus generat; Nomina quidem notionalia, & personalia, substantiue sumpta prædicantur de essentia, & dicitur, quod essentia, & Deitas, est pater, & paternitas, & quod essentia est tres persone, quia essentia est idem, quod persona, & idem quod ratio constituens personam, ut respicit essentiā; Si autem sint adiectiua, ut generans, genitus, non prædicantur de essentia, sicut nec uerba personalia, ut generat, generatur, quia ista significant actus personales, qui respiciunt correlatiuum, & dicuntur de sola persona, & non de essentia, nam licet essentia sit idem, quod persona, non tamen supponit

De nominibus abstractis, & concretis, essentialibus, & notionalibus.

H h pro

Differen-
tia inter
affirmati-
uam, & ne-
gatiuam.

pro persona, nisi adiungatur aliquid, quod possit supponere pro persona. Est autem notandum, quo ad suppositionem nominis essentialis concreti pro persona, esse maximam differentiam inter propositionem affirmatiuam, & negatiuam; nam hoc nomen Deus per se supponit pro essentia diuina, quae est una, & communis, ex adiuncto uero supponit pro persona; affirmatio actus notionalis, facit quod supponat pro illa persona cuius est actus, ut Deus generat, pro patre, & est propositio uera; ista autem est falsa, Deus non generat, nisi addatur aliquid, quod faciat supponere pro filio, ut si dicatur Deus genitus non generat, nam negatio per se non determinat illud nomen ad personam filij, sed potius significat, quod generatio repugnat diuinae naturae; quamuis enim ex negatione non sequatur repugnantia uniuersaliter, sequitur tamen in materia necessaria, oportet enim, uel conuenire, uel repugnare quicquid necessario attribuitur, constat autem, quod generare, & non generare, Deo non possunt attribui nisi necessario, ergo si non generare dicitur de Deo absolute, absque eo, quod restringatur ad supponendum pro filio, significatur, quod generare repugnet essentiae pro qua illud nomen Deus, per se supponit.

De suppo-
sitione no-
minis De-
us.

De suppositione huius nominis Deus, quomodo supponat pro essentia, est difficultas; S. Th. 1. p. q. 39. ar. 4. dicit, quosdam dixisse, quod hoc nomen Deus, & similia proprie, secundum suam naturam, supponunt pro essentia, sed ex adiuncto notionali, trahuntur ad supponendum pro persona, & subdit, quod haec opinio uidetur processisse ex consideratione diuinae simplicitatis, quae requirit, quod in Deo idem sit, habens, & quod habetur, & sic habens deitatem, quod significat hoc nomen Deus, est idem, quod deitas: sed (ut inquit) in proprietatibus locutionum, non tantum attendenda est res significata, sed etiam modus significandi; & ideo, quia hoc nomen Deus significat diuinam essentiam, ut inhabitante ipsam, sicut hoc nomen homo significat humanitatem in supposito; alij melius dixerunt, quod hoc nomen Deus, ex modo significandi habet, ut proprie possit supponere pro persona; sicut & hoc nomen homo: ex quo inferunt, quod hoc nomen Deus quandoque supponit pro essentia, ut cum dicitur Deus creat, quia hoc praedicatum competit subiecto ratione formae significatae, quae est Deitas; quandoque uero supponit pro persona, uel una, ut cum dicitur Deus generat, uel duabus, ut cum dicitur Deus spirat, uel tribus, ut cum dicitur 1. Tim. 1. Regi saeculorum immortalis, inuisibilis, soli Deo, &c. Ergo secundum S. Thom. quando Deus supponit pro essentia, & non pro personis; pro illa supra-

pp-

ponit, ut est in habente, & non ut est in personis; alias incidere in sententiam, quam impugnavit; nec potest dici, quod quando supponit pro essentia, pro illa supponit, ut est in omnibus personis; & ita supponit pro omnibus personis, nam S. Tho. distinguitur in quibus modis supponendi; quomodo autem supponens pro essentia, eam significet, ut in habente illam, ita ut habens non sit persona, non explicuit. Sed explicuit ibidem Caietanus, pro quo notat inter Deum, & ceteras substantias, hanc esse differentiam, quod in reliquis haec duo. scilicet natura, & habens naturam, sic se habent, quod habens naturam est suppositum, naturam uero est ipsa essentia; in Deo autem habens naturam, dupliciter inuenitur. scilicet suppositum, ut pater, filius, & singulare naturam. id est hic Deus; & ita in diuinis tria considerantur. scilicet essentia, hic Deus, & supposita diuina; & hic Deus est communicabilis sicut essentia; & est pater, filius, & spiritus sanctus, & ideo quandoque stat pro una persona, quandoque pro duabus, quandoque pro tribus; & propterea non facit quaternitatem, sicut nec essentia, quia est idem, quod personae. & rationem diuersitatis dicit esse, quia natura diuina ex se ipsa subsistit, & non mendicat subsistentiam a supposito, sed eam confert illis, reliquae autem substantiae non subsistunt nisi in supposito. & essentiam, ut subsistit propria subsistentia, uocat singulare, & indiuiduum naturae; & 3. p. q. 2. art. 2. hoc singulare naturae, dicit esse personam incompletam; dicit. n. quod persona dupliciter sumitur, primo secundum completam rationem personae, seu hypostasis, & sic significat habens naturam incommunicabiliter, alio modo secundum rationem quidem personae, sed imperfectam; & sic significat singulare habens substantialem naturam, ita quod sola incommunicabilitas illi deest, ad perfectam rationem personae; ex quo inferunt, quod appellatione personae simpliciter in diuinis non uenit hic Deus, sed si sumatur persona, ut distinguitur contra naturam, sic nomine personae uenit non solum persona completa, sed etiam incompleta, quae est hic Deus. Aliqui reprehendunt hanc doctrinam Caietani, & dicunt subsistentiam essentiae esse subsistentiam personarum, diuersa ratione, nam subsistentia essentiae est per modum abstracti, & formae, quia est id quo persona subsistit, subsistentia uero personae, est per modum concreti, ut quod subsistit, & ita essentia non est id, quod subsistit, nisi quatenus est idem, quod persona, cui primo, & per se competit subsistere, tanquam id, quod subsistit; & consequenter dicunt, quod hoc nomen Deus, est quidem terminus

Hh 2 60

singularis, sed nō gaudet alia singularitate, nisi singularitate naturæ, quæ est una numero, & nō supponit pro indiuiduo naturæ siue pro hoc Deo; supponit quidē pro natura in cōcreto sūpra, sed non propria concrectione, & non pro vnitate habentis eā, nā habens eam non est unum, sed trinū, & ut in habente, est solū in Patre, Filio, & Spiritu sancto; & confirmant, quia alias in Deo poneretur quaternitas, q̄ est damnatum, in ca. Damnatus. de su. Tri. & fid. Catho. Sed ista Caietani doctrina, meo iudicio, est uerissima, & solum reprehendendus est illius modus loquendi; non. n. dicendum est in diuinis, præter tres personas, esse indiuiduum, & singulare naturæ, & personam incompletam, ut dicimus; & moueor, primo auctoritate Richardi de S. Victore, qui libro 4. de Trin. c. 16. inquit diuinam naturā habere propriam existentiam, distinctam ab existentia personarū; illa. n. est communicabilis; hæc uero incommunicabilis & ut illius uerba adducamus, inquit, In diuina natura est existētia, quæ est pluribus cōmunis, & existētia, quæ omnino est incōmunicabilis; existētiā demonstratū est superius substantiā significare, non tamen simpliciter, sed cū proprietatis alicuius denotatione, quæ pertinet ad considerationē originalis causæ; ad considerationē uero originalis causæ, pertinet non solū quærere, & inuenire originem esse ubi est, sed etiā quærere, & inuenire eā nō esse, ubi non est; diuinę itaque existētiæ, est habere esse substantiale, sed aliquando ex cōmuni, aliquando ex incōmunicabili proprietate; cōmunem autem existētiā dicimus, ubi intelligitur esse habes ex cōmuni proprietate, incōmunicabile uero, ubi intelligitur esse habens ex incōmunicabili proprietate, tam uero propriū est diuinę substantiæ, non esse ab aliqua alia substantia, sed solum à semetipsa, quā uerè est propriū personæ originē nō habenti, nō esse ab alia aliqua persona: in uno autem intelligitur proprietatis communis, in altero uero, proprietatis incōmunicabilis; cōmune est omnibus personis diuinis, esse substantia illa, quæ non est ab alia aliqua substantia, sed à semetipsa; substantia igitur diuina, quando dicitur, uel intelligitur esse à semetipsa idem est, q̄ cōmunis existētia. hæc Rich. Ex quo habemus, q̄ abstractis per intellectū personis, cōsideratur, & intelligitur diuina essentia, cū sua proprietate, quæ est nō esse ab alia essentia, & cū propria existētia, & cōsequēter abstracta à personis, cōsideratur in cōcreto, ut in habēte eā, & sic cōsiderata dicitur Deus: & cū proprietatis, & existētiæ essentia sit cōmunicabilis, sicut essentia; & idē q̄ personæ, essentia sic in cōcreto cōsiderata, non ponit in numeru

& non

& non facit quaternitatē, sed est trium personarū unitas, & idētitas; & nomē Deus, q̄ supponit pro essentia, supponit etiam ex adiuncto, pro una, & duabus, & tribus personis. Non igitur semper hoc nomē Deus supponit pro persona distincte, uel in distincte, sed supponit etiā pro essentia, & si quādo supponit pro essentia, supponit etiā pro personis indistincte, primo supponit pro essentia in cōcreto, & pro personis cōcomitāter, & secundario, quia prædicatū uerificatur etiā pro personis. Probatu secūdo, quia sicut aliqua propositiones in quibus nomē Deus, nō potest supponere pro personis, neq; distincte, neq; indistincte, ut Deus nō est pater, Deus nō est generās, nō est spirans, quas Doctores dicunt esse falsas; & nō solū illas non admittūt, ne sint propter astutiā hæreticorū occasio errandi, sed etiā quia re uera sūt falsæ, nā Deus ibi supponit pro essentia in cōcreto, & nō pro personis, & est sēsus, nihil quod est Deus, est pater, nihil quod est Deus, generat, prædicatū negatur de essentia, & de omni eo in quo est essentia; at si Deus supponeret pro personis indistincte, illæ propositiones essent ueræ, pro persona filii, qui nō est pater, & pro persona Spiritus sancti, qui nō spirat, sicut etiā sūt ueræ affirmatiuę, Deus generat, Deus spirat, Deus est genitus. In hac etiā propositione Deus est pater, filius, & Spiritus sanctus, & in hac Deus est Trinitas, Deus supponit pro essentia. Vnde S. Th. in d. ar. 4. dicit, q̄ hoc nomē Deus, aliquando supponit pro personis, etiā omnibus, aliquando pro essentia, & q̄ in hoc differt à nomine homo, q̄ nō supponit pro natura cōmuni, nisi propter exigentiā alicuius additi, ut cū dicitur homo est species, quia unitas humanæ naturæ nō est secūdū rē, sed solū secūdū considerationē; licet nō explicet quomodo supponens pro essentia, & nō pro personis, illa significet, ut in habēte, q̄ nos cū Caietano explicuimus; Est tamen reprehendendus modus loquendi Caietani, nā essentia sic in cōcreto cōsiderata nō est dicēda indiuiduū, uel singulare naturæ, nec persona incompleta; quia de ratione indiuidui, singularis, suppositi, & personæ, est incōmunicabilitas, & ut inquit S. Th. ad ueritatē locutionū in diuinis, nō solū oportet cōsiderare res significatas, sed etiā modū significandi; nec excusatur per hoc, q̄ inquit sic dici in cōcreto, propter defectū incōmunicabilitatis; nā propter hæc eādē causā nō debebat sic loqui de diuina essentia, nihil. n. de Deo dicitur incomplete, & imperfecte, & iuxta Hieronimum uerba inordinate prolata, sunt causa errorum; & hæresum. Accedit, quod hic modus loquendi, est contra omnes sanctos, & Doctores, quatenus simpliciter, & absolute dicitur

Hh 3 esse

esse tantum tria supposita, & tres personas; & de essentia loquentes, solum dicunt, quod Deus, & nomen Deus supponit pro illa, sed nunquam quod habeat proprium suppositum, seu personam præter personam Patris, Filij, & Spiritus sancti; imo simpliciter huiusmodi nomina de essentia negarunt, quia est communicabilis, tam in abstracto, quam in concreto sumpta. Relicto igitur illo modo loquendi, dicimus, quod diuina natura consideratur in abstracto, & sic dicitur deitas, & in concreto, ut in habente eam, & sic dicitur Deus; & sic considerata, consideratur etiam, ut in supposito, & sic dicitur Deus pater, generans, Filius; priori modo considerata, ut in habente, est communicabiliter, & propterea non est, ut in supposito, & non ponit in numerum, & non facit quaternitatem, quia est idem quod persona: dupliciter igitur consideratur, ut in habente, & in se ut est essentia ratione suæ proprietatis, & existentis, & in persona, ut est ipsamet persona; & propterea nomen Deus supponens pro essentia, supponit etiam pro personis, quia non est re ab illis distincta.

De æterna Filij Generatione. Cap. XIII.

A Eternam Filij generationem in explicabilem esse docuit Isaias, cap. 53. dicens. *Generationem eius quis enarrabit? quasi diceret, nullus, cum omnem humanum, & angelicum intellectum excedat. Ut autem de illa aliquid balbutiendo dicamus, & temporis breuitati, ne retardetur huiuslibri impræssio, quæ fit dum componitur, satisfaciamus, repetemus, quæ in nostro manuali diximus. Cum diuina generatio accipienda sit secundum intellectualem emanationem, seu processionem, quamuis intellectus noster in infinitum distet ab intellectu diuino, tamen per ea, quæ in intellectu reperiuntur, aliquomodo ad æternæ filij generationis cognitionem lumine fidei adiuti, deuenire poterimus. Est igitur notandum, quod intellectus noster non potest aliquid intelligere, nisi eius speciem mediante sensu in se recipiat, quæ species cum sit similitudo rei intelligendæ, est principium, quo intellectus intelligit; non tamè immediate ducit intellectum in ipsam rem, ut est in se extra intellectum, sicut species coloris immediatè facit, ut potentia uisiva, colorem extra se existentem, uideat, sed primo illum ducit in rem cuius est species in ipso existentem, & secundo, ut est in seipsa. Cum enim intellectus, tali specie informatus, possit agere, & terminus cuiuslibet actionis, sit eius obiectum, & intellectu*

Aus obiectum sit quid dicitur cuius specie informatur; & obiectum in se, sit extra intellectum, & actio intellectus non terminetur ad aliquid extra se, intellectus format primo in seipso, uirtute, speciei qua informatur, obiectum, seu similitudinem rei, cuius specie informatur, quod dicitur uerbum; quo formato, statim intelligit; non enim prioritas temporis hic reperitur, sed ordinis tantum, nam simul tempore intellectus informatur specie, format uerbum; & uerbum formatum est, & intelligit, cum non sit motus de potentia ad actum, quia iam intellectus factus est in actu per speciem, sed processus de actu in actum, ubi non requiritur aliqua species motus. hoc igitur uerbum est similitudo rei intellectæ, non impræssa, ut species, sed expræssa, & ab ipsomet intellectu formata; & comparatur ad intellectum non ut eo, sicut species, sed ut in eo intelligat. In uerbo enim sic formato intellectus uidens naturam rei, intelligit; actio autem intellectus, qua format uerbum, dicitur productio. Quare intellectus intelligendo ad quatuor ordinem habet. scilicet ad rem, quæ intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit in actu, ad ipsum intelligere, & ad suam conceptionem, quæ dicitur uerbum, quæ conceptio differt à tribus prædictis. A re quidem intellectæ, quia res intellectæ est interdum extra intellectum, conceptio autem intellectus nõ est nisi in intellectu, & ordinatur ad re intellectam sicut ad finem. A specie intelligibili differt, nam species intelligibilis qua fit intellectus in actu, consideratur ut principium actionis intellectus, cum omne agens agat, secundum quod est in actu; fit autem actu per aliquam formam, quæ oportet esse principium actionis; species etiam est similitudo rei intellectæ ab eadem re impressa, at conceptio, seu uerbum, est similitudo rei intellectæ non impræssa, sed expræssa, & ab ipso intellectu formata. Differt etiam ab actione intellectus, quia consideratur, ut terminus actionis, quasi quoddam per ipsam constitutum, intellectus enim sua actione format rei definitionem, & propositionem affirmatiuam, uel negatiuam; quæ conceptio dicitur uerbum intellectus, propter uerbum oris quo significatur, uerbum enim ore expræssum, ut homo, non significat intellectum, nec hominis speciem in ipso existentem, nec ipsum intelligere, sed id, quod concipitur, & formatur ab intellectu, specie hominis informato, quod tam in simplici apprehensione quam in compositione, & diuisione reperitur.

Hoc intellectus uerbo ueluti fundamento supposito, ad Filij Dei generationem magis accedamus. Cum uerbum ab intellectu

lectu procedens, & in ipso existens, sit similitudo rei intellectæ, quando intellectus aliud à se intelligit, efficitur unum cum re intellecta; non tamen est perfecta unitas, quia intellectus non est res intellecta, & uerbum in eo existens, non est ipse ratio, & similitudo, sed rei intellectæ; at quando intellectus se ipsum intelligit, producit uerbum, ratione cuius, intellectus dicitur esse in ipso et intellectu, non solum ut est idem sibi per suam essentiam, sed etiam ut est à seipso apprehensus, quod enim intelligitur, est in intelligente; & hic maior unitas reperitur, nam intellectus intelligens, est ipsamet res intellecta, & uerbum productum est similitudo ipsius intellectus; non tamen est perfecta unitas, nam hoc uerbum non est ipse intellectus, sed accidens in eo existens, cum intellectus nostri operatio, non sit suum esse, & sua essentia; perfecta unitas esset, si uerbum ab intellectu productum, esset ipsa intellectus substantia; hæc autem unitas in solo Deo reperitur, qui cum sit actus purus, eius intellectus, id quod intelligit, species, quæ intelligit, ipsum intelligere, & uerbum, quod ex intellectu procedit, sunt ipsamet Dei essentia, & ipsemet Deus. Cum ergo Deus intelligit seipsum, producit Verbum, & eandem numero essentiam, idemque esse, quod in se habet, illi tribuit, ut uere, & proprie dici possit, Deus intellectus, qui à Deo intelligente necessario distinguitur, cum ab eo procedat, non in essentia, (ut dixi) sed relationibus, quatenus scilicet, ab eo procedit.

Verbum igitur nostrum conuenit cum uerbo diuino, & ab eo differt; conuenit primo, quia sicut uerbum nostrum semper est in continuo fieri, & eius perfectum esse est in fieri, non quod sit imperfectum, & non totum simul existat; nam in sui principio est perfectum, cum conceptio perfectè formata sit, & nihilominus eius perfectum esse, eodem modo conseruatur, quo generatur, non enim formatio uerbi transit ipso formato, sed dum actu intelligitur, continue uerbum formatur, nam semper est, ut in fieri, & ingrediendo ab aliquo; ita etiam Verbum diuinum, sic generatum est, ut continuo generetur, cum Deus Pater semper se intelligat; ob quam causam illi dicit, *Ego hodie genui te*, & Filius de Patre, inquit, *Pater meus usque modo operatur*, scilicet generando, & ego operor, simul scilicet, cum Patre spirando. Secundo, quia sicut quando intellectus noster intelligit se ipsum, uerbum est imago ipsius intellectus, ita etiam Verbum diuinum est imago diuini intellectus.

At

At differt primo, quia uerbum nostrum prius est in potentia, quam in actu, & cogitando, ratiocinando, intellectus illud format, at Verbum diuinum semper est in actu, & est Patri coeternum. Secundo uerbum nostrum est imperfectum, cum enim non possimus omnia, quæ sunt in anima nostra, unico uerbo exprimere, necessario debemus plura uerba imperfecta formare, quibus exprimamus omnia, quæ intelligimus: at Deus cum seipsum, & omnia alia per suam essentiam intelligat, omnia unico actu intelligit, & unico perfectissimo uerbo exprimit. Tertio uerbum nostrum non est eiusdem naturæ nobiscum, sed est quoddam accidens intellectus, cum anima non sit sua operatio; at Verbum diuinum est eiusdem naturæ cum Deo, & in natura diuina subsistens, cum in Deo idem sit, intelligere, & esse, & quicquid est in Deo, sit ipse Deus. Hinc sequitur quarta differentia, quamuis enim uerbum nostrum, quando intellectus se ipsum intelligit, sit imago, & similitudo ipsius intellectus, non tamen potest dici eius filius, cum non sit eiusdem naturæ cum intellectu; non enim sufficit, quod aliquid procedat ab aliquo, & sit ei simile, ut eius filius dicatur, alias enim imago sui, quam aliquis pingit propriè diceretur filius, sed requiritur etiam, quod sit eiusdem naturæ, cum eo à quo procedit. At cum Verbum diuinum ita sit imago diuini intellectus, ut sit etiam eiusdem naturæ, propriè dicitur filius Dei, & Deus cuius est uerbum, dicitur Pater, ipsa uero Verbi processio, generatio. Sicut enim processio corporalis, procedens ab agente, qui de potentia exit in actum, dicitur generatio, quando est communicatio naturæ, secundum similitudinem speciei, sic processio in Deo, qui non exit de potentia in actum, & cuius actio est sua essentia, qua communicatur eadem, non solum speciei, sed etiam numero natura, eminentiori modo dicitur generatio. Cum autem id, quod generatur, quamdiu est ingenerante dicatur esse conceptum, & Dei Verbum, ita sit à Deo genitum, ut semper in ipso maneat, merito. Prou. 8. dicitur, à Deo conceptum, ubi etiam dicitur parturitur, & eius generatio partus, ad denotandum eius perfectam distinctionem à generante; & quia id, quod parturitur, ex utero procedit, eadem ratione illi Pater dicit, psal. 109. *Ex utero ante luciferum genui te*; Sed ut ostendatur, quod hæc distinctio non excludit Verbum esse in generante, Verbum dicitur esse in sinu Patris. Ioa. 1.

De

De Processione Spiritus sancti . Cap. XIII.

Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio, per modum uoluntatis, est enim amor quo Pater, & Filius se mutuo diligunt. Pro cuius maiori explicatione notanda est differentia inter intellectum, & uoluntatem. Intellectus enim, actu intelligit, per hoc quod res intellecta est in intellectu per suam similitudinem, quæ dicitur uerbum cordis. At uoluntas uult, non per similitudinem uoliti in se receptam, sed quia afficitur, & inclinatur in rem uolitam, & sic res uolita, seu amata, est in uoluntate, non per essentiam, & similitudinem, sed per uoluntatis affectionem, & inclinationem; nec ob id amatum trahitur ad uoluntatem; sed è contra uoluntas trahitur, & quodammodo impellitur ad amatum per intellectum representatum, in quo est per suam similitudinem, quæ uoluntatis inclinatio correspondet uerbo intellectus; Sicut enim uerbum est in intellectu, & est medium, quo intellectus ad rem extra ipsum existentem terminatur, ita inclinatio uoluntatis, est in ipsa uoluntate, & est medium quo uoluntas uult aliquid sibi ab intellectu representatum. Est ulterius notandum, quod uoluntas, sicut, & intellectus, potest supra seipsam reflecti, & uelle, & amare se, quatenus per intellectum sibi ipsi repræsèntatur: quo casu idem est uolens, & uolitur, amans, & amatum, & uoluntas dicitur esse in uoluntate, nõ solum, ut est idem sibi per essentiam, sed etiã ratione inclinationis, & affectionis, qua seipsam uult; quæ uoluntatis affectio, erga rem uolitam, dicitur amor. Ex quibus aliquo modo poterimus ad diuinam Spiritus sancti processionem ascendere. Cum enim in Deo sit intellectus, & uoluntas, & proprium uoluntatis suæ obiectum, sit bonitas diuina, necessario uult, & amat suam bonitatem, quæ est ipsemet Deus; & quia amatum est in amante, Deus erit in sua uoluntate, ut amatum in amante, & consequenter procedet à uoluntate, siue à Patre per uoluntatem, quæ processio non potest dici generatio; nec id, quod procedit, filius, cum non sit per modum similitudinis, sed inclinationis, & impulsiois: amatum enim non est in amante, secundum similitudinem speciei, sicut intellectum in intelligente. est quidem Spiritus sanctus similis Patri, cum sit eiusdem proximi naturæ, non tamen ob id dicitur eius filius, cum hæc similitudo non sit uel processionis, quod ad filiationem requiritur; sed hæc processio dicitur spiratio, & id quod per eam procedit, dicitur

dicitur Spiritus: nam amatum est in uoluntate, ut inclinans, & quodammodo impellens intrinsecus amantem in rem amatam impulsus autem uiuentis ab interiori, ad Spiritum pertinet. Deus ergo procedens per modum amoris, dicitur spiritus, quæ si spiratione existens, & quia in Deo omnia sunt sancta; ob id dicitur Spiritus sanctus, ut habet uim unius dictionis. Si enim, sicut diuisæ dictiones, tota Trinitas, & quælibet persona, est Spiritus sanctus; Et merito exprimitur hæc tertia persona nomine communi, toti Trinitati, cum sit amor, & Spiritus Patris, & Filii. Quod autem est in uoluntate, ut amatum in amante, habet etiam essentialem ordinem ad intellectum, non enim amor fertur in incognitum, sed id solum amatur, quod intellectus apprehendit, & uoluntati tanquam bonum proponit. cum igitur amor alicuius rei, procedat non solum à uoluntate amantis, sed etiam à conceptione eiusdem rei, quæ dicitur uerbum amati, Spiritus sanctus procedet à Verbo Dei, qui est filius, & à Deo cuius est Verbum, qui est Pater: ex quibus sequitur, quod Spiritus sanctus est persona subsistens eiusdem essentia cum patre, & filio; nam amare, est quoddam uelle, uelle autem Dei est eius esse, quemadmodum, & intelligere, intellectus, & uoluntas sunt eius esse.

De alijs Dogmatibus Fidei.

*Quod detur peccatum originale, quomodo potuerit corrumpere totam naturam humanam.
& quid sit. Cap. XV.*

Post tractatum de Sanctissima Trinitate, cum ad euitandam prolixitatem, nolimus tractare, nisi de quibusdam præcipuis, & difficilioribus mysteriis fidei, uidebatur agendum de Incarnatione Verbi. Sed quia causa huius Incarnationis, fuit ut satisfaceret pro peccatis nostris, nos redimeret, & Patri reconciliaret; ideo ut nobis ad illam aditum, paremus, prius agemus de peccato originali, propter quod in Adam corrupta fuit tota natura humana, & periit totum humanum genus; quod etiam fuit, & est potissima causa omnium peccatorum actualium. 2. ostendemus quomodo Deus non est, nec esse potest causa peccati, sed nostra uoluntas. 3. agemus de Dei Prouidentia, & illam præcipuè in mysterio Incarnationis reluc-

Ratio ordinis.

Dogmata tractanda.

relucere ostendemus. 4. agemus de ipsa Incarnatione. 5. de necessitate Incarnationis. 6. ostendemus, quod non obstante Christi passione, necessaria nobis sunt bona opera, & quod sit eorum meritum. 7. uidebimus quare passio Christi non proficiat damnatis, & non profuerit demonibus. tandem. 8. agemus de resurrectione, & mundi renouatione.

Quattuor
dogmata
de crea-
tione mū-
di.

Inter alia dogmata fidei, quattuor præcipua sunt, ad propositum nostrum spectantia, quæ Mundi creationem respiciunt. Primum, quod Deus uniuersum mundum ex nihilo creauit; & hoc quamuis sit articulus fidei, & reuelatione habeatur, illa tamen supposita, naturali rationi consonum esse, primo huius tertiæ partis libro, eisdem rationibus, quibus & Dei existentiam, probauimus. Secundum, quod non multos homines, sed primo unum solum, ex limo terræ, deinde ex illius costa, mulierem formauit, ut essent primi totius generis humani parentes. Tertium, quod Deus Adæ, ut patri totius generis humani, ad illum probandum, & ut obediendo in iustitia originali, cum sua posteritate confirmaretur, leuissimum quoddam dedit præceptum. Quartum, quod illud præceptum transgressus est, & originale iustitiam amisit, & illius peccatum, & peccati pœna, in omnes posteros, ex illo descendentes, transmissa sunt, ob quam causam in nobis dicitur originale, quod illi fuit actuale.

Quod de-
tur pecca-
tum origi-
nale.

Quod autem primum Adæ peccatum in omnes posteros, ex illo descendentes transferit, & transeat, est de fide, dicente Apostolo, Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit. & per peccatum mors.* & quod non possit intelligi per imitationem, sed per ueram, & realem illius in conceptione, contractionem, habetur non solum quia subdit, *In quo omnes peccauerunt, sed etiam ex propheta, ps. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis concepit me mater mea.* & ex Apost. Ephes. 2. *Erasmus natura filii iræ, sicut, & ceteri.* ob quam causam pueri mox nati deferuntur ad baptismum, tanquam ab aliqua infectione maculæ abluendi, & ante baptismum fuit Circuncisio, quæ dabatur octauo die, & ante octauum diem, in periculo mortis, erat sacramentum legis naturæ, quod fuit etiam ante Circuncisionem à principio mundi. Et cum de hoc nulla sit apud Catholicos dubitatio, & nolimus contra Pelagianos, & alios hæreticos præter institutum nostrum disputare, ut gentilibus, qui sola ratione mouentur, aliquo modo satisfaciamus, dicimus, & licet ista ueritas Catholica, de iustitia, & peccato originali, non habeatur, nec haberi possit, nisi sola fide, illa tamen supposita,

ratio

ratio eam suadet, quia ad illam accedit, sed non attingit, nisi adiuta lumine fidei; gratia enim non destruit, sed perficit naturam; Duo de corpore animæ rationalis, inuicem contraria ratio suadet, & conuincit, primum est, quod deberet esse incorruptibile, cum anima eius forma sit immortalis, quia illi proportionari debet. sicut, & in ceteris omnibus, materia secunda, & forma proportionantur, tanquam se mutuo recipientes, ut potentia, & actus, aliàs tanquam actus corporis remanebit separata cum perpetua inclinatione ad illud, Deus autem, & natura nihil agunt frustra. Alterum est, quod debet esse corruptibile, sicut etiam experientia docet, tum ratione scientiarum, quia anima est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, ut dicitur primo de Anima. unde scientias à sensibilibus, mediantibus sensibus debet acquirere, organa autem sensuum tanquam composita, ex elementis sunt corruptibilia. tum etiam ratione multiplicationis, quia cum anima sit forma, non potest esse ante corpus, cuius est forma, licet maneat post, ut dicitur 12. Met. tex. 17. unde animæ rationales producantur ad generationem hominum, non quidem ui feminis, sed à Deo, ut diximus superius cum ageremus de immortalitate animæ; ergo corpus cuius anima nostra est forma, debet esse generabile, & aptum generationi, & consequenter ex elementis compositum, & natura sua corruptibile; probat igitur ratio, quod corpus humanum debet esse ex una parte incorruptibile, ex altera corruptibile, quomodo autem hæc simul stare possint, ipsa deficit, & fides docet, utrumque fuisse in statu iustitiæ originalis, & post resurrectionem corpus futurum incorruptibile. Præterea unum in nobis experimur, quod est rationi repugnans, quod. s. sensus, & carnalis concupiscentia repugnet rationi, & legi naturalis; inclinet ad malum & maximam difficultatem inducat ad bonum; hoc autem est contra naturam, primo, quia sicut corpus est propter animam, & operationes animæ, ita debet præcipuis animæ operationibus inferuire, & non repugnare. 2. quia non potest dici, quod hæc inordinata concupiscentia sit ex natura sensus, nam carnalis concupiscentia in brutis, est ordinata, solum enim comedunt iuxta exigentiam naturæ, & utuntur coitu ad generationem certis temporibus; in homine autem utraque concupiscentia est maxime inordinata; nec obstat si dicatur excessum prouenire ex libertate arbitrij, quia saltem naturalis inclinatio non debet esse ad excessum, sicut eadem inclinatio non est ad excessum in brutis, imo in homine deberet esse magis à natura regulata, cum sit.

per-

Supposita
fide, ratio
ne ostenditur.

perfectior, & capax uirtutis; & tamen cum ratio uirtutem suam deat, sensus ad uitium illam quodammodo impellit. 3. quia natura peccatum abhorret, & ad uirtutem inclinatur, quod non solum patet ex naturali dissiminatione rationis, sed etiam quia in ipsis bestiis, quæ sunt incapaces uirtutum, impressit uestigia uirtutum, adeo quod ex illis discere debeamus, ut pietatem ex ciconia, fidelitatem ex cane; ergo multo magis illa debuit in nobis imprimere, & tamen in nobis experimur à natura impressos impulsus ad omnia uitiorum genera; *Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua.* Cum autem ista inclinatio ad malum in homine sit naturalis, uidetur dicendum, quod illius causa sit natura, & Deus auctor naturæ, omnem enim, quod naturale est, à Deo est; & quod consequenter defecerit in præcipuo opere naturæ .s. in homine; & cum cætera omnia eius opera fuerint perfecta, hominem non potuerit ad perfectionem redigere; hoc autem nullo modo philosophi concederent, sed omnes uno ore clamant, opus naturæ esse opus intelligentiæ non errantis. & tamen in homine est error, & maxima inordinatio naturalis, quam ipsi negare non possunt; cum autem nihil inordinatum naturæ, & Deo tribuendum doceant, deficient in causa effectus, quem experiuntur; quam fides reuelat, quia per peccatum primi hominis, fuit tota natura humana in eo, uelut in principio corrupta, quæ à deo in sua perfectione fuit creata, & supernaturali etiam gratia dotata.

De hoc igitur Adæ peccato, quinque explicabimus. Primo, quomodo potuerit totam humanam naturam corrumpere. 2. quid sit. 3. quomodo traducatur. 4. quæ sit illius poenitentia. 5. an Beata Virgo illud contraxerit. Circa primum notandum est, quod aliquis homo singularis, dupliciter potest considerari, secundum, scilicet; quod est singularis persona, & secundum quod est pars alicuius uniuersitatis; & utroque modo potest ad eum aliquis actus pertinere; nam in quantum est singularis persona, ille actus ad eum pertinet, quem proprio arbitrio, & per se ipsum facit; in quantum uero est pars uniuersitatis, potest ad eum pertinere aliquis actus, quem per se ipsum non facit, nec proprio arbitrio, sed qui fit à tota uniuersitate, uel à pluribus de uniuersitate, uel à Principe uniuersitatis; qua ratione, quod Princeps ciuitatis facit (ut inquit Philosophus) dicitur facere tota ciuitas; huiusmodi enim hominum uniuersitas, & congregatio, reputatur quasi unus homo, & diuersi homines in diuersis officiis constituti, repu-

tan-

tantur quasi diuersa membra unius corporis naturalis, sicut dicit Apost. 1. Cor. 12. de membris Ecclesiæ; Cum autem omnis uniuersitas fundetur in aliqua unitate, ut actus, seu peccatum alicuius de uniuersitate, imputetur aliis eiusdem uniuersitatis, debet pertinere ad id in quo conuenit uniuersitas, uel ad ipsam uniuersitatem. Hac eadem ratione tota multitudo hominum à primo parente humanam naturam accipientium, potest considerari, ut quædam uniuersitas, & ut unum corpus unius hominis, & in ea quilibet homo, & etiam ipse Adam potest considerari, ut singularis persona, & ut membrum huius uniuersitatis, quæ per originem deriuatur ab uno; Unitas super qua fundatur ista uniuersitas, est natura humana, secundum quod per originem omnes illam habent à primo parente, ratione cuius omnes sumus filii Adæ, & inuicem fratres. Ex quo sequitur, quod nullius peccatum potest inficere naturam humanam, & in alios transfundi, nisi illius in quo uelut in principio sit tota natura humana, & sint omnes homines; & non sufficit hoc solum, sed debet esse tale peccatum, quod committat, ut pater omnium hominum ab eo descendendum, & quatenus omnes sunt in illo, ut in principio; unde alia peccata Adæ, non traducuntur in posteros, quia sunt personalia, similiter nec illa proximorum parentum, sicut nec illorum merita; & ratio est, quia homo generat sibi idem in specie, & non secundum indiuiduum, & ideo quæ directe, & proprie pertinent ad indiuiduum, non traducuntur à parentibus in filios, sed ea, quæ pertinent ad naturam speciei; & per consequens illud solum peccatum generatione traducitur, quod corrumpit naturam humanam, non corruptione pertinente ad solam personam, qualis est pronitas ad peccandum ex propriis peccatis contracta, sed corruptione ad ipsam naturam pertinente. Et hoc fuit solum primum Adæ peccatum, & non alia eiusdem; Quod autem, & quomodo ipsam naturam corruerit, ex dono gratiæ per illud peccatum amisso facile cognoscemus; idem enim considerandum est in peccato, quod consideratur in dono gratiæ, quod tollitur per peccatum, nam quot modis dicitur, & consideratur unum contrariorum, tot etiam, & alterum. Primo homini fuerunt diuinitus tradita duo dona, primum fuit non ratione personæ suæ tantum, sed ratione totius humanæ naturæ ab eo deriuandæ, & fuit originalis iustitia, quæ residebat non solum

Idem ostenditur ex iustitia originali.

Qua ratione peccati Adæ corruerit totam naturam humanam.

solum in superiori parte animæ, quæ est intellectiua, sed diffundebatur ad inferiores partes animæ, quæ eius uirtute, sub ratione totaliter continebantur, & ulterius, usque ad corpus, in quo nihil poterat accidere, ipso dono manente, quod uni ipsius ad animam contrariaretur; & ideo hoc donum, si Adam non peccasset, rationabiliter fuisset ad posteros propagatum; tum quia conseqebatur naturam ex Dei munere, tum etiam, quia pertingebat, usque ad corpus, quod per generationem traducitur, hoc autem donum fuit sublatum per primum Adæ peccatum, quod ut pater omnium descendendum ex ipso, comisit, quo fuit in eo corrupta humana natura; illo enim comisso, se nudum esse cognouit, inde erubescencia, & timor, sententia mortis, & expulsio ex paradiso uoluptatis; ergo rationabiliter illud peccatum propter easdem causas per originem, cum ea, quam experimur naturæ corruptione, ad posteros deriuatur. Alterum donum gratiæ, quod diuinitus fuit collatum Adæ, & aliis etiam confertur, est ratione personæ propriæ tantum, & illius uis residet in sola anima intellectiua; & non deriuatur ad corpus, ut per huiusmodi gratiam tollatur corruptibilitas corporis; & ista gratia, quæ est gratum faciens, non traducitur, & amittitur propriis peccatis actualibus, quæ consequenter non traducuntur in posteros, sicut nec gratia, quam tollunt.

Quid sit peccatum originale. Ex his facile intelligemus, quid sit peccatum originale, cuius duæ sunt definitiones, Prima Anselmi, quam sequitur Scotus, quod sit carentia iustitiæ originalis debite, ut acceptæ in primo parente, & in ipso amissa. Dicitur [debita] quia licet esset donum supernaturale gratuitum, tamen datum fuit Adæ pro ipso & pro tota natura humana, quæ erat tota in ipso, & in eius uxore, & non erat extra ipsos, ut per modum naturæ traduceretur cum ipsa natura; & sicut fuisset debita lege propagationis omnibus descendentibus ab Adam, ita eadem lege, per peccatum Adæ in quo omnes peccauimus, illa priuamur. Altera definitio est S. Aug. & Magistri, qui dicunt esse concupiscentiam, non quidem secundum actum, sed secundum habitum; unde Aug. inquit, quod paruuli, secundum peccatum originale, sunt concupiscibiles, & si non sint actu concupiscentes. Sed facile possunt reduci ad concordiam, pro quo notandum est, quod cum unumquodque habeat speciem à sua forma, species, & quidditas peccati originalis, sumetur ex sua causa formali, quæ attendenda est ex causa originalis iustitiæ cui opponitur, igni oppositorum oppositæ sint causæ; originalis autem iustitiæ tria dicit, donum

donum, scilicet supernaturale, & illius uirtute subiectionem mentis ad Deum, & rectum ordinem uoluntatis, & omnium potentiarum animæ ad bonum; Et per oppositum peccatum originale tria dicit, priuationem, scilicet iustitiæ, & rectitudinis uoluntatis, & aliarum potentiarum animæ; Formale iustitiæ originalis est ipsum donum supernaturale; materiale est subiectio uoluntatis ad Deum, & rectitudo uoluntatis, & aliarum potentiarum ad bonum; qui etiam sunt ipsius effectus; inter quos est ordo, nam subiectio uoluntatis ad Deum, est ratio formalis respectu rectitudinis uoluntatis, & aliarum potentiarum ad bonum; & per oppositum formale peccati originalis, est priuatio iustitiæ originalis debite, id est, non quæcunq; illius carentia, nam in creato in puris naturalibus, non esset peccatum, sed carentia ex culpa, cum esset debita, tanquam donata per modum naturæ; ex qua priuatione oritur in anima macula, & deformitas, per quam est à Deo auersa, & Deo odibilis, non quidem ratione proprii actus uoluntatis, sicut in peccato actuali, sed ratione uoluntatis primi parentis, ut diximus, & adueniente usu rationis, uoluntas est à Deo auersa, & cum inferioribus animæ potentiis inordinate conuertitur ad bonum commutabile, quæ etiam contra rationem insurgunt; ubi auersio à Deo, & inordinata conuersio ad creaturas, & rebellio carnis contra spiritum, sunt effectus, & pena peccati originalis, & materialiter etiam ad illud pertinet, ratione potentiarum preexistentium, inter quæ est ordo; nam auersio à Deo respectu conuersionis, & rebellionis, est formale; & consequenter dupliciter aliquid est formale iustitiæ, & peccati originalis; primario, scilicet & secundario, per gratiam autem superuenientem tollitur utrumque formale peccati, macula, & culpa ex priuatione iustitiæ, & auersio; & remanet concupiscentia, & rebellio carnis contra spiritum, non ut peccatum, sed ut pena, & ad exercitium prior igitur definitio sumitur à formali peccati, posterior uero à materiali, nam, omnis inordinatio potentiarum per conuersionem ad bonum commutabile, communi nomine dicitur concupiscentia, & etiam semper peccati, lex carnis, & aliis huiusmodi nominibus.

Peccatum originale quomodo habeat in nobis rationem culpæ, quomodo traducatur, & quæ sit illius pena. Cap. XVI.

Sed dubium est quomodo ista carentia originalis iustitiæ, possit in nobis habere rationem culpæ, & peccati; nam peccatum catenus est peccatum, quatenus est uoluntarium. hoc expli-

De illius
traductio-
ne primæ
sententiæ.

Illius im-
pugnatio.

Quomo-
do tradu-
catur, & in
nobis ha-
beat ratio-
ne culpæ.

cabimus, explicando modum quo traducitur, de quo est difficultas, cum peccatum originale sit subiectiue in anima rationali, quæ non traducitur cū semine, sed à Deo immediatè creatur. Aliqui dixerunt traduci à parente in prole, per seminis corruptionem, sicut leprosus generat leprosum, & podagricus podagricus, propter aliquam corruptionem seminis, licet talis corruptio non dicatur lepra, uel podagra; & cum corpus sit proportionatū animæ, & defectus animæ redundant in corpus, & è cōuerso, dicunt q̄ simili modo culpabilis defectus animæ, per traductionem seminis, deriuatur in prolem, quamuis semen actua-liter non sit subiectum culpæ. Sed hic modus explicandi non est sufficiens, nā peccatum originale in nobis, ut est in nobis, habet rationem culpæ, ratione cuius sumus filii iræ; de ratione autem culpæ est, q̄ sit uoluntaria, ergo modus explicandi illius traductionē debet esse talis, ut ostendat in nobis esse uolūtarium, eo modo quo in nobis habet rationem culpæ, q̄ non ostendit prædictus modus; nā dato, q̄ aliqui defectus corporales, à parente transeant in prolem per originem, similiter, & aliqui defectus animæ, ex consequenti propter corporis dispositionem, sicut in terdū ex fatuis, fatui generantur, tamen hoc ipsū, q̄ est ex origine, aliquem defectū habere, uidetur quod non sit ex uolūtate, & consequenter, quod non habeat rationem culpæ, obligantis ad pœnam, nā ut dicitur 3. Etich. nullus improperebit cæco nato, sed magis miserebitur. Nec sufficit dicere, q̄ peccatum originale fuit uoluntariū in Adam, & in nobis esse uoluntarium uoluntate Adam, quia hoc non sufficit ad rationem culpæ in nobis, sicut enim in nobis habet rationem culpæ, ita debet habere rationē uoluntarii. Cum autem certum sit esse impossibile, q̄ propria uoluntate paruuli hoc originale peccatum contraxerint, quia nullum tunc habent liberi arbitrij usum; certum etiam sit, q̄ aliquius peccatum, in tantum est eius peccatum, in quantum est ab ipso uolūtum, & quod sola traductio defectus patris in filiū, non facit, quod filius uoluntariè illum defectum habeat, & per consequens nō potest facere, quod in filio habeat rationem culpæ, sicut habet in patre. Ideo ad saluandum in nobis uoluntarium requisitū ad culpā originalis peccati, absq; propria uolūtate, dicimus peccatū originale primi parētis, q̄ uoluntate sua cōmisit in nos ex ipso descēdere seminis traductione, quatenus omnes fuimus in ipso, & sumus eius mēbra, quæ ex ipso per eadē feminis traductionem procedimus; & hac ratione omnes homines, qui nascuntur ex Adā, possunt (ut diximus) cōsiderari in eo, ut

unus

unus homo, quatenus cōueniūt in natura, quā ab ipso primo parēte accipiunt, & omnes homines dicūtur fuisse in Adā, ut illius mēbra, & uoluntatē eius, esse uoluntatem omnium, quatenus sūt aliquid illius; & ipse, ut omnium pater illo actu obedientiæ, uel transgressionis præcepti sibi dati, omnes representabat, & pro omnibus mereri, aut demereri debebat; sicut etiā in ciuilibus, (ut ex Philosopho diximus) quod Princeps Ciuitatis facit, dicitur facere Ciuitas: Et persistēdo in eadem similitudine unius corporis, peccatum, q̄ quis facit V.G. homicidij omnibus eius partibus, & membris ad illud cōcurrētibus imputatur, animæ, oculis, manibus, pedibus, &c. Sed ille actus unius mēbri corporalis, puta manus, nō est uolūtarius uoluntate ipsius manus, sed uolūtate animæ, quæ mouet manū; unde si manus cōsideraretur secundū se, ut diuisa à corpore, homicidij, q̄ illa cōmittit non imputaretur ei ad peccatū, sed imputatur in quantum est pars hominis, quæ mouetur ab illius uolūtate; & licet ad unū peccatū faciendū diuersæ partes hominis adhibeātur, & omnibus illius partibus, ut ab eo motis imputetur, nō tamē propterea sūt multa peccata, sed est unū solū peccatū propter unitatē principii. s. uolūtatis, à quo peccati ratio ad omnes actus partium deriuatur: Eodē modo si cōsideretur istud Adē peccatū per originē in istū hominē deriuatū, secundū quod iste homo est quædā singularis persona, hoc peccatū non habet in eo rationē culpæ, ad cuius rationē requiritur, q̄ sit uoluntaria, & sic in illo nō punitur, ut propriū, & actuale illius peccatū eius uolūtate cōmissū, sed si cōsideretur iste homo generatus sicut quoddā mēbrū totius humanæ naturæ à primo parēte propagatæ, sic habet in eo rationē culpæ, propter uolūtariū illius principium, q̄ est actuale peccatū primi parētis. Vnde generatiua motio correspondet motioni imperatiuæ uolūtatis, in hoc, q̄ sicut motio imperatiua facit mēbrū esse aliquid mouētis, ut sic possit ei imputari ad culpā, supposita eius capacitate, ita etiā generatiua motio, facit eū, qui generatur esse mēbrū primi parētis, ut capitis, ut sic possit ei imputari culpa capitis, ut est caput, & sit uere illius particeps; & cū peccatū fuerit à primo parēte perpetratū, & ratione illius tāquā capitis, in tota humana naturā ab eo descēdēte, cōsideretur. est ueluti unū peccatū originale, (ita tamen, q̄ est uerè in omnibus, & nō denominatione omnino extrinseca,) propter q̄, inquit Apof. Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* q̄ secundū Aug. potest intelligi in quo. s. primo homine, uel in quo peccato primi hominis, ut peccatum primi hominis sit quasi commune peccatum omnium.

Ij 2 Ad

Ad quod etiam facit, quod dicit Apost. Hebr. 7. de Tribu leuitica, quod fuit decimata in Abraham, quia erat in lumbis Abraham, quando dedit decimas Melchisedech.

De illius
subiecto.

Ex quibus sequitur peccatum originale omnium hominum, fuisse in ipso Adā tanquam in prima causa principali, in quo omnes peccauimus, Rom. 5. In semine autē corporali, esse sicut in causa instrumentali, eo quod per uirtutē actiuā seminis, traducitur in prolem simul cum natura, sed tanquam in subiecto, est solū in anima, & nullo modo in carne; in carne uerō est per suū effectū, ut habet rationē pœnæ, nā concupiscit aduersus spiritū; illa autē caro, quæ est in ipsa unione animæ, per se nō inficit animā originali peccato, nisi quatenus stat sub actione seminis uiuentis, & propterea nō potest propriē dici illius causa instrumentalis, sed semen, cui propriē cōuenit actio naturæ; ex quibus etiā sequitur, quod si à deo miraculose formaretur aliquis homo, nō solū ex alia materia, sed etiā ex carne humana, ille nō contraheret peccatum originale, & quod Christus non potuit illud cōtrahere, nō solum quia est Filius Dei, aut quia ex priuilegio eius anima, prius natura, fuit informata gratia, quā unita corpori, sicut in B. Virgine, sed quia fuit conceptus de Spiritu sancto, & non uirili semine.

Dubium
cum solu
tione.

Sed oritur dubium, quia accidens non traducitur per originem nisi traducto subiecto, quia non transit de subiecto in subiectum; sed anima rationalis, quæ est illius subiectum, non traducitur per originem. Respondetur, quod idem dubium posset fieri de traductione naturæ humanæ, & hominis generatione, nam cum anima sit pars essentialis naturæ humanæ, & forma hominis, & non educatur vi seminis de potentia materiæ, sed à Deo immediatē creetur; quomodo traducitur natura humana, & homo generat hominem? eo modo quo respondetur traduci naturam humanam, ad quam essentialiter pertinet anima, licet non traducatur anima; eodem etiam dicitur traduci peccatum originale, & esse in anima, licet anima non traducatur. propterea notandum est, quod licet uirtus seminis non possit educere de potentia materiæ animam rationalem, mouet tamen ad ipsam dispositiue, quia inducit ultimam dispositionem in materia, & concurrat ad unionem animæ (quæ à Deo immediatē creatur) cum materia, & consequenter ad productionem totius compositi, ob quas causas homo uere est causa hominis, & humanam naturam traducit, & hominem generat, licet anima sit à solo Deo,
nam

nam terminus generationis non est forma, sed compositum, de cuius ratione est forma; Cum igitur anima rationalis pertineat ad naturam humanam, peccatum originale eodem modo traducitur quo natura humana; hæc autem traducitur per uirtutem seminis à primo parente in prolem, & eo modo uirtute eiusdem seminis, ab eo traducitur quo fuit in ipso, scilicet, infecta, & corrupta ob carentiam iustitiæ originalis debitæ, Nec obstat, quod iustitia originalis non erat naturalis, sed gratuita, quia satis est, quod erat data naturæ, & per modum naturæ; & sicut intelligimus animæ, ut est pars humanæ naturæ, licet non siteducta de potentia materiæ, deberi ea, quæ pertinent ad naturam, etiam ratione corporis, & sensuum; ita etiam cum iustitia originalis fuerit data naturæ, & per modum naturæ, intelligitur ei debita, & quod ea caret non fecus ac si ei deesset oculus corporeus, ei, ut instrumento debitus; nam sicut corpus, & quælibet pars corporis, ut digitus est illi debita, ut pars corporis cuius est forma, ita iustitia originalis est illi debita, quatenus natura humana est ab Adam, per generationem; est tamen hæc differentia, quod pars corporis in homine monstruoso illi deest, ob defectum agentis naturalis, uel materiæ, & non ob defectum uoluntatis, & propterea, nec genito, nec generanti potest imputari ad culpam, at defectus iustitiæ illi deest ob transgressionem, & culpam, Adæ, quæ fuit transgressio, & culpa omnium, sicut & eius meritum fuisset, meritum omnium ad illam habendam, quatenus omnes erant in illo, & omnium nomine merebatur, & demerebatur; non est ergo peccatum originale in anima per transitum de subiecto in subiectum, nec per traductionem subiecti, sed eo ipso, quod iustitia erat illi debita, & ea caret, ex culpa Adæ, quæ etiam fuit omnium nostrum, ratione exposita.

Pœna peccati originalis est multiplex, humanæ scilicet naturæ corruptio, huius uitæ pœnalitates, & mors, quæ (excepta, ut diximus, corruptione, & inclinatione ad uitia) sunt naturales ex parte corporis, quod est compositum ex contrariis; sed non ex parte animæ; cum sit immortalis, & Deus defectum naturæ suppleuit dono iustitiæ originalis, quo amisso, sequuntur sunt etiam, ut pœna peccati, & peccato originali remisso, nihilominus in hac uita relinquuntur, ut naturales, & ad exercitium. Pœna autem propria est priuatio diuinæ uisionis, quæ in pueris decedentibus cum solo originali, est sine ulla afflictione doloris;

De pœna
peccati
originalis

Quomodo priuatio beatitudinis in pueris fit sine dolore.

Sed cum præcipua damnatorum pœna, sit pœna damni, qui est dolor ex priuatione beatificæ uisionis, dubium est quomodo ista priuatio in pueris possit esse sine dolore. S. Tho. hanc reddidit rationem, quia nullus in rectitudine rationis constitutus affligitur, nec tristatur, quia caret eo ad quod nunquam fuit proportionatus, sed tales pueri utuntur recta ratione, & dato, quod cogitent, & sciant se esse priuatos, uel exclusos à Dei uisione, sciunt tamen se nunquam ad illam fuisse proportionatos, & propterea de hoc non tristatur. Contra quam rationem bene arguit Durandus, quia pueri non baptizati licet in se non habuerint aptitudinem, aut proportionem ad consequutionem gloriæ, eam tamen habuerunt in sua radice. s. in primo parente, & hac ratione dolebunt, sicut doleret filius militis, qui habuit aptitudinem ad imperium, quo culpa patris sui est priuatus. Nec ualet responsio Capreoli, quod homo sane mentis, & utens recta ratione, non dolet de hoc, quod priuatur bono ad quod habuit aptitudinem in sua radice tribus concurrentibus, si constet. scilicet taliter priuato suam priuationem esse iustam, & quod sua uoluntate non est inducta, nec ab eo potuit impediri, & quod suum displicere esset penitus inutile, inhonestum, & indelictabile; hoc inquam non obstat, quia displicentia naturaliter sequitur ex priuatione boni, quod cognoscitur fuisse debitum in sua radice, & recta ratio non facit, nec efficere potest, quod nulla sit displicentia, cum id cogitur, sed quod patienter feratur. Et confirmatur ratio Durandi, licet ipse postea non reddat sufficientem solutionem; quia illi pueri non solum cognoscunt se habuisse aptitudinem ad consequutionem gloriæ in primo parente, sed etiam, quia ad illam habent, & in se experiuntur naturalem potentiam, appetitum, & inclinationem; nam licet supernaturaliter habeatur, potentia tamen, & inclinatio ad illam est naturalis ut probauimus, lib. 1. cap. 10. huius 3. p. ex priuatione autem boni ad quod est naturalis potentia, & inclinatio, ut ad proprium finem, licet supernaturaliter habendum, naturaliter sequitur dolor, & sequeretur in illis pueris nisi Deus hunc actum suspenderet, quia non priuantur illo propria culpa. causa igitur quare ista priuatio non affert illis dolorem, est, quia, ut inquit S. Tho. utuntur recta ratione; sed hæc sola non sufficit, nam dolor, & tristitia naturaliter sequitur ex huiusmodi priuatione; unde proxima, & propria causa est, quia Deus in illis suspendit hunc actum nature; ut nullus ex cognitione huius priuationis sequatur dolor.

Quod

Quod omnes contraxerint, & contrahant peccatum originale, Et quomodo secundum Aug. fuerit prophetatum Euangelium, quando dictum fuit, filium non portaturum iniquitatem patris.
Cap. XVII.

Resupponimus tanquam certissimū, & de fide, omnes, ex Adam descendentes, uirili semine conceptos, contraxisse, & contrahere peccatum originale, Sola B. Virgine singulari priuilegio excepta, Sed antequam ad huius priuilegij probationem descendamus, ut difficilem quendam S. Aug. locum explicemus, obiectionem in contrarium, quam ei fecit Iulianus Pelagianus, adducemus; ex illo enim Ezech. 18. quod non erit amplius illa parabola, qua dicebant Patres nostri comedunt uiam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt, nam anima, quæ peccauerit ipsa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris; arguebat Iulianus contra peccatum originale, cui Aug. lib. 6. contra Iulianum, cap. 12. sic respondet, hanc esse promissionem testamenti noui, & spiritualis hereditatis, ad alterum seculum pertinentis, & probat ex Hier. 31. ubi idem dicitur, & statim subditur promissio noui testamenti. *Ecce dies ueniunt dicit Dominus, & consummabo domui Israel, & domui Iuda testamentum nouum, &c.* illius autem prophetici dicti, rationem assignat, dicens, *carnalis generatio etiam populi Dei, pertinet ad testamentum uetus, quod in seruitutem generat, parentum peccatis obligat filios; spiritualis autem generatio, sicut hereditatem, ita pœnarum atq; præmiorum comminationes, promissiones, mutauit.* & nihil aliud dicit; Si loquamur de pœna temporali huius uitæ, Deus sicut in ueteri testamento puniuit peccata parentum in tertiam, & quartam generationem, Exod. 20. ita etiam punit in nouo, & hæc est sola differentia, quod in nouo non habemus diuinum testimonium quando particulariter aliquos punit propter peccata parentum, sicut multa habemus in ueteri; Si loquamur de peccato originali, & eius pœna spirituali, eadem uidetur ratio, nam etiam nati ex Christianis illud contrahunt, sicut nati ex iudæis; & sicut nos habemus sacramentum baptismi, ita etiam illi habebant sacramentum circumcisionis, quare nulla uidetur in hoc differentia. Sed ponderando uerba S. Aug. unam eliciemus differentiam inter Synagogam, & Ecclesiam, ex qua habebimus etiam hæc, quæ ipse ponit; dicit enim, quod generatio pertinet ad uetus testa-

Differentia inter Synagogam & Ecclesiam quoad ingressum in eam.

li 4 men-

mentum erat carnalis, nostra autem spiritualis: filij iudæorum pertinebant ad synagogam carnali generatione, eo quod erant eorum filij, etiam ante circumcisionem, alij quidem, qui non erant de populo iudæorum, circumcisione eis coniungebantur, & ad synagogam pertinebat, sed non sic iudæorum filij, imo per multos annos fuerunt in deserto sine circumcisione; At nullus pertinet ad Ecclesiam nisi per spiritualement regenerationem; & filij Christianorum, non sunt eo ipso de Ecclesia, sed solo Sacramento baptismi, sicut & cæteri, illam ingrediuntur, & illius membra efficiuntur. Cuius differentiæ ratio est, quia electio illius populi in Abraham, fuit propter carnalem generationem, quia Messias ex Abraham, & David, continuata linea nasci debebat, & ideo danda erat opera generationi, & generatione ille populus augendus erat, & habenda erat ratio carnalis generationis, quæ etiam erat diligenter in illa linea notanda, & describenda. At electio, & multiplicatio populi Christiani, est per unionem cum Christo; & ideo ingressio in illum populum, & in synagogam, erat carnalis, ingressio uero in Ecclesiam, est spiritualis; illa fundabatur in natura, & propterea erat cum peccato, ista fundatur in Sacramento, & ideo est cum sanctificatione. Ex quo oritur alia differentia, quod multi pertinentes ad synagogam damnabuntur propter peccatum originale, pueri scilicet Iudæorum, qui moriebantur sine circumcisione, uel ante octauum diem sine Sacramento legis naturæ. At nullus pertinens ad Ecclesiam damnatur, nisi propter proprium actuale peccatum, quia omnibus pertinentibus ad Ecclesiam in ipso ingressu fuit remissum peccatum originale, & propterea nullus de Ecclesia potest dicere parabolam illam de uua acerba; & hoc credo uoluisse dicere S. August. & in hoc solo sensu interpretanda est illa, Ezech. auctoritas, si intelligatur de spirituali pœna, & damnatione propter peccatum originale; Si autem intelligatur de pœna temporali, propter peccata personalia proximorum parentum, potest etiam interpretari, ut pertineat ad nouum testamentum, non quod Deus non puniat filios propter peccata parentum pœna temporali, & corporea, ut aliquid eorum quo ad corpus, uel potius parentes in filiis; sed quia in populo Christiano, non erat futurum illud pro uerbum, quo iudæi tanquam carnales, non agnoscentes nisi temporalia, nec Deum, nec propria peccata, Deum ut iniustum generaliter accusabant; nam omnes Christiani à maximo, usque ad minimum, Deum, & Dei iustitiam agnoscunt, & quod

iuste

iuste mittit flagella, non solum in pœnam peccatorum, etiam parentum, sed etiam, ut misericors pater in medicinam. Et propterea licet sint etiam aliqui ex nostris impij, & blasphemantes contra Deum, non tamen est generaliter illud prouerbum, ut apud iudæos, sed cum Deus punit, benedicitur, & eius misericordia imploratur, blasphemantes uero reprehenduntur, & humano iudicio seuerè puniuntur; & hanc maiorem Dei cognitionem, quæ futura erat in nouo testamento per aduentum Messie, significauit Deus illis uerbis Ezechielis prophete.

De Immaculata Conceptione B. Virginis ex sacris litteris. Cap. XVIII.

Cum contra sententiam de Immaculata B. Virginis Conceptione, magno uictoriæ potius, quam ueritatis feruore, sint multæ longissimæ quæstiones, ut illa Capre. 3. sent. & illa Turris Crem. super cap. Pronunciandum, de conf. d. 3. & sint etiam aliqui tractatus particulares, ut ille Caie tani, & ille Turris Crem. qui fuit immutatus, & auctus à Bart. Spina, & quibusdam alijs discipulis, & in quo (ut refert Ambros. Cath. Episcopus, ord. præd. in præfatione sui tractatus pro Immaculata Conceptione ad Sanctam Synodum Tridentinam) Spina adiecit quinquaginta, & octo errores in fide, quos dicit sequi ex Immaculata Conceptione, & quinquagesies; & octies deprehendi hæreticos, qui illam sequuntur sententiam, (quem librum uidi superficetenus, sed cum sit ex illis, qui damnati sunt à Sixto IIII. in extrau. inferius citanda, tantum abest, quod legere uoluerim, ut non fuerim passus mihi aperiri) Cum (inquam) tot, & tanta scripta existant (ut omnittam digressiones) contra Immaculatam B. Virginis Conceptionem, mihi imputari non debet, si omni modestia, & omni incitando fidelitate, aliquid pro illius Immaculata conceptione dico; præsertim cum hic sit proprius locus, & ferè omnes de peccato originali tractantes, ad B. Virginis Conceptionem descendant, ne uidear negligentior, aut tacendo, sequi eam, quam nego sententiã. Ista quæstio de Immaculata B. Virginis Conceptione est ex illis, quæ Sacra scriptura euidenter determinari nõ possunt, sed sola Ecclesiæ auctoritate sunt terminandæ; Ecclesia autè illã hucusq; determinare noluit, sed statuit utranq; sententiã, sine heresis, aut peccati mortalis nota, teneri posse, & excommunicauit illos, qui dicunt contrariã sententiã tenentes, esse hæreticos, aut peccare mortaliter: Nos igitur sine cõdénatione contrariũ tenentiũ,

B. Vir-

Vtraq; sententia teneri potest.

Modus procedendi

B. Virginem sine peccato originali conceptam fuisse probabimus; sed quia opposita iuxta se posita magis elucescunt, & ut etiam maiori qua possumus breuitate, & claritate procedamus; B. Virginis precibus adiuti, respondendo contrariis argumentis, nostram, imo communem, confirmabimus sententiam. Sed antequam ad probationem, & ad utriusque sententiæ argumenta descendamus, uidendum est in quo consistat difficultas, & differentia, & quomodo potuerit hoc priuilegium concedi; quo etiã soluetur unum ex præcipuis illorum argumentis, ita enim argumentantur quasi repugnet, & concedi non potuerit. Conuenimus in quatuor, primo, quod peccatum originale est subiectiue in anima. Secundo, quod contrahitur per hoc, quod concepti feminum commixtione, naturam humanam à primis parentibus habemus, quorum sumus filij, nam ut sic concepti, erat nobis debita iustitia originalis, & ea caremus culpa Adæ, quæ etiam fuit omnium nostrum. 3. quod hoc peccatum originale nobis remittitur gratia gratum faciente; nam licet ea habere adhuc careamus iustitia originali, non tamen ob id habemus in anima maculam peccati ex illius priuatione; nam gratia efficit nos Deo gratos, & illius filios, & quantum ad diuinam acceptationem æquiualeat iustitiæ originali, adeo quod habenti gratiam non sit amplius imputandum ad culpam, quod ea careat. 4. quod ista gratia qua mudamur à peccato originali, generaliter datur post unionem animæ cum corpore, & consequenter post contractionem peccati, & communiter datur post natiuitatem, mediante aliquo Sacramento, aliquibus tamen ex priuilegio, post conceptionem, data fuit in utero matris, ut Hieremiæ, & Ioanni Baptistæ. Dubium modo est an gratia fuerit data B. Virgini in instanti creationis, & infusionis animæ, seu conceptionis, an uero post conceptionem; Si fuit ei data in instanti conceptionis, & infusionis animæ fuit præseruata à peccato, si post conceptionem, non fuit præseruata, sed illud contraxit. S. Tho. 3. p. q. 27. ar. 2. tenet, quod fuerit ei data post conceptionem, seu animationem, & sic probat; sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem, ergo fuit post eius animationem; quæ consequentia nihil prorsus ualet, quia potuit esse in ipso instanti infusionis animæ, ut etiam ibidem notat Caiet. sed in 3. sent. dicit, quod nec ante infusionem animæ, nec in ipso instanti infusionis animæ fuit sanctificata, sed postea. Nos autem dicimus, quod in ipso instanti infusionis animæ fuit illi data gratia, & consequenter non contraxit peccatum. Quod si arguatur

B. Virgo

Vtraq; sententia cõuenit in quatuor.

In quo consistat difficultas.

sententia, & argumentũ s. Tho.

solutio ex Caietano Quando fuerit data gratia B. Virgini.

B. Virgo etiam si in eodem instanti infusionis animæ habuisset gratiam, ad huc fuisset prius natura filia Adæ, nam cum gratia datur animæ à Deo propter recõciliationem personæ, & ad operandum, prius natura intelligitur anima, & unita corpori, quam quod habeat gratiam; ergo in illo tenebatur ad iustitiam originalem, quia fuit filia naturalis Adæ, & non habuit illam, nec gratiam, & per consequens in illo priori contraxit originale peccatum. Hoc argumentum tendit ad probandum, quod per diuinam potentiam non potuerit præseruari, quod constat esse falsissimum, & argumentum nihil ualet; ad quod respõdet Scotus 3. s. d. 3. quod quando ordo naturæ est inter positiuam, ut inter subiectum, & accidens, inter materiam, & formam, quod est prius natura potest esse prius in essendo, at quando opposita priuatiue comparantur ad idem subiectum, secundum ordinem naturæ, non insunt simul ambo, sed tantum alterum inest, illud autem, quod dicitur prius natura, s. priuatio non inest, quia in eodẽ instanti inest oppositum, & illius prioritas non est in essendo, sed dicitur prius natura, quia tunc inestet quantum est ex parte subiecti, nisi aliquid extrinsecum impediret; dat exemplum de materia, quod nos clarius explicabimus, sicut & solutionẽ; materia prima, si comparetur ad formam, & ad eius priuationem, prius natura est non habens formam, quam illam habens, & tamen cum sit prior natura utroque extremo, non sequitur, quod aliquando sit sine utroque; uel cum utroque simul, uel sit cum sola priuatione sine forma, sed quod esset sine forma si ei non daretur ab agente; & hoc non solum respectu priuationis, & formæ in communi, sed etiam respectu cuiuslibet particularis; nã materia quatenus est sub una forma, non est proprie priuata altera forma, quia non est apta esse, sub altera forma, cum nõ possint esse simul duæ formæ, sed in illo instanti in quo corrumpitur una forma, intelligitur materia apta nata ad aliam formam, quæ pro tunc est illi debita, & in eodem instanti illi datur; & nihilominus illius formæ priuatio in eodem instanti prius natura præcedit, non quod materia sit cum sola priuatione sine forma, sed quia sic esset, si ei non daretur forma. ita etiam in proposito anima est prior natura iustitia originali, siue gratia æquiualeat, & carentia iustitiæ quantum est ex parte subiecti, est prior natura gratia, non tamen ob id sequitur, quod simul sint carentia, & gratia, quia implicat, uel quod sit carentia sine gratia, cum fuerit data in instanti animationis; sed quod fuisset carentia, & peccatum, nisi fuisset data gratia in illo primo instanti.

Cum

An prioritas naturæ priuationis iustitiæ originalis ponat peccatum originale.

Argumenta
ex qua-
tuor capi-
tibus de-
ducenda.

Argumenta
ex scriptu-
ra contra-
riæ senten-
tiæ.

Responsio
ad aucto-
ritates
scripturæ.

Cum igitur istud privilegium immaculatæ conceptionis fue-
rit possibile, videndum nunc est an fuerit concessum B. Virgini.
Qui illud negant mouentur, primo ex sacris literis. 2. ex eo,
quod hoc privilegium (ut dicunt) derogat Christo. 3. ex au-
thoritate Ecclesiæ. 4. Sanctorum auctoritatibus; & nos eisdem
mediis contra illos agemus, illisq; respondendo, propria ipso-
rum argumenta in eos retorquebimus. Argumentantur primo
ex Sacra scriptura, Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc
mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors
pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ephes. 2. *Eximus natura filij
iræ, sicut, & ceteri.* Vbi Apostolus generaliter loquitur, & nul-
lum excludit. Ex quo etiam tria sumuntur argumenta. Primum,
quia negari non potest quin comedente Adam, omnes, & etiam
B. Virgo, in eo comederint, ergo si B. Virgo in eo comedit, in eo
comedendo peccauit. Secundum, quia peccatum originale
contrahitur eo ipso, quod sumus filii Adæ, uirili semine conce-
pti, sed B. Virgo fuit filia Adæ, uirili semine concepta. Tertium,
per peccatum, in omnes homines pertransiit mors, sed Beata
Virgo habuit pœnas communes naturæ humanæ, sitim, famem,
mortem; & non illas habuit, quia uoluntarie assumpsit, sicut Chri-
stus, sed ut à Deo in pœnam peccati inflictas, ergo contraxit pec-
catum, propter quod sunt inflictæ.

Ad auctoritates Sacra scripturæ respondetur, in Scriptura es-
se multas propositiones generales, quæ interpretationem, & ex-
ceptionem patiuntur, ut inter alios notarunt Fulg. lib. de Incarnat.
& gratia Iesu Christi, cap. 3. 1. & Photius Patriarcha Constantinopo-
litanus in responsione ad Amphilochem; & multa possemus
adducere exempla, sed adducemus duplicis generis, ad nostrum
propositum spectantia, nam quædam significant omnes pecca-
re actualiter, Hier. 6. *A minimo usque ad maximum omnes auari-
tiam sequuntur.* Psal. 13. & Rom. 3. *Omnes declinauerunt, simul inuti-
les facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, sepulchrum
patens, &c.* psal. 115. *Omnis homo mendax.* Eccl. 17. *Non est homo
iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Philip. 2. *Omnes,
quæ sua sunt querunt, non quæ Iesu Christi.* Et tamen certum est
B. Virginem nullum commisisse peccatum actuale, nec mortale,
nec ueniale. Ex altera parte solus Deus dicitur bonus, pius,
sanctus. Luc. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.*
Apoca. 15. *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?
quia solus pius es.* Mich. 7. *Pervit sanctus de terra, & reclusus in homi-
nibus non est.* Canit Ecclesia. *Tu solus Sanctus.* Mat. 24. *Magis*

ser

ser vester vnus est Christus. Et tamen certum est, etiam ex scri-
ptura multos esse bonos, pios, sanctos, & magistros; sed essentia
liter solus Deus; gratia uero, & participatione sunt multi. Sicut
igitur istæ propositiones generales declaratione & exceptione
patiuntur, ita etiã illæ. Et ut Thomistis doctrina. S. Th. respondeamus
S. Th. super c. 3. ad Rom. illud *Omnes declinauerunt, &c.* & si-
miles, tripliciter exponit. 1. ut referantur ad populū malorū,
inter quos nullus est iustus. Ista expositio est bona, sed non est
sufficiens, cū etiã scriptura dicat solū Deū esse bonū. 2. exponit,
ut intelligatur etiã de iustis, quia nullus est quantū ad omnia iu-
stus, quin aliquod peccatū habeat iuxta illud. Prou. 20. *Quis potest
dixisse mundum est cor meum?* Illa expositio licet sit bona, nō ta-
men est sufficiens, quia B. Virgo sanctificata, id dicere potuit;
fuit iusta in terra, fecit bonū, & nō peccauit, nec etiã uenialiter.
3. exponit, *ut sic intelligantur, Nullus est iustus in se, ex se ipso, sed
ex se quilibet est peccator, ex solo autem Deo habet iustitiam.* Exod. 34.
Nullus apud te, per se innocens est. Iuxta hanc S. Th. expositionē il-
læ auctoritates nō cōtrariantur immaculatæ B. Virginis Conce-
ptioni, quia si fuit immaculata, non hoc habuit à se, sed à Deo,
gratia præueniente, peculiari privilegio; & sic ad duo priora ar-
gumēta cōcedimus, quod B. Virgo, ut fuit in Adā, cū ipso comedit,
& in ipso peccauit, & ut concepta uirili semine fuit filia Adæ, &
natura sua debebat peccatū cōtrahere, & eius anima eo macula-
ri; sed Deus sua gratia præuenit, quā ei infudit in ipso instanti cō-
ceptionis, & animationis; Tertium argumentū nihil ualeat, nam
Christus mediator, ut inquit Scotus, potuit reconciliare aliquē
ut auferantur ab eo pœnæ sibi inutiles, & relinquatur in pœnis
sibi utilibus; originalis culpa non fuit utilis B. Virgini; pœnæ
autem temporales fuerunt utiles, quia in illis meruit; præ-
terea istę pœnæ sunt naturales, & peccatum fuit illarum causa si-
ne qua non, & ideo B. Virgo illas, ut naturales, & ad meritum, &
ut filio suo conformaretur pati debuit; at quia fomes est simpli-
citer effectus, & pœna peccati, est enim inordinata concupiscē-
tia sensualitatis repugnans rationi, inclinans ad malum, & diffi-
cultatem afferens ad bonum, illum non habuit. S. Thom. dicit,
quod fuit illi ligatus in sanctificatione, sed quando Christum
concepit fuit totaliter subtractus; melius tamen est, ut cum a-
liis dicamus, quod fuit ab ea totaliter sublatus uirtute gratiæ,
quam habuit in instanti suæ animationis, nam ut diximus, c. 15.
non est per se naturalis, sed pœna peccati, ad quod etiam fa-
cit auctoritas Epiphaniij, cap. 21. adducenda; Caruit etiam

Responsio
ad scriptu-
ram, & ad
argumen-
ta, ex do-
ctrina s.
Thomæ.

De fomi-
te.

ali-

aliquibus aliis effectibus peccati, nam sine dolore peperit, & eius corpus non uidit corruptionem.

Immaculata conceptio probatur ex sacra scriptura.

Videamus nos modo, cum ipsi non habeant nisi propositiones generales, an sint aliqua auctoritates Sacrae scripturae, quae significant hoc B. Virginis priuilegium. Scripturae noui testamenti totae uersantur in constituendo capite, & fundamento salutis nostrae Christo; Mariae uero, & Apostolorum uitam, magis attingunt, quam explicent; In ueteri testamento multae sunt umbrae, & figurae, & aliquae etiam auctoritates quibus illud probari potest, & ut relinquamus figuras. Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Sancti, & Ecclesia hanc auctoritatem applicant B. Virgini, ut de illa intelligatur, & non solum postquam concepit, & peperit filium Dei, sed etiam ampliata ad totum illius tempus; quae tamen de illa est falsa, si peccatum originale contraxit; nam licet possit fieri denominatio simplex, & uniuersalis, a forma accidentali totum ferè subiectum informante, licet minimum quid, in eo sit contrariae formae, quia parum pro nihilo reputatur; non tamen potest denominatio uniuersalis ita fieri, ut ei adiungatur negatio contrariae formae, nam minima illius particula in eo existente, propositio est falsa; V. g. de aethiopia simpliciter, & absolute dici potest, quod est totus niger, etiam si sit albus, secundum dentes; non tamen potest dici, aethiops est totus niger, & albedo non est in ipso; quia est in dentibus. Eodem modo cum B. Virgo fuerit sine ullo peccato mortali, & ueniali, etiam si fuisset per breuissimum tempus cum originali, potuisset de illa sponsus dicere. *Tota pulchra es amica mea*, non tamen potuisset uere subiungere, *& macula non est in te.* nam cum propositio uniuersalis dupliciter possit intelligi, uel pro maiori parte, uel ut nullam patiat exceptionem, explicatio illius propositionis uniuersalis, per negationem contrariae formae, pertinet ad ostendendum propositionem illam, nullam pati exceptionem, aut instantiam. & si illam patitur, propositio est falsa; & si negatio contrariae formae interpretetur etiam pro maiori parte non potest negari quin apud logicos propositio sit innepta, & petat principium, & quin sit falsa natura sua, sed excusatur a falsitate, ratione ignorantiae, aut improprietatis sic loquentis; absit autem, ut hoc de Deo, & de illius Sacra scriptura dicamus, in qua nullum est uerbum sine mysterio. Praeterea. Prou. 8. *Dominus possedit me in initio uiarum suarum.* Ecclesia, & Sancti applicant ista uerba B. Virgini, si autem fuisset concepta in peccato, fuisset filia irae, & in initio suae conceptionis per peccatum a diabolo, &

non

non a Deo possessa. Initium enim uiarum Dei in Beata Virgine, ex parte Virginis, est eius actualis conceptio, ex parte Dei, est aeterna ordinatio. Cant. 6. *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora confurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* Assimilatur B. Virgo aurorae, quia sponsus illius conceptionem considerat, quae progreditur ut aurora, nam aurora est primum initium diei, solem praecedens a quo incipit dies, conceptio B. Virginis assimilatur aurorae, natiuitas, ortui solis. aurora incipit a lumine, & semper in lumine crescit quousque coniungatur soli. Sponsus igitur considerans initium, & conceptionem sponsae, dicit quod progreditur, ut aurora confurgens, ita tamen, quod magis lucet, quam aurora, quia est pulchra ut luna, electa ut sol. Si est ut sol, quare comparatur aurorae, & lunae? assimilatur aurorae, quia consideratur (ut diximus) illius conceptio, & assimilatur lunae, quae facta est pro nocte, ad significandum, quod quamuis Virginis conceptio ueniat de nocte peccati, & natura sua, ut filia Adae, concepta seminum commixtione, debuerit esse sub nocte, & tenebris peccati, fuit tamen eius conceptio immaculata, & pulchra ut luna, electa ut sol, quia in instanti illius conceptionis. *In sole posuit tabernaculum suum.* Cant. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Vbi notanda est similitudo, quam facit Christus, primo seipsum comparat lilio, cui etiam comparat B. Virginem, ut ostendat, quod sicut ipse fuit sine ullo peccato, ita etiam fuit eius Mater, & sponsa; differenter tamen, nam B. Virgo est lilium inter spinas, quia a primis parentibus per peccatum spinosis est propagata, quod etiam ipsa, natura sua debuit contrahere, & illius spinas habere, & inter spinas debebat concipi, ut spina, sed gratia Christi, fuit ut lilium inter spinas; Christus autem est lilium conuallium, ubi non sunt spinas, quia a B. Virgine fuit conceptus de Spiritu sancto, & natura sua est sine peccato, & in peccabilis.

Quod priuilegium Immaculae B. Virginis Conceptionis non derogat Christo, & fuerit conueniens.

Cap. XIX.

Secundum caput ex quo elicienda est solutio, & ueritas huius difficultatis, est, uidere an hoc priuilegium immaculae conceptionis B. Virginis, derogat Christo, uel in illius gloriam, & honorem cedat, & fuerit decens, conueniens, & consentaneum; nam ut inquit Magnetes Ecclesiasticus auctor

Ex decencia elicienda est ueritas.

per-

peruētustus in libris Apologeticis contra Theostenem gentilem, Deus cum omnia possit, non tamen facit quatenus potest, sed quatenus uult, uult autem, quæ conueniunt, conueniunt; quæ decent, decent autem, quæ consentanea sunt; quod consonat Apostolo, qui Hebræ. 2. ostendit Christi passionem ex illius decentia, *Decuit enim* (inquit) *eum qui multos filios, &c.* & Athan. in lib. de Incarnat. explicans hunc locum, ostendit quod decuit Dei filium incarnari, & dicit, quod cum decuerit, est incarnatus, & mortuus; Ad exemplum igitur scripturæ, & sanctorum doctrinæ insistendo, ut sciamus an hoc priuilegium fuerit concessum, uidendum est an decuerit S: Tho. 3. sent. & 3. p. dicit, quod hoc priuilegium derogat dignitati Christi, tū quia sequeretur, quod B. Virgo non fuisset redempta à Christo, tū quia hoc fuit priuilegium solius Christi. & Capre. 3. sent. ex S. Thom. tres deducit rationes. Prima. Quicumque est redemptus per Christum, habuit peccatum, sed B. Virgo fuit redempta per Christum, ergo habuit peccatum, non actuale, ergo originale. Secunda. Nullius humanæ personæ conceptio, æquatur in puritate, & immunitate, & elongatione à peccato conceptioni filii Dei, sed Maria, fuit humana persona, ergo eius conceptio non æquatur in puritate, aut elongatione à peccato, conceptioni Christi, equaretur autem si nunquam habuisset peccatum originale. Tertia. Singulare priuilegium filii Dei, non conuenit alteri; sed concipi in gratia, & sanctitate, est singulare priuilegium filii Dei, ergo nulli alteri competit. Ista argumenta sunt adeo infirma, ut nulla indigeant solutione, cum omnibus per se pateat. Et Durandus, & Caietanus, qui tenent B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali, ipsimet uidentes illorum infirmitatem, illa soluunt; adducam eorum uerba, Dur. 3. f. d. 3. q. 1. inquit. *Puto tamen, quod si B. Virgo peccatum originale non contraxisset, potuisset tamen uere dici redempta à Deo, pro eo quod in radice sua ex natura sua conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, nisi fuisset à Deo præseruata.* Caiet. 3. p. q. 27. ar. 2. inquit. *Personam ipsam indigere saluari à peccato, est liberari à peccato, quod habet, uel haberet, oportet. n. aut, quod habeat peccatum, uel quod sit in periculo, aut procintu habendi peccatum, quisquis eget saluari à peccato, si enim peccatum non habet, nec est in periculo habendi peccatum, saluari à peccato non indiget.* hæc ille Conquæritur Ambrosius Catharinus ex commētariis Caietani impræsis Lugduni, & ex libris Robrti Olcot. nouiter impræsis fuisse à quibusdam temerariis sublata quædam alia uerba fauentia immaculatæ Conceptioni. Ex quibus patet, quod B. Virgo

Rationes quibus S. Tho. probat, quod non decuerit.

solutio ex Durando, & Caietano.

B. Virgo fuit redempta, etiam si nõ contraxerit peccatum, quia illud ex natura suæ conceptionis contraxisset, si non fuisset redempta; & quod consequenter in hoc non equatur Christo, nec habuit priuilegiū Christi; nam priuilegiū Christi fuit, quod ita nõ peccauerit, ut natura sua peccare non potuerit, & non indigerit redemptore. Nec obstat, quod dicit Zozimus Papa in Epistola ad omnes Episcopos aduersus Pelagianos, ut refert S. August. in epist. ad Optatum. *Nullus nisi, qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui uere per peccatum fuerit captiuus.* nam loquitur de lege communi redemptorum, & de communi redemptione; & cum loqueretur contra pelagianos debebat generaliter loqui, ut dicemus, cap. 22.

Cum ergo sit manifestū, euidenti etiā ratione, eorū qui cōtrariū tenent, quod hoc priuilegium non derogat dignitati Christi; uidendum est an pertineat ad maiorem Christi gloriā, & honorē, & hac ratione fuerit concessū; & probatur hac ratione fuisse cōcedendum, & esse concessum, Primo ratione Scoti, 3. f. d. 3. quia Christus fuit perfectissimus redemptor, mediator, & recōciliator, ergo debuit habere perfectissimū redimendi, & mediandi gradum, respectu alicuius personæ, quā redimit, & pro qua mediat; sed respectu nullius personæ habuit excellentiorē gradum quam respectu Mariæ, ergo iuxta perfectissimū redimendi illam præseruauit à peccato, aliās tanquam perfectissimus redemptor, non habuisset perfectissimū redimendi gradum. Pro qua notandum est, quod duo sunt modi redimendi, saluandi, sanandi, & sanctificandi, primus, & perfectissimus, præueniendo, ut ille, qui certissimè cadere, infirmari, & inquinari debebat, non cadat, nec pereat, non infirmetur, nec inquinetur; alter est illum postquam periit, infirmatus, & inquinatus est, resurgere, liberare, sanare, & sanctificare; exemplum sit de illo, qui uidet duos debere vulnerari, uel incedere per uiam, in qua sunt latrones, qui illos captiuos retinebunt, si unum adiuuaret, defenderet, ac præseruaret, ne vulneretur; aut ne capiatur, per aliam duceret uiam, alium uero; dimitteret vulnerari, uel capi, sed postea eum sanaret, uel liberaret; iste profecto diceretur utriusque saluator, sed prioris, melioris, & perfectioris modi, quam secundi, quia maius beneficium est præseruare à malo, quam dimittere cadere in malum, & postea ab eo liberare. Christus hoc posteriori modo generaliter omnes saluauit, & saluat, post contractum, s. peccatum originale, & illius præuentio est solum respectu mortalium, & etiam respectu uenialium; si autē non

Quod fuerit decens probatur primo rationibus scoti.

saluauit B. Virginem illam præueniendo, ut non cōtraheret peccatum originale, illi defuit perfectissimus redimēdi gradus, qui ut perfectissimo redemptori illi debetur. Quod autē illi debeatur, Scotus probat primo, per cōparationem ad Deum cui recōciliat, quia nullus summē, & perfectissime placat aliquē, pro offensa alicuius contrahenda, nisi possit præuenire ne illi offendatur, nam si iam offensum placat, ut remittat, non perfectissime placat, sed Deus non offenditur animæ per motum interiorem in ipsa, sed tantum propter culpam in ipsa anima, ergo Christus non placat perfectissime Trinitatē pro culpa contrahenda à filiis Adæ, nisi præueniat, ut alicui ex filiis Adæ nō offendatur, & per consequens anima illius non habeat culpā originālē. 2. probat, per cōparationē ad malū, à quo liberat, quia perfectissimus mediator, meretur a motionē omnis pœnæ ab eo quē recōciliat, sed culpa originalis est maior pœna, quam ipsa carentia visionis diuinæ, ut præsupponit à se probatū, ergo si perfectissime recōciliat, istam pœnam grauissimam, meruit ab aliquo auferri, & non nisi à Matre; Præterea, quia Christus immediatius uidetur fuisse reparator, & reconciliator noster à peccato originali, quā ab actuali, quia necessitas Incarnationis, passionis, & c. assignatur cōmuniter ex peccato originali; sed supponitur cōmuniter quod ipse fuit ita perfectus mediator, respectu alicuius personæ, puta B. Virginis, quæ eam præseruauit ab omni peccato actuali, ergo similiter à peccato originali. 3. probat per cōparationem ad obligationem personæ, quā reconciliat; quia persona recōciliata non summē obligatur reconciliatori, nisi ab ipso summū bonum habeat, quod potest per mediatorem haberi; sed ista innocentia, s. præseruatio à culpa contrahenda, potest haberi per mediatorem, ergo nulla persona summe tenebitur Christo, ut mediatorem, si nullam præseruauit à peccato originali.

Secundo probatur, quod hoc priuilegium debuerit concedi B. Virgini, ex eo, quod fuit mater Christi; quod si probauerimus, penitus ruit fundamentum contrarium tenentium, quod scilicet, licet potuerit concedi, nō debuit: rationes autē quibus probant nō debuisse concedi, nullas esse ostendimus; sed modo etiam magis adhuc probabimus, quod ei concedi debuerit.

Pro quo supponimus unum fundamentum certissimum, & de fide; quod licet Christus, cum propter peccatores uenerit, uoluerit descendere ex peccatoribus, & maximis etiā peccatoribus, B. tamen Virgo, illius Mater, sicut debuit esse, ita etiam fuit sancta, & non ut alij, sed gratia plena; & cū de hoc habeamus te-

stimo-

Amonium Angelicum, nō immorabor in sanctorū auctoritatibus. Iuxta hoc fundamentum S. Th. 3. p. q. 27. ar. 4. probat, quod B. Virgo nullum unquam commiserit peccatū actuale, nec mortale, nec ueniale, cuius uerba sunt. *Deus illos quos ad aliquid eligit, ita preparat, & disponit, ut ad id ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundum illud 2. cor. 3. idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Beata autem Virgo fuit electa diuinitus, ut esset mater Dei, & ideo non est dubitandum, quod Deus per suam gratiam, eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dicit, inuenisti gratiam apud Deum, ecce concipies, & c. Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando, tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Pro. 17. Gloria filiorum patres eorum; unde, & per oppositum, ignominia matris ad filium redundasset: Tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit, dicitur autem 2. Cor. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? Tum etiam quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitauit, non solum in anima, sed etiam in utero, dicitur autem, Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est, quod Beata Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec ueniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Sed omnes istæ rationes Sancti Thomæ probant etiam, quod Beata Virgo, ut esset idonea Christi mater, propter Christi honorem, debuit carere originali culpa, ut per se patet intuitu. S. Anselmus in lib. de Conceptu Virg. cap. 18. inquit, *Quia decebat, ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret, decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus pater, unicum filium suum quem de corde suo, æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, & Virginis filius; & quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus uolebat, & operaturus erat, ut conciperetur, & nasceretur ille de quo procedebat. Si tanquam Dei mater debuit ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi, non debuit contrahere peccatum originale, nam si illud contraxisset, maior puritas sub Deo intelligeretur. Et nihil prolus ualet responsio Sancti Thomæ, quod si illud non contraxisset, non esset redempta, & compararetur filio; nam Christi gratia præueniente, illud non contraxit, & B. Virginis conceptio est immaculata, non natura sua, ut illa Christi, sed Christi gratia, & redemptione. S. Aug. lib. de Natura, & Gratia, c. 26. dicit**

Kx 3 Nub

Rationes
s. Tho. de
actualibus.

Quod eadem rationes probent etiā de originali. Probatur decentia ex Anselmo, & Augustino.

aliis rationibus probatur.

Fundamentum certissimum.

nullum fuisse, nec esse sine peccato, & non solum illi quorū peccata Scriptura commemorat, sed nec etiam illi fuerunt, qui nō modo non peccasse, uerū etiā iuste uixisse à scriptura referuntur, ex qua multos adducit, usq; ad B. Virginē, de qua subiūgit. *Ipsā etiā Domini, ac saluatoris nostri matrem; de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur habere uolo quæstionem, Vnde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad uincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullā habuisse peccatum. Haec igitur Virgine excepta, si omnes illos sanctos, & sanctas, &c.* Respondent, quod S. Aug. loquitur ibi de peccatis actualibus. Sed duo hic consideranda sunt; primū, quod S. Aug. ibi disputat contra Pelagianos, sicut & in multis aliis locis, qui dicebāt pueros nullum habere ante baptismum originale peccatum, & uitam iustorū in hoc seculo nullū habere peccatū, quasi ille qui semel iustus est, iam amplius peccare non possit. Et S. Aug. generaliter contra illos dicit omnes quantūuis iustos peccasse, & in hac uita aliquando peccare. & licet ibi præcipue loquatur de actualibus de quibus exēpla adducit, sicut & alibi cōtra eosdē præcipue loquitur de originali; tamen ibi etiā generaliter loquitur, & in principio libri, c. 1. proponit quæstionē generalem, & dicit ex Apost. omnes esse peccatores, & egere gratiā Christi, & c. 8. ostendit pueros sine baptismo decedentes, damnari propter peccatum originale, & in illo, c. 26. concludit generaliter omnes s̄ctos fuisse in peccato, sub quibus proculdubio intelliguntur etiā pueri mortui cū sacramēto baptismi, nā etiā de istis instituta fuit quæstio, & tractatum, in d. c. 8. cum ergo generaliter cōclusisset omnes sanctos in peccato fuisse, B. Virginē excipit de qua nullam prorsus uult haberi quæstionē, cū de peccatis agitur. de quibus peccatis loquitur semper S. Aug. contra Pelagianos, etiā in illo libro, nō ne de originali, & de actualibus? nūquid sub illa generalitate, qua dicit omnes sanctos si interrogari possent, dicturos, si dixerimus, quia peccatū in hac uita nō habuimus ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis nō est, nūquid inquā fauens pelagianis, excludit pueros? Quid etiā sibi uult illud [prorsus] cum dicit, *cum de peccatis agitur nullam prorsus uolo de illa haberi quæstionem?* nisi, q̄ omne peccatum ab ea excludit, etiam originale, non solum ui uniuersalis negationis, sed etiam quia de illo quoque in ea quæstione contra Pelagianos actum fuit. Secundo consideranda est ratio S. Augustini, propter quā nullam prorsus uult haberi de illa quæstionem, cū de peccatis agitur; propter, scilicet, honorē Domini, quia est mater filij Dei,

ob

ob quam etiam rationem, non debuit contrahere (ut diximus) peccatum originale, sed ut inquit Anselmus, ea puritate nitere qua maior sub Deo nequit intelligi.

Præterea illi omnes contrariæ sententiæ, dicunt B. Virginē non commisisse aliquod peccatum ueniale; ab eis peto, quare cū Sacra scriptura, sicut generaliter dicit omnes cōtrahere peccatū originale, ita etiā dicat omnes adultos actualiter peccare, & tāta energia sermonis, ut nullū excipiendū esse significet, Beatā Virginē excipiunt quoad omnia actualia, etiā uenialia, & illā nolunt excipi, quoad originale? Nō debuit habere inquit S. Th. aliquod etiam peccatum ueniale. primo, ut esset idonea mater Christi. 2. quia honor, & ignominia matris redundat in filium. 3. quia cū Dei filius ex ea carnē assumpserit, quæ cōuentio Christi ad Belial? 4. quia si in maleuolā animam non introibit sapiētia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, non debuit peccare illa in qua filius Dei, qui est Dei sapientia, singulari modo habitauit, non solum in anima, sed etiam in utero. Si propter istas rationes non obstantibus tot generalibus propositionibus in contrarium, excipienda est, & dicendum, quod fuit præseruata ab omnibus peccatis uenialibus; uidendum est an propter easdem rationes debuerit multo magis præseruari à peccato originali. Et dicimus, quod multo magis debuit præseruari, & fuit præseruata ab originali, quia peccatum originale est grauius non solum quocunque ueniali, sed etiam omnibus simul; nam peccatum originale repugnat gratiæ, ut cum illa esse non possit, facit hominem Dei inimicum, filium iræ, & perditionis, seruum diaboli, & illi debetur pœna æterna. nihil autem horum dici potest de peccatis uenialibus; Si ergo Dei filius propter suum honorem præseruauit matrem suam à peccatis uenialibus, quæ sunt longe minora mala, multo magis illam debuit præseruare ab originali, nā lōge maius est esse in peccato originali, per unū instans, quā in quantiscunque uenialibus per quantumcumque temporis spatium. Quis honor Matris, & sp̄s fæ, quæ gloria filij, & sponsi, si uel per unum instans fuit in peccato originali? perinde. n. de illa, & de illius filio, & sponso Christo Iesu, dicere possemus ac si de aliqua, uel aliquo diceretur, hic habet Matrē sapientissimā, quæ semel tantum fuit stulta, & sp̄sam purissimam, quæ semel tantum fuit stuprata, & cum illam præseruare potuerit, semel tantum illam constuprari permisit; de Christo (inquam) dici posset, quod ualde matrem suam dilexit, nam semel tantum mortali uulnere originalis peccati eam.

Idem præbatur ex doctrina S. Tho.

Quod s. August. loquatur etiam de originali.

Kx 3 per-

percuti passus est, & tantæ fuit erga illam pietatis, ut postquam in sterquilinum peccati cadere permisit, illam statim liberauit cum præuenire posset ne caderet. Et confirmatur quia de Christo dicitur, quod ipse tanquam omnipotens fecit Matrem suam, ex qua natus est, ps. 86. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* hoc quidem dicitur, ut ostendatur Christi diuinitas, sed cum multipliciter in sacris literis ostensum sit, quod Christus est filius Dei, ex quo sequitur, quod ipse Matrem suam fecerit, non solum ad ostendendam Christi diuinitatem de illo dicitur, quod Matrem suam fecit, sed etiam, ut ostendatur, quod illam ab omni peccato præseruauit, & gratia, & uirtutibus repleuit, & illa puritate decorauit, quæ sub Deo, (ut inquit Ansel.) non potest maior intelligi, cum ratio poscat, natura doceat, & ipse præceperit filios honorare parentes. hoc certe quilibet faceret si posset, cur non fecit Dei filius, cum posset, & debuerit, uel saltem non sit ratio, etiam apparens, ob quam non debuerit. Et confirmatur, quia hoc illi concedendo, non fecisset, quid nouum, & inusitatum, nam satis est, quod concedat id, quod concessit Angelis, & primis nostris parentibus, de quibus dicit S. Tho. 1. p. quod fuerunt creati in gratia, iuxta illud Aug. 12. de Cinit. Dei, Deus erat simul in eis condens naturam, & largiens gratiam; non uidetur autem conueniens dicere, quod Deus denegauerit Animæ B. Virginis in instanti creationis illius, gratiam quam Angelis, & primis parentibus in instanti creationis ipsorum eis concessit; sed multo magis debuit illi cõcedi, tum quia Deo carior fuit, cum Matrem sibi elegerit, tum etiam, quia magis indigebat gratia, ut præseruaretur à peccato. Confirmatur etiam, quia cum modus communis remittendi peccatum originale sit post natiuitatem per Sacramentum, quibusdam fuit per priuilegium remissum in utero matris, quod priuilegium, cum non fuerit singulare, sed pluribus concessum, ut Hieremiæ, & Ioa. Bapt. uidetur innuere priuilegium Matris, quod debuit esse singulare per præseruationem, citius enim, & tardius, nõ faciunt priuilegium alterius ordinis, ut sic quibusdam ueluti continuatis gradibus ascendatur ad summam, & essentialem puritatem, & essentiali puritati, & bonitati conueniant omnes sanctificandi gradus, inter quos fuit iste præcipuus soli Matri referuatus per præseruationem, quo remoto, non saluatur hic graduum ordo, quem nobis innuit diuina sapientia. Concessit igitur hanc gratiam Matri suæ, & illam præuenit in ipso eius introitu, & à peccato liberauit, iuxta illud, ps. 120. *Dominus custodit te ab omni*

malo,

malo, custodiat animam tuam Dominus, Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc, nunc, & usque in seculum. Custodiuit illius introitum in mundum, ut esset sine peccato, & illius exitum ex hoc mundo, ut corpus eius non uideret corruptionem, sed in cælum, animæ, soluto debito naturæ, reunitum, assumeretur.

Quod B. Virgo fuerit concepta sine peccato originali, probatur auctoritate Romanæ Ecclesiæ.

Cap. XX.

Tertio probatur auctoritate Romanæ Ecclesiæ, ad quam præcipui auctores contrariæ sententiæ maxime, imo solum respexerunt; & nos etiam respicimus. Tempore S. Bernardi Ecclesia Romana non celebrabat festum Conceptionis, & nec etiam tempore S. Tho. & S. Bonau. sed celebrabatur in quibusdam Ecclesiis particularibus, ideo illi S. C. moti auctoritate Romanæ Ecclesiæ, quæ festum illud non celebrabat, dixerunt B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali; quæ sententia fuit tunc ferè communis, quia habebatur ratio communis omnium conceptionis, & non priuilegii, & multa fuerunt antiquis temporibus, uel prorsus incognita, uel obscura, & non satis cognita, quæ posteris, non sine Dei consilio, diligentius excutienda, & clarius explicanda relinquebantur. Non enim homini tantum, sed etiam Ecclesiæ Christi, tempus auget sapientiam, & Spiritus sanctus (ut inquit Tertul. lib. de Velandis Virg.) aliam, atque aliam doctrinæ lucem omnibus seculis patefecit, ut eadem fide manente, in cognitione ueritatis, sicut, & in reliquis uirtutibus proficiamus; & Greg. hom. 26. lib. 2. super Ezech. dicit scientiam spiritualium patrum, per incrementa temporum crescere; & probat ex illo Dan. 12. *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia,* & concludit, quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis aternæ sapientiæ aditus largius aperitur. Gerson in fine lib. de Oratione, monet in his, quæ ad inflammandum affectum faciunt, ueteres patres, efficacius, quam posteriores theologos docere, ac mouere; hos autem in his, quæ ad intellectum erudiendum, & ad controuersias, & quæstiones de fide iudicandas pertinent, acutius cernere, certiusq; ac limatius ueteribus illis pronuciare. Quod in præsentis ueritate, immaculatæ conceptionis B. Virginis uidemus, quæ prius erat obscura nunc omnibus satis manifesta, & Romana Ecclesia illius festum celebrat, ita tamen, quod contrariam sen-

Ad solam Romanam Ecclesiam respexerunt sancti contrariæ sententiæ.

Eadem fide manente, Ecclesia semper magis illustratur.

Quod Ecclesia tenet immaculatam conceptionem licet noluerit cõdemnare contrariam sententiam.

Kk 4 ten-

tentiam, & contrarium tenentes, condemnare noluit. quid autem teneat, & quid determinauerit habetur, lib. 3. extrau. com. de Reliquiis, & ueneratione sanct. c. 1. & 2. ex Sixto 4. In c. 1. quod incipit Cum præexcellsa. dicitur. *Dignum, quin potius debitum reputamus, uniuersos Christi fideles, ut omnipotenti Deo, pro cuius prouidentia, & c. de ipsius immaculatæ Virginis mira conceptione, gratias, & laudes referant, & instituta propterea in Dei Ecclesia Missas, & alia diuina officia dicant, & illis intersint, indulgentijs, & peccatorum remissionibus inuitare, ut ex inde fiant eiusdem Virginis meritis, & intercessione diuinæ gratiæ aptiores, & c.* Et in cap. 2. quod incipit, Graue nimis. dicitur. *Cum Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione, publice festum solemniter celebret, & speciale ac proprium, super hoc officium ordinauerit; nonnulli, & c. Nos igitur, & c. huiusmodi assertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent, aut tenerent, eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe, pollutos fore, uel mortaliter peccare; aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurere, ut pote falsas, & erroneas, & à ueritate penitus alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, & damnamus, & c. qui de cetero, & c. præsumpserint affirmare, huiusmodi sic per nos improbatas, & damnatas assertiones ueras esse, aut dictos libros pro ueris legere, tenere uel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio quam à Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutio- nis beneficium obtinere. Item, & c. Simili præne ac censuræ subiicientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, uide- licet Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse concep- tam, hæresis crimen, uel peccatum incurere mortale, cum nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica sede, decisum. Circa hanc Sedis Apostolicæ determinationem tria sunt notanda. Primum, quod non condemnat contrariam sententiam, ut hæreticam, nec illam te- nentes, ut hæreticos, & ut mortaliter peccantes; & merito exco- municat id asserentes, quos. n. ipsa, ad quam solâ spectat, non cõ- demnat, non debet particularis condemnare, Secundum, quod Romana Ecclesia tenet B. Virginem conceptam fuisse sine pec- cato originali; & quod non habet amplius locum illa S. Tho. in- terpretatio, qua festum Conceptionis in quibusdam particu- laribus Ecclesijs tunc celebratû, interpretabatur sanctificatio-*

Tria no-
tanda.

Nō potest
amplius
intelligi
cõceptio-
nis nomi-
ne sancti-
ficatio.

nis

nis, post cõtractû peccatû, ut diceretur etiã Cõceptionis, quia ista-
tim post cõceptionem fuit sanctificata, nã Romana Ecclesia utram-
que sententiam distinguit, & Festû Cõceptionis intelligit, quia
fuit immaculata, & sine peccato, & se ita intelligere declarat.

Quod autem Romana Ecclesia teneat immaculatã Virginis
Conceptionem, multipliciter probatur, primo, quia illius festû
solëniter celebrat, d. c. 2. *Cum sancta Romana Ecclesia de intemeratæ
semperque Virginis Mariæ Conceptione, publice festum celebret.* 2. quia
Ecclesias, & Altaria in honorem, & sub inuocatione Immacula-
tæ illius Conceptionis, erigit, & consecrat, ut ad sensû patet. 3.
quia Societates, & Cõfraternitates sub nomine Immaculatæ Cõ-
ceptionis approbat, & confirmat. 4. quia propriû officiû, & pro-
priã Missã, ordinauit, & approbavit, & speciale ac proprium super
hoc officiû ordinauerit. Et Amb. Cathar. in tractatu de Cõceptione
põderãdo orationem, quã facit Ecclesia in proprio Officio, & Mis-
sa, dicit, quod nisi B. Virgo sit concepta sine peccato, Ecclesia dice-
ret Deo duo mendacia, & diram cõtra se ad Deû porrigeret im-
precationem, sic. n. orat. *Deus qui per immaculatã Virginis Conceptionem
dignum filio tuo habitaculum præparasti. Ecce mendaciû: Præsta qua
sumus, ut sicut illam ab omni labe præseruasti. En iterum mendaciû:
ita nos quoque mundos ad te peruenire concedas.* Ecce omnino im-
precatio dira, nam si illa non fuit ab omni labe præseruata, &
nos tales ad Deum peruenire oramus, iam non oramus, ut mun-
di, sed ut immûdi ad Deû perueniamus. Ecclesia autem nec deter-
minãdo, nec orãdo mētiri potest, omne. n. mēdaciû in cultu dei,
est perniciosû. hæc ille. 5. quia Põtifces indulgentias cõcedunt
Ecclesijs, Altaribus, Confraternitatibus Conceptionis, audien-
tibus illius officiû; illas concessit Sixtus 4. in d. c. cum præexcel-
sa, Cõcesserunt postea, & successiue cõcedunt fere omnes Sûmi
Pontifices. 6. Omnes Christi fideles non solû, ut dignû, sed etiã
ut ex officio debitû, hortatur, inuitat, & indulgentijs, & priuile-
gijs allicit ad celebrandum Immaculatæ Virginis Cõceptionem,
d. c. 1. *Dignum, quin potius debitum reputamus, uniuersos Christi fi-
deles, ut omnipotenti Deo, & c. de ipsius immaculatæ Virginis Conce-
ptione, & c. indulgentijs, & peccatorum remissionibus inuitare, & c.
Missæ, & officii huiusmodi institutionem in die festiuitatis Conceptionis
eiusdem Virginis Mariæ, ac per octauas dies deuote celebrauerint,
& dixerint, aut illis horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint
eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem consequan-
tur, quam iuxta, & c. consequuntur illi, qui missam, & horas canonicas in
festo corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi à primis & esperis,
& per*

Septemra-
tionibus
probatur
Romanã
Ecclesiã
tenere im-
maculatã
Cõceptio-
nem.

per illius octavas, &c. dicunt aut eis intersunt. Et ut citauimus ex Nau. & Couar. p. p. lib. 4. cap. 3. in multis locis fuit concessum priuilegium, celebrandi diuina tempore interdicti in festo, & octaua Immaculatæ Conceptionis. 7. ad excitandos omnes Christi fideles, ad celebrandam hanc festiuitatem, vult de illa ad populum sermonem haberi, quod sequitur ex dictis, & patet expressè in d. cap. 2. *aut huiusmodi officium conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurre- re, &c.* Est tertio notandum scandalosum nunc esse, populo prædicare, eisq; suadere B. Virginis Conceptionem non fuisse immaculatam, sed cum peccato ab eadem Virgine contracto. & sequitur ex secundo notabili.

Tertium
notandū.

*Quod pro contraria sententia, nulla sit antiquorum auctori-
tas, sed omnes sint pro immaculata Conce-
ptione. Cap. XXI.*

Quarto probatur auctoritate Sanctorum, Doctorum, & aliorum, Caietanus, 3. p. q. 27. ar. 2. & in suo tractatu de Conceptione, minus modeste loquens, dicit, quod opinio de Immaculata Conceptione, hodie mulieribus vulgo affectu que nonnullorum pio, multorumque autem industria ac quæstu cogentibus, præualuit doctrine Sanctorum, & quod pro ea nullus Sanctus, nullus illustis Doctor antiquus assertur, nisi fortè à falsariis, & quod sunt adducendæ auctoritates expressè dicentes B. Virginem fuisse conceptam sine peccato, sicut ipse adduxit Sanctos expressè dicentes, eam fuisse conceptam in peccato. Pepercit illi Deus, parcamus & nos, sed dicimus, quod consideratis auctoritatibus, quas ipse adducit, tantum abest, quod concludant, quod nostram confirmant sententiam. Reducuntur omnes ad tria dicta. Primum est eorum, qui dicunt B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali; Et isti sunt sex Sancti, Anselmus, Bernardus, Erardus Episcopus, & Martir, S. Tho. Bonau. & Vincentius. Anselmi auctoritatem non citat integram, sic enim dicit, lib. 2. Cur Deus homo, cap. 16. *Nam licet ipsa hominis eiusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectatione peccato, Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater eius, (sequitur) & cum originali peccato nata est.* Sicut manifeste errauit in hoc, quod dicit illam esse natam cum peccato originali, ita errauit in eo, quod dixit fuisse conceptam in peccato. & quod

Citati pro
contraria
sententia
ad tria di-
cta redu-
cuntur.

Primū san-
ctorum di-
ctum, sed
male cita-
tum osten-
ditur.

quod contrarium tenuerit, uidimus superius, & paulo post uidebimus. Citat Bernardum sic dicentem in Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses. *Beata Virgo post conceptum, in utero iam existens, sanctificationem accepisse creditur, quæ excluso peccato sanctam fecerit natiuitatem, non conceptionem.* Sed non dicit, quod dubitative loquitur; reprehendit enim Canonicos Lugdunenses, qui cum Ecclesia Romana non celebraret festum Conceptionis, illi tunc propria auctoritate, non consulto Pontifice illud celebrare cæperunt, in quo erant reprehensione digni, illius uerba sūt. *Miramur satis, quod uisum fuerit hoc tempore quibusdam uostrum, uoluisse mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, &c.* Nam si sic uidebatur, consuetudo erat prius Apostolicæ sedis auctoritas. Et cum uiderit S. Bernardus Romanam Ecclesiam non celebrare tunc festum Conceptionis, putans id esse, quia fuit concepta in peccato, quærit causam quare nõ fuerit concepta sine peccato, sed uidens id non esse certum, dubitative loquitur, & seipsum correctioni subdit, dicens. *Quæ autē dixi absque præiudicio, sane dicta sint, sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cetera, quæ eiusmodi sunt uniuersa reseruo, ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.* hæc non adduxit Caietanus, ex quo sequitur, quod S. Bernardus pro nobis potius facit, & nunc contrarium nobiscum sentiret, cum Ecclesia Romana celebret illud festum. & nunc de Conceptione diceret, sicut ibidem de Natiuitate. *Ortum Virginis didici in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere festiuum, atq; sanctum, Quod ab illa accepi, securus, & teneo, & trado.* Citat S. Erardum Episcopum, & Martirem sic dicentem in sermone Natiuitatis B. Virginis. *O felix puella, quæ concepta in peccato purificatur ab omni peccato, & filium concepit sine peccato.* Non uidi in fonte, & aliæ auctoritates non fideliter adductæ, faciunt me dubitare de ista, si hoc assertiue dicit, unicam pro se habebunt auctoritatem. & si iste Sanctus fuit post S. Bernardum, credendum est, quod si id dixit, motus auctoritate S. Bernardi dixerit, & idem cum ipso senserit, dubitative. f. & non simpliciter, eiisdem rationibus motus. Citat S. Tho. 3. p. q. 27. ar. 2. sic dicentem, *B. Virgo Mariâ, quia fuit concepta ex commixtione parentum, originale peccatum contraxit.* Sed non citat, quod ibidem subiungit in confirmationem, Romanam. f. Ecclesiam non celebrare Conceptionem B. Virginis. Qui etiam S. Tho. 1. sent. dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. confirmans prædictam auctoritatem Anselmi, de puritate B. Virginis, qua sub Deo non possit intelligi maior, dicit. *Puritas inten-*
ditur

ditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit, fuit tamen sub Deo in quantum erat in potentia ad peccandum. Citatur communiter, quod hoc idem dicat in expositione orationis Angelicæ, sed in impressione, quæ habeo contrarium dicit. in sententiis autem habetur ad verbum, ut citauit, & sic etiam citatur à Capre. 3. sent. d. 3. in fine, & à Caiet. in d. tractatu, sed Capreolus dicit, quod mutauit sententiam, (non tamen in melius) Caietanus uero dicit, quod debent citari auctoritates sanctorum antiquorum, & hoc idem nos illi dicimus de S. Vincentio, & etiam, quod ut Thomista sine ulla discussione, id tenet, quia sic tenuit S. Tho. in aliquibus locis; & quod non firmiter etiam in illis locis id teneat, sicut nec S. Bonau. patet, quia præcipuum illorum fundamentum, moti auctoritate S. Bernardi, est, quia Ecclesia Romana, tunc non celebrabat hoc festum, ex quo sequitur, quod nunc tenerent immaculatam Conceptionem, cum illam celebret Romana Ecclesia. Citat etiam Scotum, Franciscum Mairorem, & alios Scotistas contrariæ sententiæ, dubitatiue loquentes; sed debuit ipse ex illis discere modestiam, & non ita firmiter suæ sententiæ inhærere, & immodeste loqui, præsertim cum scripserit post Bullas Sixti 4. & postquam ab Ecclesia Romana celebratur festum, & officium Immaculatæ Conceptionis.

Ad alios respondeatur id, quod Caiet. dixit de S. Tho.

Ad scotistas.

secundum sanctorum dictum, non est contra nos.

Secundum dictum ad quod reducuntur aliquæ Sanctorum auctoritates quas pro se adducit, est, quia dicunt, quod Christus sumpsit naturam de peccatrice, & de carne obnoxia peccato. Citat S. Amb. in ps. 118. vers. 3. sic dicentem, *Venit Dominus Iesus & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam uirtutis exercuit.* Male citat, nam sic dicit. *Venit Dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia, militiam uirtutis exercuit.* Loquitur de carne Christi, quam dicit peccato obnoxiam, quia suscepit in se peccata omnium nostrum, ut illa per suam passionem deleteret, quæ ratione dicitur, 2. cor. 5. quod pro nobis peccatum fecit. Sed non citat eundem S. Amb. ibidem, in illud ultimi uers. *Quare seruum tuum, sic dicentem, Maria Virgo, per gratiam ab omni integra labe peccati.* Citat Chrysostomum in Matth. dicentem. *Quamuis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit.* Non citat ubi, & ego nolui ob id legere integrum tomum, credo illi, & dato etiam, quod S. Amb. dixisset, ut ipse citat, uerum dixerunt & nihil contra nos, non solum quia Christus cum propter pec-

catores uenerit, noluit ex peccatoribus descendere, & dici filius David; sed etiã quia ipsamet B. Virgo, ut filia Adæ, natura sua fuit it obnoxia peccato, peccatū cōtrahere debebat, & natura sua fuit peccatrix, nã ex gratia, & priuilegio, & nō ex natura fuit sãcta, & immaculata. & hoc dicit S. Euseb. Emislenus, quē ipse ex 2. serm. Natiu. Dom. pro se sic male citat. *A peccati originalis nexu, nullus immunis extitit, nec ipsa etiã genetrix Redemptoris.* hãc auctoritatē ibi unde citatur nō inueni, sed Canisius illã sic citat. *A peccati ueteris nexu, p se nō est immunis, nec ipsa genetrix Redemptoris, solus ille, &c.* Illud [p se] quod fuit omisū significat ex natura, & nō ex gratia quo modo solus Christus fuit sine peccato, & peccare non potuit.

Tertium dictū sub quo cōpræhēduntur alii Sancti; quia multi dicunt B. Virginē fuisse in utero sanctificatã, à contagione originalis culpæ. & sic citat Remigiū, Maximū, Bedã; & S. Bernardinū quod est uerissimum, sed per præseruationē à macula, quã cōtraxisset, nisi gratia præuenta fuisset. quod etiã patet ex ipsorum uerbis, quę ipse adducit, prout ipse adducit, nolui. n. uidere, an fuerit in eorū citatione aliquid omisū, ut in ceteris, cum ipsa sola sufficiant. S. Remigius in Psal. Deus Deus meus respice, dicit. *B. Virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata, ita ut ex ea conciperetur sine peccato homo Christus Iesus.* Nūquid habuit etiã peccata uenialia, & mortalia? nã dicit, ab omni macula. Beda in hom. super missus est dicit, *Spiritus sanctus superueniens in Virginē, mentem eius ab omni uitiorum sorde, castificauit, & ab omni æstu concupiscentiæ carnalis cor eius temperauit, atque mundauit.* Loquitur Beda de illo descensu Spiritus sancti, quãdo ipsa cōcepit, de quo Angelus. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Si illius mentē ab omni uitiorum sorde castificauit, & cor ab omni æstu cōcupiscentiæ carnalis tēperauit, atque mundauit, ergo tūc quãdo Angelus illã salutauit illius mēs erat omni uitiorum sorde maculata, & cor omni æstu carnalis concupiscentiæ intemperatum, si mundare, sanctificare, & tēperare, præsupponit actualē immunditiã, & inordinationē, quod absit cogitare. Et confirmatur ex ipsomet Caiet. qui super ar. 2. q. 27. 3. p. S. Th. sic distinguit, & dicit, *Sanctificatio potest dupliciter sumi. Primo, ut est de cōtrario in contrarium, de immunditia ad munditiam, & sic constat, quod est de peccato in gratiam. Secundo ut est de negato in affirmatum, de non sancto, in sanctum, de non gratia in gratiam, & sic non supponit peccatum, inuenitur in Christo, & Angelis, Angeli. n. sanctificati sunt à Deo, qui nunquam peccauerunt, & de seipso dicit Christus, quē Pater sanctificauit. & hoc secūdo modo intelligitur mudatio à peccato originali, & Sanctificatio Marię in utero, à macula nō cōtracta, sed quæ alias contraheretur. Et cōfirmatur, quia non*

Tertium sanctorum dictum nō est contra nos, sed pro nobis.

solum Beda, sed etiam Arnob. Cyrillus Hierosol. Greg. Theologus Damasc. Rich. de S. Vict. & alii dicunt fuisse sanctificatam, & purgatam ab omni uitiorum contagio quando concepit filium Dei; non supponit igitur necessario sanctificatio immunditiam, & culpam in eo, qui sanctificatur.

Quintum
sanctorum
dictum non
est contra
nos.

Quartum caput est quia aliqui Sancti generaliter loquuntur, & dicunt solum Christum esse sine peccato, & nullam exceptionem faciunt; Sed isti loquuntur, sicut, & Sacra scriptura, quæ si interpretationem, & exceptionem ab illa generalitate patitur, (ut diximus) multo magis patientur generales propositiones Sanctorum, & S. Aug. qui sic sæpe generaliter est locutus, dixit etiam, quod cum de peccatis agitur, nullo prorsus modo id vult intelligi de Maria.

sancti
antiqui, qui
immacula
tam conce
ptionem
tenuerunt
ad quatuor
dicta re
ducuntur.
primum
dictum.

Ecce igitur quomodo illi, qui gloriantur pro se, contra Immaculatam B. Virginis Conceptionem habere omnes sanctos, & Doctores antiquos de peccato loquentes, nullum habent; & ipsimet ueritate coacti, ea dicunt, quæ propria ipsorummet fundamenta, & argumenta destruunt, ut satis uidimus. Quod autem pro Immaculata B. Virginis Conceptione sint multi Sancti & Doctores antiquissimi, patet; adducam quos uidi in proprio fonte, & alios dicam unde desumpsi. Illos reducam ad quatuor capita, Primum est illorum, qui expressè dixerunt B. Virginem fuisse conceptam sine peccato. Et ut uideant, quam fideliter citem, nolo adducere Chrysippum Presbyterum Hierosolimitanum, qui fuit anno 420. & in ser. de S. Maria dicit. *Gratia plena, quia tecum est uniuersus lætitiæ thesaurus, tecum est conditor omnium, tecum inquam ut ex te gignatur, tecum conceptione, ut ex parto tuo generetur.* licet æque bene possit interpretari de Conceptione qua ipsa concepta est, sicut de illa, qua concepit filium, quia nolo citare nisi illas, quæ specificant conceptionem, qua concepta est, & non possunt aliter interpretari. Idiota (qui uixit anno 790.) lib. contemplationum B. Virgine inquit. *Tota pulchra es, in tua conceptione, ad hunc solum effecta, ut templum esses Dei altissimi.* & paulo inferius. *Tota igitur pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue uenialis, siue originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit.* Citatur à Petro Canilio in tract. de B. Virg. sed cum uiderim in fonte, non illum cito ex ipso, sicut cito sequentes: Petrum. s. Damianum, in sermone de Assumptione: *Caro Virginis ex Adam assumpta est, maculas. Adæ non admisit.* & Damascenum cuius extat Martirologium in quo notatur dies Conceptionis. Secundum caput est

eorum, qui dicunt eam fuisse liberam ab omni iugo, & macula peccati, ut Amb. in illud, ps. 118. *Quere feruum tuum.* Theodotus in hom. de Nat. Christi, & habetur in Concilio Ephesino primo. Ruper. lib. 6. in Cant. Et qui dicunt cum de peccatis agitur nullam prorsus haberi quæstionem de B. Virgine, ut Aug. citatus. Et qui pro contraria sententia citantur, & dicunt B. Virginem fuisse mundatam, & sanctificatam ab omni macula peccatorum; nam sicut mundatio ab actualibus fuit per præseruationem, ita etiam ab originali; nam ipsi generaliter dicunt ab omni macula peccatorum, & Sacra scriptura generaliter omnibus tribuit peccatum originale, & omnibus adultis actualia, ut diximus. Tertium caput est eorum, qui de plenitudine gratiæ B. Virginis, ita loquuntur, ut necessario etiam intellexerint præseruationem ab originali, nam primo multi comparant illius gratiam, & puritatem, gratiæ, puritati, & innocentie Angelorum, quæ etiam dicunt excedere, multi etiam dicunt, quod extollenda est quantum ex tolli potest. Anselmus de conceptu Virg. c. 18. dicit, quod debuit ea puritate nitere, qua sub Deo non possit intelligi maior; Alii tertio illam etiam extendunt usque ad corpus & dicunt eam mundasse ab omni labe, secundum corpus, & animam, & mentem, ut Sophronius Patriarcha Hierosolimitanus, in Epistola Synodica, quæ habetur in sexta Synodo, & Proculus Constantinopolitanus, qui dicit. *Caro Virginis impolluta.* & Theodotus in sermo. de Nat. Chri. inquit. *Virgo gloriosior paradiso facta est, ille enim Dei cultura facta est, hæc autem secundum carnem Deum coluit.* habentur in Conc. Ephesino primo. Quod autem per munditiam à labe peccati, secundum corpus, intellexerint præseruationem à peccato originali, cum contrahatur ratione corporis, quod habemus ab Adam, patet ex Gregorio Neocæsariensi in serm. de Annunc. ubi dicit, *Ex omnibus generationibus hæc sola Virgo sancta corpore, & Spiritu fuit.* & ex Epiph. in Vita Virginis, ubi inquit. *Non habuit uirginitatem secundum continentiam, & pugnam, more honestarum feminarum, sed ex natura, quod est extra omnium mulierum facultatem, & a natura alienum.* Citantur à Franc. Turriano in epist. de definitione peccati originalis, & conceptione B. Virg. Vbi notandum est, quod cum Apost. dicat studium Virginis esse curare, ut sit sancta corpore, & spiritu, quando Greg. dicit, quod B. Virgo fuit sola sancta corpore, & spiritu, & Epiph. quod hoc ex natura habuit, intellexerunt conceptionem sine peccato; nam quod est ex natura, innatum est, & B. Virgo id habuit à gratia, sed per modum nature, in instanti, sci-

secundum
dictum.

Tertium
dictum.

Quartum
dictum.

ti, scilicet animationis, & sic illa sola fuit sancta corpore, & spiritu; nam in utero, alii etiam fuerunt sanctificati. Damascenus citatus à Canisio de Ioachimo patre Mariæ dicit, *O beati lumbi, ex quibus immaculatissimum semen effluxit.* significans immaculatam B. Virginis conceptionem, nam peccatum originale (ut diximus) semine transfunditur. Quartum caput est illorum, qui comparationibus hanc immaculatam conceptionem significauerunt. S. Maximus homelia Dom. Palmarum comparauit B. Virginem Mannæ, quod de cælo descendit, & comparatio est secundum corpus, quatenus de purissimis eius sanguinibus generatus est Christus. eius uerba sunt, *Legimus etiam in libris Moysi de manna uermiculos procreatos; digna plane, & iusta comparatio si quidem de manna uermiculus gignitur, & Dominus Christus de Virgine procreatur, quin potius ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis splendida, suavis, & virgo, quæ uelut cælitus ueniens, &c.* S. Dominicus fundator Ord. Præd. in tractatu de corpore Christi, ut refert Canisius, interrogatus quid de hac quæstione sentiret, respondit. *Sicut primus Adam fuit ex terra uirgine, & nunquam maledicta formatus, ita deicit in secundo Adam fieri.* Eadem similitudine ante illam, usus est Greg. Neocæsariensis in ser. de Annunc. (ut refert Turrianus) qui explicans illud *Dominus tecum*, inquit, *Qui ex terra uirgine fecit hominem, & ex eius costa Euam, hic Dominus tecum.* Et ante illos S. Andreas Apostolus, qui ad Aegeam dixit, *Et quomodo de immaculata terra factus fuerat primus homo, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat, necessarium fuit, ut de Immaculata Virgine natus Christus, &c.* Sicut isti Sancti ostenderunt immaculatam B. Virginis conceptionem per hoc, quod illius conceptionem assimilauerunt formationi Adæ ex terra uirgine, & formationi Euæ ex costa Adæ, ita etiã possumus idem ostendere comparando creationem animæ illius, creationi Angelorum, & animarum Adæ, & Euæ, sed ut inquit S. Thom. Deus illos creauit in gratia, quod probat ex Aug. 12. de Ciuit. Dei, ubi dicit, quod Deus erat simul in eis condens naturam, & largiens gratiam, ergo multo magis creauit in gratia animam B. Virginis, quæ futura erat eius mater, & ea maxime indigebat, ne laboretur in peccatum. Iuniores citare nolo, uideri poterunt cum aliis apud Ambrosium Catharinum, & Canisium.

De prin-

De principio, & progressu huius quæstionis, cum tribus fortissimis argumentis. Cap. XXI.

V hac collatione antiquorum Sanctorum, pro utraque sententia, magis elucescat ueritas; & ut melius intelligatur, quo ordine semper ueritas immaculatæ Conceptionis, magis ac magis patuerit, notandum est, quod Immaculata B. Virginis Conceptio, fuit priuilegium singulare, cuius cognitio non est necessaria ad salutem, & propterea Sancti Patres, non tractauerunt de illa, nisi aliquando obiter, sed sicut Sacra Scriptura generaliter loquitur de omnibus, & dicit omnes esse peccatores, similiter & de B. Virgine dicit, quod est tota pulchra, sine macula, & gratia plena; ita etiam illi generaliter locuti sunt, & dixerunt omnes esse peccatores, & B. Virginem fuisse sine macula, & plenam gratia. Superuenit hæresis pelagiana, quæ negabat peccatum originale, & tollebat necessitatem gratiæ; ob quam causam Sancti Patres contra illam agentes, eo magis fuerunt coacti, non solum generaliter loqui, sed etiam iuxta ueritatem rei, & proprietatem locutionis, distinguere id quod est à natura, & quod est à gratia, & dicere, quod solus Deus est sine peccato, & quod omnes sancti fuerunt peccatores; & aliqui ita hoc exaggerant, quasi fuissent magnis sceleribus immergi, cum tamen multi toto uite tempore, uixerint sine mortali; sed confiterantur hoc habuisse non à natura, sed à gratia. Et aliqui, ut magis confunderent hæreticos, ad ipsammet Beatam Virginem Dei matrem descenderunt, & illam iuxta naturam, & naturæ uires considerauerunt, & dixerunt, quod per se, non est munda, & quod fuit mundata ab omni macula peccatorum, nam per se fuisset immunda, concepta in peccato, & adulta peccasset sicut alij, sed gratia præueniente fuit ab omni macula præseruata; & non erat tunc tempus tractandi de priuilegio B. Virginis, & eius immaculata conceptione, ne hæretici sumerent inde occasionem decipiendi simplices, quasi cæperint esse uictores, & eadem sit omnium ratio; ob quam etiam causam, contra Nestorium, qui dicebat Christum esse purum hominem, Ecclesia prohibuit etiam sub pœna excommunicationis, ut fideles non uocarent B. Virginem matrem Christi, sed matrem Dei, ut dicit Damasc. lib. 3. de Fide Orthod. cap. 12, & prohibitio habetur in Conc. Ephesino. Cum autem conditio temporum exigeret, ut Sancti, in ipsamet B. Virgine distinguerent, quid naturæ, & gratiæ, Deus,

LI qui

Sancti
prin-
cipio
quomodo
locuti.

Quomodo
sunt lo-
cuti contra
pelagianos.

Non fuit
tunc tempus
tractandi
de hoc
priuilegio

qui (ut inquit S. Amb. super Luc.) maluit aliquos de suo ortu, quam de suæ Matris pudore dubitare, prouidit, ne hac specificatione, aliquid indignum de sua Matre crederetur; sed quia suauiter omnia disponit, & vult, quod Ecclesia Romana, quæ est Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum, maturo iudicio, & more humano, diligenti studio, & inquisitione procedat; licet in suis determinationibus habeat infallibilem eius assistentiam, ut errare non possit; ideo fecit, ut apud fideles non ueniret in suspicionem de aliquo peccato actuali; permisit autem, ut dubitaretur de illius conceptione, an fuerit sine peccato, ut sic magis cõfirmaretur ueritas de peccato originali, & fidelium zelus excitaretur erga B. Virginem, & erga Romanam Ecclesiam; ob quã causam excitauit multorum corda, ut peculiari deuotione uenerarentur immaculatam B. Virginis Conceptionem, cuius etiã festum in aliquibus Ecclesiis particularibus cepit celebrari, S. Bernardus uidens, quod hoc festum non celebrabatur ab Ecclesia Romana, zelans pro Romana Ecclesia, reprehendit (ut diximus) Canonicos Lugdunenses, & dubitare cepit de hoc B. Virginis priuilegio, & uidens quod non est secundum communem legem, & quod Romana Ecclesia illud non celebrabat, cepit excogitare rationes ob quas non celebraretur ab Ecclesia Romana; sed quia ex altera parte uidebatur conueniens, quod B. Virgo fuerit concepta sine peccato, ideo nihil determinatè concludit, sed subdit se iudicio Sedis Apostolicæ. Cuius auctoritate moti aliqui Sancti iuniores etiam dubitarunt. Maxima autem fuit differentia inter Sanctos, qui dixerunt B. Virginis conceptionem fuisse immaculatam, & illos qui id negarunt, nam priores sunt antiquiores, & id etiam assertiuè dixerunt, & in eadem perstiterunt sententia; posteriores uero sunt iuniores, & uel mutarunt postea sententiam, uel dubitatiue locuti sunt, & causam quare ita sentiant esse dixerunt, quia Romana Ecclesia non celebrat illud festum, quod etiam fuit præcipuum fundamentum scholasticorum, antequam Festum Conceptionis celebraretur, & ante extrauagantes Sixti 4. Postquam autem Ecclesia Romana cepit celebrare illud Festum, licet noluerit hanc quæstionem determinare, cum sufficiat innuere, cessat prædictum fundamentum zeli pro Ecclesia Romana, sed nõ cessauit quæstio, nã rationibus agitur, & discipuli zelant pro suo Doctore, cū tamen id non simpliciter, & absolute tenerit. Nunc autè ubiq; terrarū cū Romana Ecclesia, celebratur Festum Immaculatæ Conceptionis, & fere omnes tenent fuisse cõceptam

Quare p-
mulerit
Deus du-
bitare.

ante Six-
tum 4. q. i
contra cõ-
ceptionem
scripserunt
Zalarunt
pro Eccle-
sia Roma-
na, quia il-
lam non
celebra-
bat.
Differen-
tia inter
sanctos v-
triusq; sen-
tentia.

Nunc ze-
lus est di-
scipulorū
pro suo
Doctore.

Immacu-
latam con-
ceptionem
nunc fere
omnes te-
nent.

ptã sine peccato, & non solū mulieres, & idiotæ, sed uiri doctissimi, & sanctissimi; ita tenent, ordo S. Benedicti, Canonici regulares, Ordo Heremitarū S. Aug. Ordo Carmelitarū, & Seruorum, Ordo Minorum, & omnes ordines cuiuscunq; alterius religionis, & omnes uniuersitates, & fideles, paucissimis exceptis; & isti sunt adeo pauci, ut comparati cū aliis, nõ faciant quodãmodo numerū, perinde ac si cocleare a quæ, coferatur cū tota aqua maris, & arena duobus digitis accepta, cū tota illa, quæ est in litore, & profundo maris, & ut inquit Canisius, isti pauci, pudore impediti, q̄ in animo gerunt, secū ipsi tacite loquuntur, & sentiunt palã efferre ac pronunciare, nõ satis tutū arbitratur, tum si id facere quidã audeant, haud sine publica cõtradictione uulgiq; ofensione audiuntur, usq; adeo, & inuisa, & debilitata, & explosa, & quodãmodo eiecta est penitus, nūc opinio aduersariorū, & contraria sententia cunctorū ferè mētes occupat. In studio Parisiensi nullus in ordinē Theologorū coactatur, nisi prius iuret se in asseruenda immaculata Matris Cõceptione cõstater perseveraturū.

Ex quo tria desummo fortissima argumēta. Primum est ex hoc q̄ Ecclesia etiã Romana celebrat festū immaculatæ Conceptionis, & usus, & cõsuetudo Ecclesiæ præualet auctoritatibus Sanctorū, ut docet S. Th. 2. 2. q. 10. ar. 12. *Maximã* (inquit) *habet auctoritatē Ecclesiæ cõsuetudo, quæ sēper est in omnibus æmulanda, quia ipsa doctrina catholicorū Doctōrū, ab Ecclesia auctoritatē habet, unde magis standū est auctoritati Ecclesiæ, quã auctoritati, uel Augustini, uel Hieronymi, uel cuiuscunq; Doctōris.* Et confirmatur, quia S. Tho. loquitur de baptizandis pueris infidelium inuitis parentibus, & licet aliqui dixerint esse baptizandos, & licet certum sit, q̄ baptizati, baptismus tenet, & saluantur, & ratio sit in fauorē puerorū, quia sic saluarentur, & parētes abutuntur sua auctoritate, & licet nullū sit decretū Ecclesiæ in contrariū, sed sola illius cõsuetudo; nihilominus dicit stādum esse cõsuetudini Ecclesiæ, etiã si aliqui Sancti cõtrarium dicerēt. At in casu nostro, nõ solum est cõsuetudo Ecclesiæ, sed Ecclesia Romana festū, & officium instituit; rationes omnes sunt pro immaculata cõceptione, sicut etiã Sancti, & Doctores antiqui, & etiã moderniores, quatenus dubitarunt, & mouebātur ex hoc, q̄ Ecclesia Romana, tunc illud Festum nõ celebrabat. Secundū argumētū, quia ut probauimus, lib. 2. c. 16. huius 3. p. nõ solū Papa habet infallibilem assistentiã Spiritus sancti ut nõ possit errare in determinando, sed illã etiã habet Ecclesia, ut non possit errare in recipiēdo, ad sēsū ibi expositū; at nõ solū Ecclesia Romana, sed ferè totus populus Christianus tenet im-

Triã hinc
argumen-
ta fortissi-
ma.
primum
argumētū

secundū
argumētū

Tertium
argumētū

maculatā cōceptionē, & illius festū, & officiū celebrat, ergo etiā si Apostolica Sedes nō instituisset istud Festū, & officiū, satis est, q̄ non cōtradixerit, nec cōtradicat, ex hoc solū, q̄ modo uniuersaliter celebratur in tota Ecclesia, per infallibilē assistentiā, quā habet Ecclesia in suscipiēdo nouū dogma, colligitur ita esse; quāto magis igitur, q̄ Apostolica Sedes Festū, & Officiū instituit, & approbavit? Tertiu argumētū est, quia leguntur facta multa miracula in confirmationē huius ueritatis, & dicitur festū conceptionis capisse in Anglia uirtute diuinæ reuelationis factæ cui-dā Abbati, qui erat in mari in periculo naufragij, à quo miraculose fuit liberatus, eiq; Angelus dixit, ut prædicaret celebrādā esse immaculatā cōceptionē B. Virginis, & quod officium illius Natiuitatis diceretur, etiā pro conceptione, mutato nomine, & dicitur S. Anselmū Episcopū Cātuariēsē de hoc Epistolā ad Episcopos Angliæ scripsisse, in qua dictā, & alias visiones, miraculis confirmatas narrat, & dicit esse celebrandum diē Cōceptionis, & non esse amatorē Virg. qui illum colere respuit, hanc epistolā & miracula in ea narrata, refert Tur. Crem. de conf. d. 3. super c. Pronuntiandū, & reuelationis factæ d. Abbati in naufragio constituto meminit ante illū Gulielmus Durandus in Rationali Diuinorū officiorum. sed dicunt nō esse autentica, & Tur. Crem. leuissimis coniecturis conatur probare illā Epistolā nō esse S. Anselmi; sed hoc trāseat, nō. n. in hoc cōsistit uis argumēti, negare tamē nō possunt quin tunc in uniuersa Anglia quādo ibi uigebat Christiana Religio id haberetur traditione, & illa Epistola, ut S. Anselmi seruaretur, & si ita facile negatur ista traditio, quæ fuit adeo solēnis in toto regno Angliæ, & cū ea, uigore illius pastoralis epistolæ, nouū ibi festū institutum fuit, omnes particulares traditiones ad libitū negari possēt. Argumētū, q̄ ego facio, est sicut illud S. Aug. lib. 22. de Ciui. Dei, c. 5. ista miracula, vel fuerūt facta, vel nō. Si uerē fuerūt, & credūtur facta; celebrāda, & tenēda est immaculata Cōceptio, cū miracula sint diuina testimonia, & Deus nō possit esse testis mēdaci; Si nō fuerūt facta, hoc est maius miraculū, q̄ cū nulla antiquorū sactorū, & Doctorū nisi à falsariis (ut falso inquit Caiet.) pro immaculata Cōceptione possit adduci auctoritas, & illius deuotio ceperit à mulierculis adiuta aliquorū industria, quæstus gratia, sine ullomiraculo, omnes Ecclesiæ, omnes fere Religiosorū ordines, & omnes ferē fideles hāc sententiā toto corde, & magno animi seruore amplexati sint, teneāt, & sequantur, & ipsamet S. Rom. Eccles. illius festū, & officium celebret, & omnibus celebrādum proponat, quæ est ma-

mater, & magistra ueritatis, & habet infallibilem assistentiā Spiritus sancti. Non propterea condemnandi sunt illi, qui contrariam sententiam tenent, cum illos non condemnet Ecclesia, utraq; sententia sine peccato teneri potest, donec Apostolica Sedes ultimā determinationē fecerit; & interim hæc probabiliter pro sententia probabiliori dicta sint, Spero tamen, q̄ adimplebitur reuelatio facta Sanctæ Brigittæ (cuius reuelationes licet non sint ab Ecclesia approbatæ, sunt tamen in Ecclesia magnæ auctoritatis, cum adimpleri uideantur) relata à Canisio, cui dixit B. Virgo. *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato, Scito quod conceptio mea, non omnibus nota fuit, quia uoluit Deus, quod sicut ante legem scriptam, præcessit lex naturalis, & electio uoluntaria boni, & mali, & postea ueniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus, sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec ueritas claresceret in tempore præordinato.* Istud tempus ex parte cepit institutione, & decreto fel. rec. Sixti 4. & utinam compleatur alio S. D. N. Sixti V. decreto, quo omnis tollatur difficultas, quem Deus conseruet, uiuificet, & beatum faciat in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Quod Deus non sit causa peccati, etiam si concurrat ad productionem actus peccati. Cap. XXIII.

Quod Deus non possit peccare, nec esse causa peccati, est manifestum; nam peccatū cōmuniter dictū, secundum quod in naturalibus, & artificialibus inuenitur, prouenit ex eo, q̄ aliquis in agendo non attingit finē, propter quē agit; quod cōtingit ex defectu principii actiui, peccatum uero, secundum quod in moralibus dicitur, & habet rationē culpæ, prouenit ex eo, quod uoluntas deficit à debito fine, per hoc, quod tendit in finem indebitum; at in Deo, neq; actiui principium, neq; uoluntas potest esse deficiens; eius. n. potentia est infinita, & eius uoluntas est eius natura, & summa bonitas, ultimus finis, & summa regula omnium uolūtātū; ex quo etiam sequitur, q̄ non possit esse causa peccati aliorū, est. n. impossibile, q̄ faciat uoluntarē alicuius auerti ab ultimo fine, cum ipse sit ultimus finis, & omnia inclinet, & cōuertat in seipsum. Sed difficultas hic cōsistit in solutione quorūdā dubiorū, & primū sit, q̄a Deus effectiue cōcurrit ad pductionē actus peccati, & aliq̄ act⁹ sūt p se & essētiāliiter mali, & nulla rōne pāt bene fieri,

Primum
dubium.

& sunt indispensabiles, ut odium Dei, blasphemia, ergo si Deus concurrat tanquam causa horum actuum, a quibus deformitas est inseparabilis, erit etiam causa deformitatis, & peccati; Quidam antiqui attendentes deformitatem peccati, dixerunt Deum non esse causam illius actus peccati, quia alias esset causa peccati; Sed dicendum est Deum esse causam actus, qui est peccatum tam secundum esse naturam, quam moris, & non ob id esse causam deformitatis eius, & peccati; quod sit causa actus peccati, probatur, & ratione communi, quatenus ille actus, est ens; & ratione particulari, quatenus est actus; ratione quidem communi, quia cum Deus sit ens per suam essentiam, est enim suum esse, oportet, quod omne, quod est, quomodocumque, deriuetur ab ipso, quia nihil aliud est, quod sit suum esse, sed omnia dicuntur entia, per quandam participationem; omne autem, quod est tale per participationem, deriuatur ab eo, quod est per essentiam; cum ergo manifestum sit, quod actio peccati est quoddam ens, & in predicamento entis posita, necessario dicendum est, quod sit a Deo. Ratione uero particulari, quia necesse est omnes motus causarum secundarum, causari a primo mouente, sed Deus est primum mouens, respectu omnium motuum corporalium, & spiritualium, sicut corpus caeleste est principium omnium motuum inferiorum corporum, ergo cum actus peccati sit quidam motus liberi arbitrij, necesse est dicere, quod omnis actus peccati, in quantum est actus, sit a Deo; Et nihilominus deformitas, & peccatum non est a Deo, Pro quo notandum est, quod motus primi mouentis non recipitur eodem modo in omnibus mobilibus, sed in unoquoque, secundum proprium modum, & propriam dispositionem; Cum aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi mouentis, consequitur actio perfecta, secundum intentionem primi mouentis, si autem non sit in debita dispositione, & aptitudine ad illam recipiendam, sequitur actio imperfecta & tunc quicquid est ibi actionis, reducitur in primum mouens, sicut in causam, defectus autem, qui ibi est, non reducitur in primum mouens sicut in causam; quia consequitur ex hoc, quod agens secundarium, & mobile, deficit ab ordine primi mouentis; sicut quicquid est de motu in claudicatione, est ex uirtute motiua animalis, sed defectus. s. claudicatio, non est a uirtute motiua, sed a tybia, secundum quod non est proportionata uirtuti motiua; quicquid etiam est luminis in cubiculo, est a sole, quod autem lumen non sit clarum, sed rubei, uel uiridis coloris, est a uitro per quod transit. Eodem modo

Deus effe-
ctiue con-
currit ad
productio-
nem actus
peccati.

Notam e-
st ob id est
causa pec-
cati.

Exempla.

modo dicendum est de Deo, qui est primum principium motionis omnium, nam sic mouet hominem, ut ipse etiam se ipsum per liberum arbitrium moueat, & si fuerit bene dispositus ad recipiendam Dei motionem, sequentur bonae actiones, quae totaliter referantur in Deum, sicut in causam, at si deficit in debito ordine, sequentur actiones inordinatae, quae sunt peccati; & quicquid est in eis actionis, reducitur in Deum sicut in causam, deordinationis autem, & deformitatis causa, est solum liberum arbitrium. Sed non uidetur adhuc euacuata difficultas, nam sunt aliqui actus essentialiter mali, qui inseparabiliter habent annexam deformitatem, ut adulterium, odium Dei, & qui est causa horum actuum, est etiam consequenter causa deformitatis, quae est in illis; nam qui est causa causae, est etiam causa causari, & agens dans formam, dat etiam consequentia ad formam; unde Deus non solum prohibet deformitatem, sed etiam actum ex quo sequitur deformitas, si ergo Deus est causa horum actuum, uidetur etiam esse causa deformitatis, & peccati annexi. Ad quod respondetur, quod licet Deus sit causa actus essentialiter mali, & qui essentialiter est peccatum, non tamen ob id est causa mali, & peccati; nam quod actus sit essentialiter malus, & peccatum, non habet in quantum est ens, & actus, nam ut talis est bonus, & a Deo, sed in quantum est a libero arbitrio talis agentis, deficiente a debita regula, sicut claudicatio essentialiter est inordinata, non ut motus, & ut est ab anima, sed ut a tali tybia; & ita Deus tanquam causa causae, est etiam causa causati, id est tanquam causa actus peccati, est etiam causa eorum, quae per se sequuntur ex actu peccati, quae ex se sunt bona, nam illa, quae sunt ex se mala, non sequuntur ex actu peccati, quatenus est actus, sed quatenus est peccatum, a uoluntate deficiente. V. G. actus adulterij consideratus quo ad essentiam actus, est ens, & tale ens, quod ex eo sequitur priuatio integritatis, uoluptas uenerea, & conceptio, quae omnia sunt bona; & reperiuntur in actu matrimonij, deformitas, & peccatum, est, quod iste actus exercetur cum non sua, & hoc est a sola uoluntate, quae sola, est etiam causa eorum, quae sequuntur ex isto actu, quatenus est peccatum, id est quatenus est cum non sua, sed cum illa, quae est alterius. s. culpe, obligationis ad poenam, offensae proximi, & peccatorum, quae ex iniuria proximo illata sequuntur; similiter & de aliis, actus uenerius est ex se bonus, sed quod uelit illum exercere cum mare, est malum a sola uoluntate sic eligente, accipere est bonum, sed malum accipere alienum, Deum mente concipere est bonum;

De acti-
bus essen-
tialiter
malis.

conceptio odij, est ex se bona, dicere aliquid esse iniustum, est bonum, si hoc dicatur, & odium sit de peccato, at si coniungantur, & sint de Deo, est malum à uoluntate impie Deum odio habente, & in blasphemiam consentiente. omnis ergo actus peccati consideratus ex se, ut est actus in genere entis, & talis entis, est bonus, & omnia, quæ ex illo per se sequuntur sub hac peculiari ratione, sūt bona, & à Deo; ratio autem peccati, & peccatum est à sola uoluntate, malè actum ex se bonum exercente, in materia, scilicet indebita, & hoc etiam quatenus est à uoluntate, unde si ille actus indebite applicatus exercentur à stulto, & ratione carente, non est illi peccatū, quia non est uoluntarius, & respectu illius non consideratur in genere moris, sed in genere entis, bonum enim, & malum morale, sumitur in ordine ad rationem.

Quod Deus concurrendo cum uoluntate deficiente non sit causa peccati, Vbi agitur etiam de libero hominis arbitrio, Cum apologetica digressione.
Cap. XXIIII.

Secundū
dubiū de
Dei con-
cursu cū
uoluntate
deficiente.

Secundum dubiū oritur ex prædictis, quæ non uidentur euacuare difficultatē; nam concedimus, quod actus peccati consideratus ut actus, est ex se, natura sua, bonus, & quod tota ratio deformitatis annexæ, est à uoluntate deficiente à debita regula, quatenus uult illū actū exerceri indebite ratione materiæ, uel circumstantiarū, aut finis. Sed uoluntas deficiens, & male eligēs, nō potest moueri sine Dei concursu; ergo cū Deus cōcurrat cum uoluntate à debita regula deficiente, uidetur quod sit causa peccati, ut peccatū est; & sic arguitur, Deus cōcurrat cū isto actū uoluntatis, ut est certū, & nō nisi uno ex tribus modis; aut. n. uoluntas prius natura se determinat ad illū actū, & Deus in eo sequitur uoluntatis determinationē; aut è contra Deus uoluntatē ad illum actum prius natura determinat, & uoluntas sequitur Dei determinationem; aut ex æquo cōcurrūt ad istam actionē; sed quicquid dicatur, uidetur quod Deus cōcurrrens, sit causa peccati; nā si uoluntas prius se determinat, & Deus sequēs eius determinationē cooperatur, iniquæ determinationi, & deformitati cooperatur; & præterea si uoluntas prius se determinat, cū determinatio sit actus si positiuus, Deus nō cooperaretur, nō esset causa omnis actus positiuus; Si determinatio uoluntatis ad illum actum, est à Deo, uoluntas sequens Dei determinationem non peccabit, & causa deformitatis, & peccati erit Deus; quod autē ex æquo

æquo concurrant, dici nō potest, quia iste modus esset casualis, & sic etiam Deus uoluntariè coageret ad peccatū Ad quod respondetur actū uolitionis ipsius uoluntatis, esse à Deo, & à uoluntate, & nō ex æquo, sed datur aliqua prioritas originis, secundū quā ille prius natura concurrat, à quo sumitur ratio determinationis uoluntatis; si uoluntas determinatur à Deo, Deus est causa illius uolitionis, si ipsa se determinat, uoluntas est causa illius uolitionis, & nō Deus, licet cū uoluntate ad illā uolitionē eliciendā cōcurrat; nec ob id sequitur, quod detur aliquis actus positiuus cuius Deus nō sit causa, nā ipsū uelle est simul à libero arbitrio, & à Deo, ita ut non possit excogitari unū instans, in quo sit unū sine altero; quamuis autē sint simul instanti in quo, instāt i tamē à quo, unū est prius altero; possumus. n. in uno, & eodem instanti, quāuis sit indiuisibile, ordinē quēdam eorum, quæ in illo instanti sunt considerare, & duo instantia diuidere, in illo. n. instanti, in quo materia recipit formam ignis, est ignis, prius tamē est formam ignis recipi in materia, quam esse ignē, cū illud sit causa huius; sunt quidem simul instanti in quo, & unū non est prius altero, non. n. potest assignari instans in quo sit unum sine altero, at instanti à quo, unum est prius altero, & causa alterius; sic etiam in actu uolitionis respectu Dei, & uoluntatis; Si determinatio uoluntatis sumitur à Deo, dicendum est, quod uoluntas id uelit, quia Deus illam ad id determinauit; si autem à uoluntate, dicendum erit, quod Deus ideo concurrat ad illum actum, quia uoluntas suo libero arbitrio se ad illum determinauit.

Et cum hoc argumētum nos duxerit ad punctū difficultatis, quæ est de cōcordia liberi arbitrij cū Dei cōcursu, & gratia, breuitati cōsules, huic difficultati sine speciali capitulo satisfaciemus, unū aut alterū hic addendo uerbū, quod est etiā hic necessariū ad cōplementū doctrinæ; quibus se præmiseris ea, quæ inferius dicimus in c. 37. ubi agitur de obstinatione dānatorū, habebis cōpletā doctrinā de libero arbitrio. Dicimus ergo, quod nulla causa secundaria, nec particularis, & nihil operari potest, sine generali dei concursu; qui concurrat cū omnibus causis, iuxta modum earum, cum necessariis, necessario, cum contingentibus, contingenter, & cum liberis, liberè; & quia uoluntas est libera, liberè cum illa concurrat; & licet uoluntas nihil facere possit sine Dei concursu, tamen hic concursus non determinat uoluntatē ad hoc, uel illud, sed ipsa se determinat, & si se ad malū determinat, nihilominus deus ad illā actionē cōcurrat, quia ex par-

solutio
dubii.

De ratio-
ne deter-
minatio-
nis uolun-
tatis.

Digressio
de libero
arbitrio
de quo uel
de etiam
inferius,
cap. 37.

Quomo-
do Deus
concurrat
cum cau-
sis secundariis.

generalis
concurfus
est admo-
dum natu-
re, & quo-
dammodo
debitus.

Ratio de-
termina-
tionis ad
malum, &
ad bonū
est à uolū-
tate, sed
ad primā
gratiā est
à Deo.

De uirtu-
re liberi
arbitrii an-
te, & post
peccatū.

parte Dei, est bona & bonum est, imo debitum, quod sic cum ea concurrat, cum illam liberam secerit (non est tamen sic debitū, quin possit suum concursum misericorditer subtrahere.) nam, hic generalis concursus, est ad modum naturæ, & quodammodo debitus, & libertatem non tollit, nec impedit; & propterea, malum, & peccatum uoluntatis, non potest ei imputari, sed est solius uoluntatis, quæ non fuit à Deo ad illum actum determinata, sed ipsa se ad illum determinauit, illumq; elegit; per quod remanet solum secundum dubium; Et quod ratio determinationis uoluntatis ad peccandum, sumatur ab ipsa uoluntate, est manifestū, quia si à Deo determinaretur, non ipsa, sed Deus peccaret, quod dici non potest; & etiam quia est libera, & tanquam libera ab ipsa sumenda est ratio determinationis; Et non solum ipsa se determinat ad peccandum, sed etiam ad quodcūque aliud opus uoluntarium, indifferens, & moraliter bonum; & etiam ad recipiendum gratiam præuenientem, per solum cōcursum generalem sine gratia iustificante; & habita ista gratia, potest etiam illius uirtute se determinare ad acceptandam maiorem gratiam, & ad opus maioris gratiæ; non potest tamen se, determinare solo generali concursu ad primam gratiam iustificantem, & ad opus, quod sine gratia fieri non potest, ut est conuersio in Deum, contritio, & dilectio Dei super omnia, sed determinatur ab ipsa gratia; qua habita (ut diximus) poterit postea illius uirtute se determinare ad maiorem gratiam sibi oblatam, & ad opera meritoria sine noua gratia, quia uoluntas per gratiam iustificantem, quam habet, est iam sanata, & eleuata ad esse filiorum Dei, & iuxta illud poterit etiam operari, sed ad primam gratiam iustificantem non potest ipsa per se sola uel liberi arbitrii cum generali concursu se determinare, licet sic potuerit se determinare ante peccatum; Et hanc differentiam docuit S. Aug. in lib. de corre. & grat. cap. 11. dicens. *Fale quippe erat adiutorium, quod desereret cum uellet, & in quo permaneret si uellet, nō quo fieret, ut uellet; hac est prima gratia, quæ data est primo Adam; sed hec potentior est in secundo Adam, prima est enim, qua fit homo, ut habeat iustitiam si uelit, secunda uero plus est, qua etiam fit, ut uelit, & tantum uelit, tantoque ardore diligit. Ob quam causam uelle, & opus bonum respectu primæ gratiæ, non est à nobis, sed à Deo, non, quia non concurramus, sed quia ipse uoluntatem determinat, unde Hier. 32. & Ezech. 11. dicitur dare cor nouum, & auferre cor lapideum, & Ioa. 15. quod ipse elegit nos, & non ipsi eum, & ad Philip. 2. quod operatur in nobis uelle, & perficere, pro bo-*

na

na uoluntate. Ex quibus autoritatibus pro confirmatione huius ueritatis sic argumentor: Si cum Deus semper omnibus præsto sit suo sufficienti auxilio, uoluntas peccatoris ad acceptandam gratiam iustificantem, non determinatur à gratia, sed ipsa se ad illam determinat, & ratione huius determinationis, Deus illam ei dat; potius dicetur homo accipere sibi cor nouū, quam quod ei detur à Deo, & potius dicetur eligere Deum, quam quod ab eo eligatur; nam licet Deus suo auxilio semper præsto sit, & concurrat, ratio tamen quare iste, & nō ille habeat cor nouum, & eligatur, est determinatio uoluntatis suæ, quæ est prior instanti à quo. Sicut quamuis in eodem instanti in quo præfente lumine aperio oculos, uideam uirtute luminis, ego tamen proprie dicor uidere, non quia lumen est præsens, quamuis sine ipso uidere non possim, & eius uirtute uideam, sed quia uolui aperire oculos, & non est exorandus sol, ut mihi aperiat oculos, sed orandus sum ego, ut illos aperire uelim. Eodem modo cum Deus semper omnibus præsto sit suo auxilio, mihi potius attribuenda esset gratia, & quod eligar, quam Deo, cum omnibus suam gratiam offerat, & omnes accedentes ad eum recipiat & illam habeam, non quia offertur, sed quia ad illam mihi oblatam me determinauit, & quod ad illam me determinauerim, nō est à gratia, sed à uoluntate mea uel liberi arbitrii, cū gratia quidem, & non sine illa instanti in quo; sed instanti à quo, uoluntas est prior, & ab ea sumitur ratio determinationis illius: quod cū sit falsum, & contra scripturam, dicendum est Dei gratiam, in hoc differre à lumine solis, quia licet uirtute luminis, in eodem instanti in quo ego aperio oculos, uideam, non tamen facit me aperire oculos; at Deus in eodem instanti in quo me determino, dat mihi gratiam, & facit præterea, ut me determinem, & illam acceptare uelim. Et hac ratione dicitur Deus operari in nobis uelle, & perficere pro bona uoluntate, quia aliās si ratio determinationis uoluntatis nostræ ad gratiam, sumeretur à uoluntate, illa uoluntas non tribueretur Deo, sicut nec tribuitur eadem ratione uoluntas peccandi. Hoc etiam significauit Apostolus 1. cor. 4. dicens, Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? & Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Si tu es à Deo electus, & non ille, quis te discerit? Si dicas ego me discerno, quia uel liberi arbitrii, solo generali concursu, me determinati ad gratiam; arguit Apostolus, Quid habes, quod non accepisti? quasi diceret, ista determinatio uoluntatis ad gratiam, fuit ab ipsa gratia, aliās enim si uoluntas est prior instanti

instanti à quo, gratia iustificans erit per retributionem nobis prius dantibus, debita. Quis autem prior dedit, & retribuitur illi? Et confirmatur, quia determinare se ad credendum, uolendum, & amandum, est credere, uelle, & amare, & determinare se ad gratiam, est habere gratiam, ergo si sola ui liberi arbitrij, possumus cum solo generali concursu determinare nos ad credendum, amandum, & ad gratiam, fides, charitas, & gratia erunt à nobis, & solo generali concursu poterimus ui liberi arbitrij aliquid facere cui illa debeantur. scilicet ad illa nos determinare, quia ad nostram determinationem illa statim consequuntur, cum deus sua gratia omnibus semper præsto sit, & ut illam habeamus hanc uoluntatis nostræ determinationem ad illam expectet, & consequenter hæc nostra determinatio, esset proximum principium, & consummatio nostræ iustificationis, gratia uero, esset ueluti quoddam medium imperfectum, expectans suam perfectionem, & efficaciam, à libero arbitrio, quæ sunt falsissima, & pertinent ad hæresim pelagianam. Nec obstat si dicatur, quod idem possumus dicere de omnibus bonis operibus, cum sine deo factum sit nihil; nam quamuis sine dei generali auxilio nihil fieri possit, tamen quæ solo generali auxilio fiunt, nobis tribuuntur quemadmodum etiam igni tribuitur calefacere, & soli illuminare, licet hæc sine illo generali concursu præstare non possint; at fidem, charitatem, & gratiam, sic nobis tribuere ui liberi arbitrij, sicut & cetera naturalia, & moralia, & deo sola ratione generalis auxilij, est hæreticum. ergo dicendum est peculiari quadam ratione à deo esse, quia scilicet determinando uoluntatem nostram, illa nobis infundit, & operatur in uobis uelle, & perficere pro bona uoluntate; quod etiam determinatum est in Conc. Arausicano 2. Can. 3. 4. 6. 11. & 23. Ratio autem ob quam liberum arbitrium non potest solo generali concursu; ui sua, se determinare ad fidem, & ad gratiam, est, prima, quia sunt dona dei supernaturalia; Secunda propter eius infirmitatem, quia debet eleuare se supra seipsum, nam fides est de his, quæ sunt supra naturam, & eius formalis ratio, est diuina auctoritas; Gratia dat esse diuinum, & in adultis habet inseparabiliter annexam dilectionem dei super omnia, & obseruantiam omnium mandatorum dei; Et licet habeat postea à gratia esse diuinum, & operari filiorum dei, tamen cum incipit gratia præueniente disponi ad gratiam iustificantem, & habere uelleitatem ad illam se determinandi, peccatorum derestatione, & ad deum conuersione, indicitur ei immane bellum, & à corruptione naturæ, & à

carne

carne concupiscente contra spiritum, & à dæmonibus, & à rei difficultate, & à multis aliis internis, & externis impedimentis, adeo quod indigeat ad efficacem uoluntatem, determinari ab ipsa gratia, quæ operatur uelle, & perficere. At cum est à gratia determinatum, & corroboratum, potest postea uirtute illius gratiæ se determinare ad opera meritoria quibus meretur maiores gradus gratiæ; causa enim quare non poterat se determinare ad gratiam iustificantem, erat illius infirmitas, at per gratiam est aliquo modo sanitatem consecutum, & habet esse diuinum filiorum Dei; ergo sicut potest sine gratia solo generali concursu determinare se ad opera moraliter bona, ita etiam uirtute gratiæ, quam habet, poterit sine noua gratia determinare se ad multa opera meritoria, quibus maiorem consequatur gratiam; operari enim sequitur esse, illique proportionatur, opera autem moraliter bona, proportionantur esse naturæ opera uero meritoria, esse gratiæ. Sed de his in nostra questione de Prædestinatione.

Ex quibus sequitur, quod de libertate uoluntatis non potest esse dubium nisi ratione fidei, & primæ gratiæ iustificantis, nam ad cetera alia omnia opera, licet nihil possit sine Deo, & Deus concurrat cum ipsa, tamen ratio determinationis sumitur a uoluntate, & sic uult, & operatur, & Deus ad illum actum uolitionis, & ad illam operationem concurrat, quia uoluntas tamquam libera, se ipsam ad id determinauit; & licet sæpe malè se determinet, non tamen ob id Deus male cum ipsa cõcurrit, cum bonum sit illam in sua libertate relinquere, & ipse ad malum illam non determinauerit, & non concurrat quasi malum approbet, & sit illius cooperator, sed quia eius generalis concursus, est admodum naturæ, & quodammodo debitus, & propterea nullo modo est causa peccati, licet sit causa actus peccati. Sed difficultas est respectu primæ gratiæ, quia ad illam, ipsa non se determinat, sed determinatur ab ipsamet gratia, & prior est instanti à quo motio gratiæ, quæ uoluntatis, licet simul sint instanti in quo, sic autem determinata uult, & non potest non uelle. Respondetur, quod tatum abest, quod gratia sic uoluntatem determinans eius liberum arbitrium tollat, quod illud potius corroborat, & liberius facit, nam illam determinat, ut peccatum relinquat, & gratia informetur, quæ bonum, & meritorie operari possit, quæ est maior libertas; perfecta autem esset, si ita illam ad gratiam determinaret, quod gratiam amittere, & malum operari non posset, quod erit in patria; posse. n. peccare proprie non est libertas, sed libertatis infirmitas, & defectus, quod tollitur

in

Difficultas de libertate est solum respectu primæ gratiæ

Gratia non tollit liberum arbitrium, sed illud corroborat, & liberius facit.

in patria, ubi erit perfecta libertas, quæ est omnino non posse peccare, ut docet Aug. de cor. & gra. cap. 11. & in Enchir. ad Laurentium, cap. 105. Si autem sic à gratia determinata, ut gratiam acceptare uelit, non potest non uelle illam acceptare, est quia tunc uult, & dum uult non potest non uelle, non enim potest simul idem uelle, & nolle, cum implicet contradictionem; & hoc est, quod alii dicunt, in sensu composito; & idem est in omnibus liberis, & contingentibus, nam sedens dum sedet, non potest non sedere in sensu composito, at in sensu diuino, sedens in se consideratus, & non facta suppositione, quod sedeat, potest non sedere; ita etiam uoluntas, in sensu diuino, non facta suppositione, quod aliquid uelit, potest illud uelle, & nolle, at in sensu composito, supposito, quod illud uelit, dum uult non potest non uelle, quia implicat; uoluntas autem id uult ad quod determinatur, nam determinatio uoluntatis, est ipsum uelle; & si se ipsam determinat, uult quia sic se ipsam determinauit, si determinatur à Deo, uoluntas ipsa uult, & uolitionis actum elicit; & non se habet mere passiuæ, sed sic uult, quia determinatur à Deo, & cum uelit, libere uult, & non necessario, ut docuit Aug. lib. 3. de libero arbitrio, c. 3. dicens, *Omitto illud æque monstruosum, quod paulo ante dixi eundem hominem dicere, necesse est, ut ita uelim, qui necessitate superposita auferre nititur uoluntatem; si enim necesse est, ut uelit, unde uolet cum uoluntas non erit? quod si non hoc modo dixerit, sed dixerit se, quia necesse est, ut uelit, ipsam uoluntatem in potestate non habere, occurreretur ex eo, quod ipse dixisti, cum quærerem utrum inuitus beatus sis futurus.* Nec obstat prædictis Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. & can. 4. ubi dicitur. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque uocanti quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, nec posse dissentire si uelit, sed uelut inanimè quoddam nihil omnino agere mereque passiuæ se habere, anathema sit. Nam si illa uerba Conc. cap. 5. quod homo possit suo libero arbitrio acceptare gratiam, & illam à se abiicere, intelligantur quoad acceptationem, de sola liberi arbitrii potestate, id referendum est ad gratiam præuenientem, qua disponimur ad iustificationem, de qua ibi etiam expressè loquitur. & nos diximus ad hanc liberum arbitrium se determinare posse. Si autem referantur etiam ad gratiam iustificatam; Sensus est, quod liberum arbitrium potest acceptare gratiam, & illam à se repellere, si secundum se absolute, & in sensu diuino consideretur, & illam quidem potest abiicere propria uoluntate, sed acceptare non nisi

adiu-

adiuuetur, & determinetur ab ipsa gratia, & quando determinatur, non se habet (inquit) ut quoddam inanimè nihil omnino agens, sed ipsum actum uolitionis elicit, & non per se sola uoluntati liberi arbitrii, sed ab ipsa gratia determinatum, & ita subiungit in d. cap. 5. non tamen potest sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo, libera sua uoluntas, Vnde in sacris litteris cum dicitur *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, libera uoluntas nostræ admonemur.* Cum respondemus, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur, hæc ibi.* Licet igitur uoluntas ad gratiam iustificatam determinetur à Deo, non tamen ob id desinit esse libera nam liberè agit, & cooperatur, & ista eius libertas non est solum complacētis, sed etiam contradictionis; nam ad libertatem contradictio nis, sufficit, quod uoluntas nulla facta suppositione possit aliquid uelle, uel non uelle; omnes enim causæ tam naturales, quàm liberae, dicuntur simpliciter, & absolute aliquid posse, quando nulla facta suppositione illud efficere possunt, quamuis ratione alicuius suppositionis contingentis id non possint; uoluntas autem secundum se considerata, & in sensu diuino, potest uelle mediante Dei auxilio, uel nolle per se, acceptare gratiam sibi oblatam; Et ut diximus tantum abest, quod libertate priuetur quando determinatur ad gratiam, quod liberior efficitur, & facultas quam in statu innocentiae habuit, & per peccatum amisit, et quodammodo restituitur, nam ut citauimus ex Aug. gratia data, primo Adæ non efficiebat, ut illam uellet, sicut efficit in nobis, est enim uoluntas debilitata, & infirmata per peccatum; tanquàm libera solo generali concursu potest se determinare ad quoscumque actus, etiam moraliter bonos, ad illum uero actum quo conuertatur in Deum, & ad uelle efficaciter primam gratiam iustificatam, non potest se determinare, & hoc propter infirmitatem ex peccato contractam, sed determinatur à Deo, & dum sic determinatur, uoluntas elicit actum ad quem magis inclinatur quam ad quemcumque alium, qui consequenter est magis uoluntarius; non secus ac si aliquis uinculis detineretur, qui maxime desideraret ire in domum suam, quamuis in uinculis multa alia præstare possit, si tamen liberetur, relinquet potius cætera, & ad domum suam curret; ita etiam anima nostra ex se magis inclinatur ad Deum, quam ad quæcumque alia. *Fecisti nos Domine ad te* (inquit S. Augustinus) *& inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* & David dicebat. *Quid enim mihi est in caelo, & à te quid uolui super terram.* Sed impeditur à corruptione naturæ, & à pec-

Infirmitas
liberi ar-
bitrii.

& à peccato, quando ergo ad gratiam determinatur libentissimè ad Deum tendit, tanquam ad vltimum finem. Cuius signum est, quod habita gratia ipsa se feruentius determinat ad opera bona, & parata est mortem potius pati, quam peccare, & cupit dissolui, & esse cum Christo. Ex eadem uoluntatis infirmitate sequitur, quod licet possit se determinare ad quodcumque bonum morale in particulari, & ad euitandum quodcumque peccatum in particulari, non tamen potest sine gratia facere omne bonum morale, & euitare omne peccatum mortale, nam tanquam debilis, & infirma, difficultatibus, & tentationibus oppressa, aliquando succumbet.

Colligendo igitur omnia prædicta, & aliqua alia breuiter attingendo, pro explicatione facultatis liberi arbitrii, septem propositionibus, quid possit, & quid non possit explicabimus, quarum prima sit, Homo in natura integra, & perfecta, sine gratia, sola ui liberi arbitrii cum solo generali concursu, poterat facere omnia bona moralia, & omnia legis præcepta quoad substantiam implere, & consequenter Deum diligere super omnia, ut est finis naturalis, & uitare etiam omnia peccata mortalia, & uenialia, quæ sunt per recessum ab eo, quod est secundum naturam. Secunda; Non poterat in illo statu facere aliquod bonum supernaturale sine gratia, nec consequenter legis præcepta adimplere, quoadmodum, nec Deum super omnia diligere, ut est finis supernaturalis, non enim potest natura eleuare se ad supernaturalia, nisi prius eleuetur à gratia ad tale esse, cum operatio sequatur esse, illique proportionetur. Tertia, Proposita gratia poterat homo tunc temporis ex sola ui liberi arbitrii, illam acceptare, uel à se reiicere, ita ut ratio determinationis sumeretur, non à gratia, sed à libero arbitrio. Quarta, Homo in statu naturæ corruptæ sine speciali concursu, cum solo generali, potest se determinare ad opera naturalia, artificialia, indifferentia, & etiam bona moralia, ita ut ratio determinationis sumatur ab eius uoluntate. Quinta, Homo sine gratia ratione corruptionis naturæ non potest facere omne bonum morale, nec euitare omne peccatum mortale, licet possit quodlibet in particulari, nisi tanta esset alicuius particularis difficultas, ut requireretur maius auxilium. Sexta, Homo ad primam gratiam iustificantem, non potest se determinare, & illam acceptare solo generali concursu, sed debet determinari ab ipsa gratia, Septima, supposita gratia iustificante, homo ut illius gratiæ, sine nouo auxilio gratiæ, potest se determinare ad opera meritoria, & ad maio-

rem

rem gratiam ei oblatam. Ad actum tamen insignem, & ad gratiam aliquam tentationem uincendam indiget nouo speciali auxilio, cum non fuerit illa gratia integram sanitatem consecutus. Et ista hac digressionem de libero arbitrio sufficiant.

Aliam cogor hic facere digressionem, Quidam Lelius Ballionius, anno 1577. tractatulum suum de Prædestinatione contra prædictam meam de eadem materia questionem in lucem edidit, Et ut gloriosior esset illius triumphus, me primo doctissimum uocat, & postea ut penitus ignarum condemat. Illud statim habui, nolui tamen ei respondere, licet cum me non intellexerit, multa mihi falso attribuat, & quod mihi sæpe contradicam, & sententiam meam, quam ipse fatetur esse S. Aug. ab omni fidei tanquam falsam, & erroneam refellendam esse dicat. sed quia diuulgatus per diuersas urbes adhuc circumfertur, ne eius lectio in doctis noceat, monere uolui, quod abundat erroribus. Reprehendit in c. 8. quod ibi dixi, & hic repeto, rationem. scilicet determinationis uoluntatis nostræ ad primam gratiam iustificationem sumi à Deo, quasi tollatur liberum arbitrium. Et S. Th. falso tribuit, quod determinatio uoluntatis nostræ, tam ad bonum, quam ad malum sit à Deo: potest hoc quidem tribui Capr. 2. d. 38. q. 1. ad 2. principale Aureoli, sed non S. Th. qui cum ad hanc specificationem, & diuisionem instantis in quo, & distinctionem determinationum non descenderit, est sane intelligendus, & interpretandus, iuxta ea, quæ diximus; nam ipse loquitur de obiecto uoluntatis in communi, & bono in communi, quod certum est prius mouere, si autem descendisset ad particularem electionem alicuius boni, aut mali, & considerasset prioritatem naturam, quo ad instans à quo, licet nulla sit prioritas quoad instans in quo, hoc idem dixisset, quod nos. quare S. Tho. in hoc potest dici diminutus, sed non quod errauerit. Huius occasione pro ueritate aliquos præcipuos illius detegam errores, ut caueantur. cap. 21. pag. 136. dicit [quod si Deus reprobaret propter peccatum originale, non solum non esset iustus, sed esset omnino iniustus] Et ibi non loquitur de peccato originali per baptismum remisso, neque de reprobatione ad pœnam sensus, sed absolute, quod hæreticum esse constat, cum peccatum originale efficiat nos filios iræ. Et quod absolute loquatur manifestum est, respondet enim ad argumentum factum de peccato originali absolute, in ordine ad pœnam damni sibi debitam, quod habetur eodem cap. pag. 129. & est tale, Finis reprobationis est, ut ostendatur Dei iustitia; sed magis apparet Dei iustitia, si statim supposito originali peccato aliquos reprobauit, &c. petet etiam ex causa,

M m quam

septem conclusiones de facultate liberi arbitrii.

De natura corrupta.

quam ibidem subiungit, ut ostendat quod Deus esset omnino iniustus, dicens [quia cum post nobiscum misericordiam fecisset, tradidissetq; medium quo possumus expurgari ab illo peccato, postmodum autem propter illud uellet punire, cum tamē ipsi satisfecisset Christus pro nobis; iniustus certe uideretur] hæc ille. Quæ ratio si aliquid probat, probat etiam Deum esse omnino iniustum, si aliquem damnat propter peccatum mortale in quo moritur, quia cum Deus ab æterno præuidisset nostra peccata actualia, postmodum nobiscum misericordiam fecit. Sed quæ est ista misericordia, illorum ne remissio? non hoc dicit de peccato originali, sed illam hanc esse explicat, quia tradidit medium quo possumus expurgari ab illo peccato, & Christus Deo satisfecit pro nobis. Ad argumentum, quod de pueris cū solo originali peccato morientibus in contrarium fecit, eadem pag. 129. respondet eodem loco. s. pag. 136. dicens [Si damnat pueros ante baptismi susceptionem, hoc est, quia non seruauerunt mandatum, quod est, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum; adultum autem baptizatum damnat, non quia non seruauerit hoc mandatum, sed quia alia mandata præuaticatus est, quare una est causa omnium, propter quam damnantur. s. præuaticatio mandati, sed differunt in præceptis, nam illi unum, alij autem non illud, sed alia transgressi sunt] hæc ille. Quot hic errores? pueri propter peccatum originale, teste Apostolo, non ne sunt natura filii iræ? Vnde uidetur, quod solo nomine ponat peccatum originale, & confirmare præcedentem errorem, quod scilicet si Deus damnaret propter peccatum originale, non solum non esset iustus, sed omnino iniustus. Præterea si damnantur propter transgressionem præcepti, cum non habeant usum rationis, non ne obligentur ad impossibile? & quid de pueris, qui moriuntur in utero materno? Præterea consequenter tollit Limbum, nam dicit pueros damnari propter transgressionem præcepti, transgressio autem est peccatum actuale; & ibidem generaliter dicit, omnes transgressores præceptorum, detruendos esse in infernū, c. 23. pag. 139. inquit [Hoc omnino non est concedendū, quod ante mūdi constitutionē aliquos Deus prædestinauerit, ut in illis ostēdat misericordiā suā, & aliquos reprobauerit, siue propter peccatū originale, siue propter actualia, ut in illis ostendat iustitiā suam, quia hæc propositio repugnat Sacre scripturæ, & rationi] & c. 21. pag. 134. idē dicit [quod nullo. s. pacto Deus ab æterno aliquos reprobauit ex præuisione peccatorū, siue sit originale, siue actualia,

lia, sed omnes ordinauit, cōditionate tamē, ex qua cōditionali oritur reprobatio, quia non seruauerunt conditionem, quare (subiungit) si quærat, quæ sit causa reprobationis, dico, quod hæc uerba indigent declaratione, nam si quærat, quæ sit causa cur Deus à principio quosdam reprobauerit, dico esse falsum, non dariq; hanc reprobationem hoc pacto; Si autem quærat, quæ sit causa, id est cur aliqui non saluentur, dico esse in causa eorū praua opera, quia cum essent ordinati ad uitā æternā hac lege, ut bene facerent ipsi noluerunt, & semper respuerūt auxilia necessaria sibi à deo collata, & ideo dānati sūt, quare ipsi sūt causa suæ reprobationis. i. exclusionis à gloria; in scriptura autē dicitur Deū reprobare; eo quod ipse cōdidit legē qua aliqui illā nō seruantes reprobantur] hæc ille. Vbi manifeste tollit causā finalem æternæ reprobationis, quā ponit Apostolus, & adducūt omnes Sancti, ut. s. Deus manifestet iustitiā suā. Et uult Deū ab æterno non reprobasse homines, quos præuidit in peccato mortali morituros propter eorū peccata, ut in illis ostendat iustitiā suā, sed illos cōsequēter reprobatos, & dānatos remanere, quia nō adimplerūt cōditionē legis Dei. & explicat in quo cōsistat ista dānatio, & reprobatio dicēs [i. exclusionis à gloria] & cōsequēter loquitur, quia si Deus nō reprobat propter peccata, sed propter nō seruata cōditionē, cū qua ordinati sūt ad gloriā, reprobatio nō debet respicere pœnā peccatorū, sed solū exclusionē à gloria ob nō seruata conditionē; ad quod etiā facit id, quod dixit, pueros ob eadē causā dānari. & ita hoc loquēdi modo uidetur tollere pœnas inferni, quod est hæreticū: quas tamē in rei ueritate ipse nō tollit, ut pius, & catholicus, sed dum inaduertēter loquitur, hoc alii possent ex ipso deducere, c. 16. pag. 95. uidetur tenere, quod si Deus ab æterno aliquos ob eorū peccata reprobasset, ut in illis ostēderet iustitiā suā, nihil illis proderent opera bona, quæ faciūt, inquit. n. quid opus est carnis mortificatione, ut uiuamus postquā si nō fuerimus electi nil nobis proderit mortificatione nostra] quod sapit hæresim Ioānis Hus cōdēnatā in Cōcilio Cōstātiēsi sess. 15. quod. s. reprobatus nō possit aliquādo esse in gratia, & uiuū Ecclesiæ mēbrū. nā absolute dicit nil nobis proderit mortificatio nostra. multū quidē proderit etiā reprobato, & ad gratiæ dispositionē, & si est in gratia ad illius augmētū, & ad Dei beneficia impetrāda. c. 18. pag. 111. Sic exponit illud 1. Ioa. 2. Ex nobis prodierūt, sed nō erāt ex nobis, & c. [Si locus ille (inquit) debet exponi ad literā, dico, quod loquitur de hæreticis, & scismaticis, quod licet prodierint ex cœtu fidelium, fideles tamen nō erāt, si. n. fide-

les fuisset, una cum illis permassissent, usque in finem, & haec est expositio illius loci haec ille. Vbi insinuare uidetur, quod ille, qui semel fide suscepit, non possit illam amittere, & fieri haereticus, & scismaticus & quod haeretici ante haeresim nunquam fuerunt fideles. quod est falsissimum & pertinet ad haeresim Ioviniani, c. 19. pag. 120. non intelligens distinctionem meriti de condigno, & de congruo, ita explicat haeresim pelagianam, ut ab illa (quam tamen nullo modo tenet) eo modo quo explicat se defendere non possit; inquit. non quod mereamur de congruo gratiam iustificatam, & hoc non sapit haeresim pelagianam, nam Pelagiani dicebant primam gratiam mereri posse (nomine primae gratiae intelligit uocationem qua disponimur ad gratiam) nos autem de gratia iustificata, non de prima gratia loquimur. Si pelagianum est asserere, quod de congruo mereamur uocationem, quomodo non erit asserere, quod eodem merito mereamur gratiam iustificatam, qua filii dei efficiuntur? & si haec, quod maius est meremur, quomodo non meremur, etiam illam? & tamen, quod etiam illam mereamur paulo superius docuit pag. 119. distinguens. n. auxilia in uocationem, iustificationem, & perseverantiam, de illis omnibus dicit, quod deus illa dat si facimus, quod est in nobis, & paulo inferius meritum definit esse, facere, quod est in nobis. Cum dixerim, quod quauis dei uoluntas sit una, & simplicissima uirtualiter tamen & secundum nostrum modum intelligendi est multiplex, nam considerato homine sine peccato, & in gratia unum ei uult, illo considerato cum peccato, uult aliud. dicit pa. 130. quod facio deum inconstantem, & ignorantem; quasi non sint plenae scripturae isto modo loquendi, & ipse deus non dixerit, poenitet me fecisse hominem. aut alio modo de dei uoluntate loqui possimus. pa. 96. dicit, quod deus esset acceptator personarum si ex duobus peccatoribus unum eligeret, & alterum relinqueret, quasi sit nobis debitor, non ne potest iuste dicere uni tolle quod tuum est, & uade? Ex his discere reliqua, quae de proprio dicit. Ad ea autem, quae contra me scripsit, non est, quod respondeam, cum more andabiturum gladium in tenebris uentilet. Illud nihilominus credo esse, & sepe fuisse uirum religiosum, & piuum, & quod istos errores dixit, non quod male seferit, sed quia tanquam in theologia parum tunc uersatus ita tenendum esse credebat. Vnde in fine submisit se meliori iudicio, & praecipue Rom. Ecclesiae, & id totum, quod ei est contrarium, falsum & a se ignoranter dictum confitetur. Nunc autem doctior factus, aliter sentit; & considerans, quod ipsemet S. Aug. librum retractationum fecit, gaudebit, quod pro dei gloria, & animarum salute, sui nunc sint retractati errores, quos non dubito saepe deplorassem, & eorum a deo ueniam obtinuisse; sed prouidentum erat scadalo, & ne praerberet occasionem errandi; quod nos fecisse gaudebit, ut in omnibus, & pro omnia laudetur deo.

Aliorum

Aliorum Dubiorum Solutione, ostenditur Deum non esse causam peccati. Cap. XXV.

Tertium dubium est, quia causa peccati est defectibilitas uoluntatis, sed ista defectibilitas est a deo, qui uoluntatem defectibilem creauit, ergo erit etiam a deo peccatum quod est a defectibilitate uoluntatis, nam quicquid est causa causa, est etiam causa causati. Ad quod respondetur uoluntatis defectibilitatem non esse a deo, sicut a causa per se illam efficiente, sed consequi ex eo, quod est ex nihilo; & esse ex nihilo conuenit per se rei creatae, & non ei causatur ab alio; & sicut est ex nihilo, ita sibi relicta, & a deo non conseruata, resolveretur in nihil, & a deo potest annihilari; quoad defectibilitatem autem creaturae in suis operationibus, illae quae necessario agunt, & non subduntur contrariis agentibus, deficere non possunt, quia infallibiliter sequuntur dei directionem, ut sunt caeli; illae uero, quae contrarium habent, possunt succumbere, & deficere: nam generalis dei concursus est admodum causarum, cum fortibus est fortior, & cum debilibus debilior. Voluntas autem creata tam angelica, quam humana, licet non habeat contrarium tanquam spiritalis, & consequenter non possit ei uis inferri, ut ab agente superiori cogatur in suis operationibus deficere; potest tamen deficere ex conditione suae naturae, ex eo, quod est libera, & ex nihilo; nam ut libera est indifferens ad opposita, quatenus non habet suum esse a se, sed a deo ex nihilo creante, non est regula suarum operationum, & consequenter potest bonum, & malum eligere, bene, & male operari, quia potest sequi dei directionem, & ab ea deficere; & quod a recta regula deficere non possit, non habet, nec potest habere ex conditione naturae, sed potest habere ex gratia, sicut habent beati in patria, qui summum bonum sub ratione summi boni, non per speculum, & in aenigmate, sed facie ad faciem intuentur, a quo consequenter non possunt recedere, sub specie boni apparentis. & habuit etiam ex privilegio in hac uita Beata Virgo diuina corroborata gratia qua fuit repleta. Dato etiam, & non concessio, quod ista defectibilitas uoluntatis, esset a deo, adhuc non sequeretur, quod deus esset causa peccati, quod ex illius defectibilitate sequitur; quia causa peccati non est defectibilitas, sed actualis defectus in uoluntate, & uoluntas defectibilis non deficit necessario, & non est a deo creata, ut deficiat, sed ut non deficiat, & non deficiendo mereatur, & ut non deficiat a

Tertium dubium ratione defectibilitatis uoluntatis. Solutio. Vnde fit defectibilitas.

M m 3 Deo

Deo adiuuatur; quare defectibilitas voluntatis est à Deo ad merendum, nam ubi non est libertas, sed necessitas, ibi non est meritum; si ergo deficit non est in quantum est à Deo, sed defectus, & peccatum est solum à uoluntate, nam solus defectus causati, in quantum est causatum, reducitur in causam, & non ille, qui procedit à causato, sed non in quantum causatum; dicere autem quod Deus Angelos, & Homines non debuit liberos facere, ne possent peccare, est dicere, quod illos belluas, & non intellectuales, & rationales facere debuisset. dicere, quod illos debuit creare confirmatos in gratia, & beatos, est dicere, quod debuit tollere à creatura obedientiam, quam debet suo creatori, ceteras etiam uirtutes, & meritum, & quod rectum debuerit ordinem pervertere; nam cum ista confirmatio fiat per beatitudinem, quæ non est aliquid naturæ, sed naturæ finis supernaturalis, ad illam intellectualis, & rationalis creatura tendit per proprium appetitum, & operationem, & consequenter illam debet præcedere appetitus, & operatio, qua mereatur, tãquam uia ad terminum.

Quantum dubium Quartum dubium est. quia Deus potest impedire peccatum V. G. adulterij, & quodcumque aliud, & non impedit, ergo uideatur culpabilis, & magis quam homo, nam ad defectum culpabilem, tria requiruntur, quod sit ab agente, & non ex indebita materiæ dispositione, ut claudicatio, quod sit in potestate agentis, & quod non sit ignoratus ignorantia, quæ excuset; sed Deus immediate causat actum peccati, & non agit ex necessitate naturæ, sed libere, nec etiam ignorat deformitatem actui adiunctam.

Responsio Ad quod respondetur, illa tria non sufficere ad hoc, quod defectus culpabilis, consequens actum, imputetur agenti, sed requiritur etiam, quod agens debeat, & teneatur uitare, & impedire talem defectum, & oppositum illius defectus causare; hoc, autem nullo modo est in Deo, nam cum homini libertatem dederit, non debet liberas eius electiones, & operationes, quantumuis malas impedire, sed ad illas cum eo concurrere suo generali cõkursu, qui se tenet ex parte naturæ, & est quodammodo naturæ debitus; & eo minus potest Deo imputari peccatum si ad illius actum concurrat, & illud non impedit, non solum; quia est bonum ex parte Dei, & hoc requirit libera hominis uoluntas, sed etiam, quia nunquam permittit aliquod malum, quin ex illo eliciat maius bonum.

Quintum dubium ex quibusdam autoritatibus scripturæ.

Quintum dubium est, quia sunt multæ autoritates Sacræ scripturæ, quæ uidentur tribuere Deo peccatum, & quia nimis longum esset de singulis in particulari tractare; omnes ad duo

capi-

capita reduci possunt, in quibusdam enim locis dicitur malum esse à Deo, ut Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus?* in quibusdam dicitur indurare, & tradere in reprobum sensum, ut Rom. 1. Sed ad autoritates prioris generis facile respondetur, quia intelliguntur de malo pœnæ; maior autem difficultas est de aliis, quæ uidentur significare causam peccati. Chrysost. super cap. 1. ad Rom. tradere Dei, obdurare, & obcæcare, explicat, quod significet permittere. Orig. in lib. de tribus principiis in cap. de libertate arbitrii, & Bas. in homelia, quod Deus non est auctor malorum, exponunt, quod Deus sua maxima misericordia quæ non punit, dicitur obdurare, & obcæcare; dum peccatores ea abutentes magis peccant, non secus ac pater, qui fuit in filium benignior, ei postea dicit, quod sua nimia benignitate illum malum fecit, & sic dicunt intelligendum esse illud, Esa. 63. *Quare errare nos fecisti Domine, de uis tuis, indurasti cor nostrum ne timeamus te, conuertere propter seruos tuos.* conuertere scilicet affligendo; quod non est ex Dei misericordia, sed ex prauitate cordis, abutentis Dei misericordia, & huic expositioni cõsonat illud, Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit, secundum autem duritiam tuam, & impenitens cor thesaurizans tibi iram.* August. in lib. de grat. & lib. arb. cap. 20. explicat, & multis autoritatibus probat, quod excæcare, & indurare Dei, non sit solum permittere, sed inclinare hominis uoluntatē ad malum, & subiungit nullam ob id esse apud Deum iniquitatem. & 3. lib. de lib. arb. c. 18. ostendit, quod à Deo derelicti, & excæcati, necessario peccant, & Amb. super epist. ad Rom. inquit ideo excæcati sunt, ne de cætero possent credere, & saluari; quæ uerissimam Sanctorum dicta explicanda sunt, quia sic nude accepta possent pias aures offendere; & propterea sunt hic tria notanda, primum, quod deserere, & obcæcare Dei, dupliciter potest intelligi, primo omnino, ita quod sic derelictus, & excæcatus, nullo modo conuerti possit, & sic neminem deserit, sed omnes uocat, omnibus præsto est, & omnibus dat sufficiens, & plus quàm sufficiens auxilium, quo conuerti possint. 2. quia denegat quædam particularia auxilia, quæ si concederet, peccator conuertetur, & sic multos deserit, certum enim est nullum esse posse adeo obstinatum, quin Deus emollire, illuminare, & in uirum sanctissimum conuertere possit. Matt. 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ essent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio, & cinere penitentiam egissent.* quos autem sic deserit, iustissimo iudicio deserit, hoc exigentibus eorum peccatis, nec ob id conuerti possunt.

M. m. 4 sunt,

Responsio

Quomodo Deus obduret, & tradat in reprobum sensum.

sunt, nō solum, quia eorum culpa deseruntur, sed etiā quia dum sunt in uia, nunquā deserūtur omnino, sed illis sēper præsto est sufficiens Dei auxiliū, quo conuerti possint. Est secundo notandum, q̄ indurare, & excæcare, nō significat, quodcunq; deserre, & priuare gratia, nā sic omnes peccatores essent indurati, & excæcati, & quāuis aliquomodo sic dici possint, tamē scriptura hoc nō dicit de omnibus, sed de aliquibus in pœnā alicuius grauis peccati; sed significat aliquid amplius ex parte Dei, q̄ nō est peccatū, sed pœna peccati, & quadruplici de causa dicitur deus ista præstare. Prima, quia cū omnes homines uocare, & illuminare possit, nō tamē uult, quæ ratio est Aug. lib. de Prædest. & grat. c. 4. indurare (inquit) Deus dicitur eū, quē mollire noluerit; sic etiam repellere eum quem uocare noluerit. Secunda causa assignatur à S. Th. 3. cōtra Gent. c. 162. non solum, quia nō infundit gratiā, sed etiā, quia subtrahit auxilia specialia, tā interna quibus homo sit fortior ad benē operandū, & ad resistendū peccato; quā externa, quibus diuina prouidētia tolluntur occasiones peccādī, & prouocantia ad peccādū cōprimūtur; his. n. sublatis redditur magis inneptus ad Dei gratiā recipiendā, & facilius in omnia peccatorū genera ruit. Tertia est, quia cū homo sic est à Deo derelictus, dæmon contra illū habet maiore potestatem, imo tunc Deus utitur dæmone tanquā ministro ad exequēdam suā sententiā, & ad puniendā hominum peccata, ob quam causā de Saul. 1. Reg. 16. dicitur. *Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* quare propter multas hinc insurgentes tētationes, peccator magis obduratur in malo. Quarta est ob cordis prauitatē quia sicut unus solis calor, aliqua liquefacit, & alia indurat, & eadē pluuia in quibusdam locis fructus bonos, in alia malos producere facit, ita etiam eodem lumine male affectus dicitur excæcari, & benē affectus illuminari, sicut etiā eadē Christi doctrina audita, & eisdem miraculis uisus, quidā conuertebantur, & alii magis obstinati reddebantur; has causas insinuauit Deus Esa. 5. sub parabola uineæ, dicens, *Quid est, quod debui facere uineæ meæ, & non feci ei? Et nunc ostendam uobis, quid ego faciam uineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam materiam eius, &c.* Ex quibus sequitur quædam necessitas peccandi, non quod peccator nō libere peccet, uel non sit liberi arbitrii, sed quod naturæ suæ derelictus, & sic diuino destitutus auxilio, necessario peccabit, quia sine gratia non possunt uitari omnia peccata mortalia. hæc autem peccata libere cōmittet, de quolibet. n. peccato in particulari uerum est dicere, quod cum

illud

illud euitare potuisset, libere perpetravit, quemadmodum etiā de peccato ueniali dicimus; quare hæc necessitas nō tollit libertatē, & ob id peccator merito punitur propter huiusmodi peccata, præsertim cū sua culpa uenerit in hanc necessitatē; & cōtrariū asserere, nimirū q̄ uirtute liberi arbitrii possimus omnia peccata mortalia uitare est erroneū, ut. n. inquit Greg. peccatū, q̄ per penitentiā non deletur, suo pondere protinus in aliud trahit. Hanc peccandi necessitatē insinuauit Apost. Rom. 1. dicēs. *Tradidit illos Deus in reprobū sensum, ut faciant ea, quæ non cōueniūt, &c.* ubi illud [ut] non significat causā, sed consecutionem effectiui, ex hoc, quod traditi sunt in reprobū sensum. Non est autē Deus horū causa quatenus obduratio, & excæcatio importat motū uoluntatis auertentis se à diuino lumine, & inherētis malo, quia Deus (ut diximus) non est causa peccati, & ratio huius determinationis uoluntatis ad malum, sumitur ab ipsamet uoluntate, & non à Deo, cum illa concurrente, suo generali concursu.

De Prouidentia Dei, & quod maxime relucet, & omnes difficultates tollit in Incarnatione Verbi. Cap. XXVII.

Eisdē rationibus quibus superius probauimus Deum esse, probatur etiā Dei prouidētia, quā habet de omnibus rebus; sicut. n. ex creaturis euidenter probatur Deū esse, ita etiā ex eisdē creaturis, & ex his, quæ quotidie eueniunt, euidenter probatur Dei prouidentia, de qua nolimus in præsenti diffuse tractare, sed quātū satis est, & ut sit nobis uia ad Incarnationē Verbi. Et ut eisdē argumētis illā adhuc magis probemus, quibus impii impugnāt, notādū est tria esse entium genera; quædam sūt necessaria; quædam cōtingentia, & quædam libera: ex quibus uidetur posse argui contra diuinā prouidentiam; nam quæ necessaria sunt, necessario eueniunt, & non subduntur prouidentia, quia de illis non est cōsultatio, electio, & dispositio; Contingētia uero casu, & nō ratione fiunt, illa autē, quæ liberè agunt, ex propria dispositione, & ordinatione, & prouidentia operantur; si autē operarentur iuxta superiorem Dei prouidentiam, & dispositionē, nō operarentur liberè; Præterea Dei prouidētia maxime relucere debet, in extirpādis uitiis, & promouēdis uirtutibus, & in remuneratione bonorū, & punitione malorum; sed ut plurimum uidemus, quod bonis mala eueniunt, & malis bona, ex quo amplissima aperitur uitiorum porta; ergo quæ hominibus eueniunt casu, & fortuito, & non diuina prouidentia eueniunt.

Argumentū
contra diuinam
prouidentiam.

Qui

Solutione
argumen-
torū pro-
batur Dei
prouiden-
tia.
prouiden-
tia in re-
bus neces-
sariis.
prouiden-
tia in re-
bus libe-
ris.

Qui sic arguunt respiciunt ea, quæ sunt, sed non quomodo, & quare fiant; & propterea non est mirum, si tanquam cæci, diuinam prouidentiam non intuentur, quæ in eisdem rebus, & eandem distinctione relucet; nam quæ necessaria sunt, & necessario eueniunt, non sunt à se, nec propter se, sed à superiori causa, per ordinata media, & ad extrinsecos fines intrinsicè, & essentialiter ordinantur, ut sint principia contingentium, & liberè agentium, eorum concursu, & applicatione; sic autem illa disponere, & ordinare ad solam Dei prouidentiam pertinet, qui illa creauit, ut essent partes, & principia: principia autem debent esse firma, & immutabilia. Libere etiam agentia, ita libere agunt, ut diuinæ prouidentia subdantur, non enim tollit diuina prouidentia hominum libertatem, & particularem, quam ipsi habent de se, & suis prouidentia, cum concurrat cum omnibus causis, & rebus omnibus prouideat, iuxta naturam earum, cum liberis, libere, cum contingentibus, contingenter, & cum necessariis necessario. Quod autem hominum prouidentia, diuinam prouidentiam præsupponat, ei que subdatur, ex duobus maxime patet, primo, quia nec nobis, nec parentibus, nec amicis nostris, consulere, & prouidere possemus, nisi talibus signis essent inuicem, & ab aliis distincti, quibus discernantur, & cognoscantur; quis enim esset amor, quæ cura, & sollicitudo, quomodo firma essent, quæ disponimus; aut quomodo possemus inimicos fugere, si non cognosceremus, patrem, matrem, uxorem, filios, parentes, amicos, & inimicos? cum autem simus omnes eiusdem nature, quod omnes, & singuli, propriis signis distinguantur, & discernantur, ad diuinam prouidentiam pertinet, quæ maxime in hoc relucet, nam si sumantur millia millium hominum, tanta est in qualibet eorum facie diuersitas, ut duo non sint omnino similes, sed quilibet inter eos, & ab aliis omnibus, solo aspectu discerni potest; Et ut possimus distincte, & particulariter cognoscere, etiam illos quos in facie non uidemus, sed audimus loquentes, ita distinxit singulorum uoces, ut quilibet sua uoce, & modo loquendi possit etiam cognosci; Et quia ad humanam conversationem, & contrectationem, necessarium etiam est cognoscere absentes, & cum absentibus contrahere, & promissiones factas transeuntibus uerbis, confirmare, ut semper appareant, & negari non possint, ideo disposuit, ut omnes quamuis proprio studio discant scribere, ita scribant, ut quilibet ex eius characteribus cognosci possit, quod non ita est de operibus aliarum artium. Secundo, quia alia res sunt humano usui, & dispositioni

a Deo

à Deo accommodatæ, & sic accommodatæ sunt, sicut etiam ipsi met homines, qui sibi ipsis, uel aliis prouident, ut necessarium sit fateri, omnem humanam curam, & sollicitudinem Deo commendandam esse: & uanam esse, nisi Deus inuerit, & diuinæ dispositioni fuerit conformis: unde sæpe uidemus præter omnem spem, contrarium euenire, his quæ disposuimus; & quod licet eueniant, quæ disposuimus, non ob id sequitur effectus à nobis intentus, sed ille, qui à maiori, & diuina prouidentia fuit præordinatus; exemplum habemus de fratribus Ioseph, qui contra illum fecerunt, quæ uoluerunt, ne illi seruirent, illumque adoraret, iuxta diuinam dispositionem; quæ Deus permisit, quia non tollit libertatem, quam dedit, sed illa eadem ordinauit, ut media, ut illi tandem seruirent, cum ex malis eliciat bona. Illa etiam, quæ sunt contingentia, & casu eueniunt, non sunt à casu respectu Dei, sed respectu nostri, quia non fuerunt à nobis præcognita; & potest esse, quod aliquid tibi sit à casu, & non mihi, quia ex dispositione mea, tibi præter expectationem accidit. quod autem nihil sit à casu respectu Dei, sed omnia secundum illius eternam dispositionem, patet non solum euidenti ratione, quia est omnium præsciens, & omnia conseruat, & gubernat, sed etiam euidenti experientia, quia sunt, uel ad puniendum mala, uel ad remunerandum bona, uel ad præcauendum mala, uel ad promouendum bona, uel ad emendationem, uel ad exercitium; si malis bona eueniunt, est ut remunerentur bona ab illis facta, quæ non sunt digna æterna remuneratione, ut diuinam misericordiam agnoscentes, conuertantur; ut per illos etiam boni exerceantur, & probentur; Si bonis mala eueniunt, est ut purgetur, exerceantur, conseruentur, mereantur; uera enim punitio, & remuneratio non potest esse in hac uita, cum debeat esse æterna; horum rationem, sæpe sciunt, uel scire possunt illi quibus eueniunt, præcipue mala; qui autem illam aliquando non assequuntur, ex aliis horum causis, eis euidenter notis, sciant bonum, & iustum esse, quod accidit, & secundum externam iustitiam uidetur malum, quia homo uidet, quæ foris, & præsentia sunt, Deus autem intuetur cor, & nobis futura, cum omnia sint illi in sua æternitate præsentia, & diuinam prouidentiam nullo modo arguant, sed cum timore, & tremore uenerentur, & illi suum captiuent intellectum, quia *iudicia Dei abyssus multa*. Et ad temeritatem nostram reprimendam, fideliumque ædificationem, exemplum adducam ex Vitis Sanctorum Patrum. de quodam heremita, qui sæpe Deum orauit, ut illi sua iudicia reuelaret, & Deus

prouiden-
tia in re-
bus con-
tingenti-
bus.

Exemplū
de Diuina
prouiden-
tia.

ad

ad eum Angelum misit, sub specie heremitæ, qui illum secum per heremum duxit, ut Sanctos Patres uisitare; accesserunt ad unum, qui illos benignè recepit, eorum pedes lauit, eisq; cenam, & hospitium dedit, at mane discedentes, Angelus illius catinum clanculo surripuit, quod ubi postea agnouisset heremita, filium suum ad eos pro catino misit, Angelus uero illum in fossam deiecit, & interiit; nocte ad aliud heremitorium uenerunt, & cum heremita nollet eos hospitio pro illa nocte recipere, sed uerbis iniuriosis expelleret, tandem illorum precibus uictus, iussit ut in stabulo reciperentur, eisq; non daretur, nec panis, nec lumen, & cum uellent mane discedere, Angelus illi heremita donauit catinum, quæ cum uidisset alter qui erat cum Angelo, & de his scâdâlizatus Angelum argueret, quem heremitam putabat, illi respondit se Angelum esse à Deo missum, ut iuxta orationem suam, Dei iudicia ei reuelaret, catinus ille (dixit) nõ fuit licite acquisitus, & propterea non conueniebat, ut apud Sanctum hominem esset, illius filium occidi, quia reuelate Deo sciui, quod si uixisset patrem suum esset occisurus, catinum alteri nequam dedi, pro bonis, quæ fecit, quæ non sunt digna æterna remuneratione, & ut iustissimo Dei iudicio, illi esset in ruina;

Quamuis Dei prouidentia in rebus omnibus reluceat, tamè quia ea, quæ fiunt, assiduitate uiluerunt, multi non considerant Dei uirtutem in illis, sed putant omnia sine aliqua æterna Dei dispositione, & prouidentia à suis proximis causis ita euenire: Deus infinita sua misericordia, uolens omnes ab errorum tenebris ad lucem ueritatis reducere, quædam opera præter cõsuetum naturæ ordinem sæpe fecit, & summa prouidentia mutauit ordinariæ prouidentiaæ cursum, qui immutabilis uidebatur, ut uel sic illius prouidentiam fateri cogamur, cum illi effectus proximis causis nullo modo tribui possint. Cum igitur quædam necessario, quædam contingenter, quædam libere eueniant; fecit ut quæ necessario euentura erant, & quæ secundum naturæ cursum impediri non poterant, impedirentur, ut quod leones esurientes non nocerent Danieli, quod ignis non combureret tres pueros in eo positos, quod sol staret ad præceptum Iosue. Fecit etiam, ut contingentia, quæ humanæ uoluntati, & directioni nullo modo subduntur, ei subdantur, petiit Gedeon posito uellere lanæ in area, primo quod pluuia descêdat super solum uellus, & tota area sit sicca, deinde, quod descendat super solum terram, & uellus sit sicca; Elias orauit, ut nõ plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex, & rursum orauit, &

cælum dedit pluuiam. Quoad libera fecit, ut quæ facillime possumus, non possimus, & quæ uolumus, mutata uoluntate, nolumus: quid facilius sano, quam illa proferre uerba, quæ mente concepit? & tamen Balaam cum uellet maledicere populo dei, & ad maledicendum aperuisset os suum, benedixit, & profetauit, nec unquam potuit maledicere. Volebat Valens Imperator mittere in exilium S. Basilium; & cum uellet impium decretum scribere, tres ab eo adhiberi calami atramentum non reddiderunt, sella in qua sedebat est contrafacta, & cum in proposito scribendi impium decretum perfisteret, ipsius dextera, dissolutis nervis, tota contremuit, adeo quod mutata uoluntate, chartam utraque manu conscidit.

Dedit etiam nobis deus perfectissimum æternæ suæ prouidentiaæ exemplum, in quo omnes difficultates tollerentur, & hoc est Incarnatio Verbi, nam ad illam certam generationum, eligit lineam ex semine dauid, cui factæ sunt à deo promissiones, quæ linea tanquam contingens, multipliciter poterat impediri, & omnes causæ, quæ poterant esse respectu cuiuslibet dictæ lineæ, reducuntur ad tres, quæ omnes ad illam terminandam concurrerunt; & diuina prouidentia, ut firma esset promissio, illam terminare non potuerunt, Primo sunt causæ naturales, mortem, & sterilitatem necessario naturaliter causantes, quæ sunt in duplici differentia quædam sunt uniuersales ut cœli, quædam proximæ, & particularès, quæ simul concurrunt propter quas terminanda erat, in Regè Ezechia, qui ægrotauit ad mortem, iuxta uerbum domini per Esaiam, *Dispone domui tue, quia morieris tu, & non uiues*, secundum exigentiam, scilicet, causarum naturalium, & non habebat filios quem tamen deus miraculose sanauit, & quindecim annos uitæ ei adiecit; Vt autem cognoscere mus illius sanitatem esse à deo, & quod naturaliter debebat mori, signum dedit in solè causa uniuersali, quem retrocedere fecit decem lineis, ut patuit in eius umbra horologij, & longitudine diei, quod constat naturaliter esse impossibile; ne posset etiam tribui causæ particulari, Esaias adhibuit pro sanitate medicamentum contrarium, quod mortem accelerare debebat, cum n. laboraret morbo regio, cui omnia dulcia sunt contraria, accepit massam de ficis, & cataplasmauit, & posuit super vulnus eius, & sanatus est. Secundo est causa uoluntaria, quia poterat quis nolle accipere uxorem, & non accipere, & sic mori sine filiis, ob quam causam terminanda erat in eodem Ezechia, quia quando ægrotauit ad mortem, non habuit uxorem, nec uoluit

Quoad libera.

Quod Incarnatio Verbi sit perfectissimè exemplum diuinæ prouidentiaæ.

Deus prouidentiam, quam habet mutaculis ostendit.

Quoad necessaria.

Quoad contingentia.

luit eam ducere. sed ut inquit Lyra ex Rabbiorum etiã sententia, deus propter hanc causã illã infirmitatem ad mortẽ ei permisit, & quod moriturus esset significauit, unde agnoscens suũ errorem, Deum exorauit, & sanitate recepta, uxorem duxit, & habuit filiũ Manassẽ, qui ut dicitur 4. Reg. 21. erat duodecim annorum quando mortuus est Ezechias pater eius, ex quo patet, quod illum genuit post sanitatem ei redditam, cum superuixerit quindecim annos. Tertio impeditur aliqua Dei promissio etiam pro tempore sempiterno, propter peccata illorum quibus facta est, ut patet de promissione facta Heli Sacerdoti, & Sauli Regi, quia intelligitur conditionata; & in linea Dauid fuerunt multi impii, & idololatræ, imo etiam ipse Dauid grauius peccauit, & tamen Deus uoluit promissionem suam de Incarnatione Verbi, esse firmam, quia fuit absoluta, & non conditionata, pro redemptione generis humani; & hoc significauit ipse Dauid, ps. 50. dicens, *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificaberis in sermonibus tuis.* id est ex meo peccato iustificaberis, quia te ueracem ostendis, non solum in hoc, quod parcis poenitenti, sed etiam, quia propter peccatum, & ingrãtitudinem meã & meorum, nõ mihi denegas, quod absolute promisisti, de Messia ex me nascituro, ut benẽ exponit Rupertus Abbas de Victoria Verbi Dei, lib. 4. c. 28. & 29. Nato Christo iuxta promissiones de illo factas, in eo tolluntur reliquæ omnes difficultates de diuina prouidentia; nam quod pati paupertatem, opprobria, mala omnia, & mortem ipsam, iniuste ab inimicis illatam, non sit malũ bonis, sed causa maioris boni, patet in Christo, qui fuit adeo pauper, ut diceret Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suũ; & tanta passus est, quod exprimi non possunt, & tandem inter duos latrones fuit crucifixus, quæ omnia uoluntarie sustinuit. Quod Deus ex malis, quæ permittit, eliciat bonũ, patet in Christo, quem iudẽi occidere uoluerunt, & Deus permisit, ut in eo facerent, quæ uolebant, & permisi auctorem uitæ occiderunt, quod fuit scelus grauius, ex illo tamen eliquit Deus destructionem mortis, & æternam generis humani salutem. Quod autem Deus ita permittat peccata, & tanquam causa uniuersalis, ad peccatorum actus concurrat, ut ei non placeant, sed sumẽ displiceant, & illa seueriter puniat; in Christo manifeste ostenditur, qui peccare non potuit, sed quia omnium hominum peccata in se suscepit, Pater illi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quod etiam deus, qui homines propter æternam

nam

nam beatitudinem creauit, & illos propter eorum peccata in ultimo iudicio ad ignem deputat æternum, nolit cuiusquam perditionem, sed omnes saluos fieri, patet in Christo, nam ideo filius Dei factus est homo, ut homines redimeret, & illos omnes, qui ei adhærere uellent, a principio mundi, usq; ad finem, saluaret.

De Sacratissimo Incarnationis Mysterio.

Cap. XXVII.

Incarnationis mysterium in hoc consistit, quod æternus dei filius, naturam humanam, sine peccato, de Sancta, & Immaculata Maria Virgine, sine hominis opera, sed Spiritu Sancto (quod per appropriationẽ intelligitur, opera. n. dei ad extra sunt toti Trinitati communia) cooperante in unitatem personæ assumpsit. Sed ad maiorem huius infiniti, & inexplicabilis Sacramenti declarationem; notandum est, quod suppositum, siue hypostasis est substantia perfecta per se existens, & si addatur, quod sit rationalis, seu intellectiue naturæ dicetur persona (ut superius diximus) In supposito autem, seu personæ & hypostasi, cum sit substantia subsistens, duo considerantur, ipsa. s. substantia, seu natura, uel essentia, & id quo mediante natura subsistit. Sicut enim corpus est album ratione formæ albedinis, ita etiam natura, seu essentia, quodammodo subsistit ratione cuiusdam formæ, quæ dicitur subsistentia; & si in quibusdam rebus subsistentibus inuenitur aliquid, quod nõ pertineat ad rationem speciei. s. accidentia, & principia indiuiduantia, ut in compositis substantiis, in iis suppositum a natura, non solum ratione, sed etiam re differt, non quasi aliqua res omnino separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura, & superadduntur quædam alia, quæ sunt præter rationem speciei; at si res aliqua sit, in qua nihil aliud omnino sit, præter rationem suæ naturæ, sicut est in deo, ibi suppositum non est aliud, secundum rationem intelligendi, quia natura dicitur, secundum quod est essentia quædam, quæ etiam secundum quod est subsistens, dicitur suppositum. Cum autem in supposito sint natura, & subsistentia duplex poterit esse aliquorum unio, uel in natura, uel in supposito. Illa uniuntur in natura, ex quibus alicuius speciei integritas constituitur, sicut anima, & corpus humanum, & uniuersaliter partes speciei: at quod alicui speciei in sua integritate iam constitutæ, aliquid extraneum in unitatem natu-

re

re uniatur, sine solutione speciei, est impossibile, sunt enim species sicut numeri, in quibus quælibet unitas addita, uel subtracta, uariat speciem. contingit tamen id, quod non est de integritate speciei, in aliquo indiuiduo, sub illa specie contento reperiri, sicut albedo, Musica, sextus digitus, & huiusmodi in Socrate; quæ non in natura, sed in supposito, seu persona uniuntur. Quibus suppositis ad Incarnationis Mysterium ascendamus, & dicimus, quod cum sint tres Sanctissimæ Trinitatis personæ, secunda sola humanam naturam assumpsit, non in unitatem naturæ, ut ex natura diuina, & humana facta fuerit una natura, ut Eutices, & Dioscorus impii hæretici dixerunt, nec in accidentalem unionem, ut putauit Nestorius, qui duas in Christo distinguens personas, dixit Verbum esse homini unitum, secundum inhabitationem, uelut in templo, & secundum uoluntatis conformitatem, specialemq; gratiam; sed in unitatem personæ. illa enim natura humana, quæ a dei filio assumpta fuit, perfecta est ex anima, & corpore, cui subsistentia humana debebatur, ut subsisteret, sed in eodem instanti creationis illius naturæ, quo corpus Spiritus sancti opere de purissimis Sanctissimæ Virginis Mariæ sanguinibus formatum fuit, & anima creata, & illi corpori unita fuit, dei Filius illi naturæ loco propriæ subsistentiæ humane, quam habitura erat, suam diuinam subsistentiam dedit, ut per eum uerè existeret, ac si propriam haberet; & ita natura humana fuit unita cum natura diuina, in persona filii, ex quo factum est, ut sicut in Trinitatis mysterio, est una natura in tribus personis, ita è contra, in hoc Incarnationis mysterio, sint tres naturæ in una persona, natura. s. diuina, & natura humana, quæ cum ex anima, & corpore constet, duæ possunt dici naturæ; Nec obstat omnimoda realis identitas naturæ, & personæ diuinæ, ut unio etiam in natura diuina facta dicatur, quia natura, & persona diuina, ut dixi, ratione, & modo significandi differunt. Natura enim diuina habet rationem naturæ: persona uerò diuina habet rationem subsistentis in natura, natura autem humana sic unitur Verbo, ut Verbum in ea subsistat, & non ut aliquid ei ad rationem diuinæ naturæ addatur; uel ut eius natura in aliud transmutetur. quare hæc unio cum nihil addat ipsi naturæ diuinæ, nec per appositionem, nec per transmutationem, sed addat personæ, quia persona filii in humana natura subsistit, & personæ, ut distinguitur contra naturam, est subsistere in natura; nõ in natura, sed in persona facta est. Cum ergo in persona filii, sint natura diuina, & humana, & de unaquaque persona dici possit, ea

fit, ea quæ competunt illi naturæ, cuius est persona, de Christo dici possunt, ea omnia, quæ Deo, & homini conueniunt. dicitur enim ratione diuinæ naturæ, Deus, æternus, omnipotens, impassibilis, totius uniuersi creator, & rector; ratione uerò naturæ humane dicitur homo, natus, mortuus, & sepultus, & homo ratione diuini suppositi, in quo natura humana, cum diuina unitur, dicitur Deus, æternus, immortalis, &c. & Deus ratione humane nature, cum diuina natura in diuino supposito unitæ, dicitur, natus, mortuus, & sepultus: quæ diuersa, & repugnantia prædicata, de Christo dicuntur, propter diuersas naturas in eo existentes, quæ cum sint impermixtæ huiusmodi prædicationes non possunt de ipsis naturis fieri, attribuendo uni naturæ, quæ sunt alterius: non enim dicitur natura diuina passibilis, uel natura humana æterna.

De causa, & necessitate Incarnationis.

Cap. XXVIII.

Quod Christus sit Filius Dei incarnatus, uerus Deus, & uerus homo, probauimus in libro præcedenti contra Iudæos; Cum autem sit uerus Deus, summa stultitia, & extrema impietas est, non credere, non recipere, aut non seruare ea, quæ docuit, instituit, & præcepit: Multa de Christi mysteriis dici possent, & ut inquit Ioa. ipse mundus non posset capere eos, qui scribendi essent libri: Nos autem tria breuiter adhuc de Christo iuxta promissa explicabimus, primo, quæ fuerit Incarnationis necessitas. 2. quod ita pro nobis meruit, & satisfecit, ut non ob id tollat nostra bona opera, nostrum meritum, nostramq; satisfactionem; sed ea requirat, eisq; uirtutem, & efficaciam tribuat. 3. quare pro solis hominibus uenerit, & mortuus sit, & non etiam pro dæmonibus, & quare illius passio non profit damnatis.

Causa propter quam Filius Dei factus est homo, fuit ut redimeret genus humanum, & pro illius redemptione Deo satisfaceret; ad quod non sufficiebat pura creatura. Sed ut hoc melius explicemus, notandum est, quod satisfactio est actus iustitiæ, secundum quam redditur æquiualens, & tantum quantum ablatum fuit, ut sic de iustitia tollatur, & remittatur debitum, & hæc satisfactio dupliciter fieri potest, uel de proprio, & tunc est perfectissima satisfactio, quæ non innititur gratiæ, & liberalitati; uel de alieno, & hæc fundatur in misericordia tribuentis, ut ille

De causa Incarnationis.

Duplex modus satisfaciendi.

Non satisfaciendi.

satisfaciat, qui aliàs satisfacere non poterat. quo etiam modo distinguimus meritum de condigno, cui de iustitia debetur premium; nam quoddam est proprie, & simpliciter sumptum, quod innititur ualori proprii operis, & nō liberalitati alterius; quoddam autem est, quod innititur alterius liberalitati, comunicantis proprium meritum, & utroque modo potest esse meritum, & satisfactio unius hominis ad alium hominem; at priori modo solus Christus potest mereri à Deo, & pro iniuria ei illata satisfacere; Communicatione autem meriti, & satisfactionis Christi, per gratiam, & charitatem possumus etiam nos de cōdigno mereri, & satisfacere; Est tamen differentia inter satisfactionem, & meritum; quia non datur satisfactio de congruo, sicut datur meritum de congruo; & ratio est, quia satisfactio est pro pœna debita culpæ, non potest autem remitti pœna nisi remittatur, uel sic remissa culpa; & propterea Deo satisfaciens, debet esse in gratia; cuius etiam ratio est, quia satisfactio est actus iustitiæ, & manente culpa nulla potest esse satisfactio pro pœna, quia implicat, quod pœna sit soluta, & culpa remaneat; at meritum potest respicere bona temporalia, quæ Deus concedit, etiam suis inimicis, & propterea manente culpa potest esse meritum operibus bonis factis in peccato mortali, fundatum in misericordia, & liberalitate Dei, ut dicemus inferius.

Quo ueluti fundamento supposito; & supposito etiam, quod superius diximus de peccato Adæ, supposita quoque communi distinctione de necessario ad finem, uel simpliciter, uel ex suppositione, Dicimus primo, quod nulla pura creatura potest simpliciter, & proprie satisfacere Deo, de proprio, pro peccato proprio, & multo minus pro redemptione totius generis humani; loquimur modo de satisfactione seclusa gratia, & considerata creatura satisfaciens in puris naturalibus. & probatur primo, quia peccatum cōtra Deum commissum, est duplici ratione infinitū, Primo ex parte eius cui fit iniuria, qui est Deus infinitus, tanto enim maior est iniuria, quanto maior est ille in quem peccatur. 2. ex parte boni, quod per peccatum tollitur, quod est æterna beatitudo; & si sermo sit de peccato Adæ, est tertio infinitum ex parte naturæ, quam corrumpit, quæ habet quandam infinitatem, in quantum de se est multiplicabilis per infinita supposita. sed pura creatura est finita, ergo non potest reddere æquiualeus infinitum, quod est necessarium ad simpliciter perfectam satisfactionem; Et confirmatur, quia sic homo non potest aliquando satisfacere homini, ut si commisisset peccatum pro quo

quō mereatur à iudice sibi mortem corporalem infligi; quia nullum temporale habet homo, quod æquiualeat uitæ suæ, ergo multo minus poterit satisfacere Deo. Probatur secundo, quia nullus potest satisfacere alicui, eo, quod est illi debitum; sed quælibet creatura debet Deo totum suum esse, & operari; ergo non habet unde satisfaciat; & confirmatur, quia si non possumus reddere Deo debitas gratias pro acceptis beneficiis, ergo multo minus poterimus ei exhibere debitam satisfactionem, ad æqualitatem. Aliqui in contrarium sic arguunt, quia quantum malum fuit auersio à Deo per peccatum, tantum bonum est conuersio ad Deum per charitatem; quantum etiam bonum naturæ fuit inesse actui meo, tantum bonum, & non plus abstulit peccatum meum, & tantum bonum potest inesse actui secundo, ergo per illum actum, & per cōuersionem, redditur omnino æquiualeus, & cōsequenter purus homo poterit Deo satisfacere; Sed respondetur, concedendo tantum bonum esse conuersionem in Deum per charitatem, quantum fuit malum auersio à Deo per peccatū; & quod charitas, qua informatus fuit primus actus, & quæ abstulit peccatū, potest inesse secundo actui; non tamen ob id sequitur, quod purus homo uiribus naturæ, possit Deo satisfacere, & reddere æquiualeus; nam potest quidem à Deo auerti, & charitatem amittere; non tamen potest uiribus propriis charitatem recuperare, & per charitatem ad Deum conuerti; & ita actus meus, ut meus est, potest tollere longe maius bonum, potens illi inesse, quam possit in eo postea reponere; iuxta illud Ose. 13. perditio tua ex te, salus autem ex me, sicut possum alteri, & mihi auferre uitam, quam postea restituere non possum.

Dicimus secundo, quod ex Dei misericordia, & gratuita illius acceptatione, potuisset purus homo satisfacere pro peccatis, non solum propriis, sed etiam totius generis humani; potuisset enim non ordinare Filii Incarnationem, & dare hominibus gratiam per se, & non ex merito Christi, cuius uirtute conuertantur ad Deum, & satisfaciant. & sicut Adam peccauit omnium nomine, ut patet omnium, ita etiam potuisset Deus facere, quod omnium nomine conuerteretur, & pœnitentiam ageret. Vnde S. Aug. 13. de Trinit. cap. 10. docet Deo fuisse possibilem alium modum nostræ redemptionis, quam per Incarnationem, & Christi passionem.

Dicimus tertio supposito, quod Deus, non solum tanquam iustus, & pro iustitia zelans, sed etiam tanquam summe misericors, ut exacta, & perfecta satisfactione à nobis exigendo, sumum erga nos amorem

Differentia inter satisfactionem, & meritum.

Nulla pura creatura potest simpliciter satisfacere Deo.

Argumentum in contrarium.

solutio argumenti.

Ex gratia acceptatione purus homo satisfacere potuisset.

ad perfectam satisfactionem necessarium fuit Dei Filium incarnari.

ostenderet, sūmā nobis misericordiā faceret, & infinitū nobis filii sui donū, in pretium, & redemptionem offerēdum daret) uoluerit satisfactionē simpliciter perfectā, per redditiōē æquiualentis, non alias debiti, pura creatura nō potuit satisfacere; sed necessarium fuit Filium Dei incarnari; nām solus Deus poterat cū sit infinitus, sed non debebat; tū quia satisfactio illi fieri debebat, qui fuerat offensus, tum etiam quia satisfactio debebat fieri ab homine, qui peccauerat. nec etiā poterat, quia licet posset tanquam infinitus, non tamen poterat pati, tanquā spiritus, & impalsibilis, & satisfactio passione fieri debebat; unde necessarium fuit, ut Filius dei carnem assumeret, & efficeretur homo; in quo (ut inquit Damascen. lib. 3. de Fide Orthod. c. 1.) Deus ostendit suam bonitatem, sapientiam, iustitiam, & potētiam, Bonitatem, quia non despexit proprii plasmatis infirmitatem, Iustitiam uero, quoniam homine uicto, non alio, quam homine fecit uinci tyrannum, neque ui eripuit ex morte hominem, Sapientiam, quia inuenit difficillimi decentissimam solutionem. Potentiam uero siue uirtutem infinitam, quia nihil est maius, quā Deum fieri hominem. Sed uideri alicui posset, quod Christus non satisfecerit, secundum æqualitatem ad culpam commissā; nam culpa est infinita, ut diximus, & passio Christi etiam accepta, secundum totam rationem meriti, est bonum finitum, quia non est bonū increatum, ergo non acceptatur à Deo infinite ex parte obiecti, quia non est Deus beatus amando illam passionē, sicut est beatus amando suā essentiā. Præterea Christus inquantū homo, uel ratione naturæ humanæ, non potuit reddere æquiualens beneficiis omnibus à Deo receptis; Deo. n. & parentibus non potest reddi æquiualens 8. Ethic. ergo non potuit reddere æquiuales pro peccatis humanæ naturæ; nā redditio æquiualentis, oportet, q̄ sit de non alias debito, illi cui redditur; si autem actus Christi nō sufficit ad æquādū beneficia, & quicquid est in Christo, secundū naturā humanā est deo obligatū, & debitū pro beneficiis acceptis, nihil ei supererit quo possit aliorum culpas æquare. Ad quod respōdetur humanas Christi actiones, ut amare Deū, uolūtariē pati, & huiusmodi dupliciter posse cōsiderari, primo, secundū suum esse, quatenus sūt res quædā particulares, in certo genere entis, & sic sunt entia finita simpliciter, nō enim sunt diuina essentia. Secundo, quatenus sunt res personæ diuinæ, ut proprii subiecti cuius sunt, & sic sunt entia infinita personaliter, & sunt uirtutis, & efficaciam infinite in genere meriti, & satisfactionis; quia sunt opera personæ diuinæ, quæ est infinita;

cum

Dubium
quomodo
Christi satisfactio
fuerit infinita.

Solutio
dubii.

cum enim actiones sint suppositorum, uim, & efficaciam habent à suppositis quorum sunt; licet igitur passio Christi, in se considerata, sit essentialiter bonum finitum, considerata tamen, ut est personæ diuinæ, in natura humana sibi hypostatice unita, est bonum ratione personæ, personaliter infinitum; & consequenter ex hoc, quod persona Christi soluit pro peccato, illius satisfactio est infinita, & non solum adæquat offensam infinitam, ex infinitate Maiestatis offensæ, sed etiam in infinitum excedit, quia non solum est infinita ex parte obiecti, sicut peccatū, quia scilicet est accepta Maiestati infinitæ, sed etiā ex parte operantis, quia est à Persona, & Maiestate infinita. & quatenus sic infinita, non solum adæquat, & excedit omnes offensas totius mundi contra Deum, sed etiam adæquat, & excedit omnia beneficia à Deo collata toti mundo, & etiam humanæ naturæ assumptæ; & consequenter potuit Deo reddere dignas gratias pro omnibus beneficiis à Deo, & toti mundo, & humanæ naturæ assumptæ, collatis, & dignam, & æquiualentem, & in infinitum superexcedentem satisfactionem pro peccatis non solum totius mundi, sed etiam infinitorum mundorum, si infiniti essent. Nec obstat, quod Persona diuina hæc operabatur mediante natura humana, quæ est finita; quia operans erat persona diuina infinita, à qua illius operationes, mediante natura humana, habuerunt uirtutem infinitam, unde etiam uidemus, quod mediante natura humana, fecit opera diuina, humanam uirtutem excedentia, multa. s. miracula uerbo, & tactu. Nec etiam obstat id quod dicitur, Deo, & parentibus non posse reddi æquiualens, quia intelligitur de creatura; nam persona diuina incarnata reddit æquiualens. Nec etiam obstat, quod quanto magis creatura gratias agit Deo, tanto magis obligatur Deo, cum ipsa gratiarum actio sit nouum beneficium illi à Deo collatum. nam in personam diuinam in se nullum redundat beneficium ex gratiarum actione, nec ullum fuit à principio incarnationis præstitum beneficium personæ diuinæ, sed naturæ assumptæ, & ideo persona diuina operans humanos actus personaliter diuinos, & illos Deo in gratiarum actiones, & in satisfactionem offerens, omnia beneficia, & omnes offensas adæquat, & excedit.

Quomodo Christus potuerit pati cum esset comprehensor, An eius anima sit passa, secundum superiores rationes, & An dolor Christi fuerit maior illo damnatorum.

Ca. XXIX.

Quomodo potuerit pati cum esset comprehensor.

Solutio dubii.

DE Christi passione dubium est, quomodo potuerit pati, saltem secundum superiorem portionem rationis, cum fuerit comprehensor, & illius anima ab instanti conceptionis fuerit beata; dolor enim, & gaudium contrariantur, & contraria non possunt esse simul in eodem, ergo cum anima Christi secundum portionem superiorem semper haberet gaudium diuinæ fruitionis, quod tolli, aut minui non potuit; non uidetur, quod aliquis dolor potuerit, usque ad illam superiorem portionem ascendere. Et si dicatur, quod gaudium, & tristitia in Christo non contrariebantur, quia non erant de eodem, sed respectu diuersorum, & propterea simul in eadem animæ portione, esse poterant; non uidetur euacuari difficultas; nam licet gaudium, & tristitia oriantur ex diuersis causis, ex se tamen sunt contraria, & se inuicem mutuo expellunt ab eodem subiecto, & 7. Ethic. cap. 18. dicit Arist. quod delectatio uehemens, expellit tristitiam, non solum oppositam, sed etiam contingentem, & e contra. Pro cuius solutione notandum est, quod anima quantum ad præsens attinet, dupliciter potest considerari; primo, secundum suam essentiam. 2. ratione suarum potentialium, ipsæ etiam potentiæ possunt dupliciter considerari, & respectu animæ cuius sunt potentiæ, & in qua sunt, ut in subiecto; & respectu actuum earum, quibus propria obiecta percipiunt; Et secundum has omnes considerationes, & respectus, possumus loqui de animæ Christi dolore, tristitia, & gaudio; & ut repetitionem euitemus, cum anima sit spiritus, & simplex, & subiectum omnium suarum potentialium, non secundum partes, sed secundum se totam, & sic etiam sit forma corporis, tota in toto, & tota in qualibet parte, tota dolebat, & tristabatur, ratione aliquarum suarum potentialium, & ratione corporis, cuius est forma; & simul etiam tota gaudebat ratione superioris portionis animæ, qua Diuina essentia fruebatur; & cum dolor, & gaudium non essent in Christo, secundum idem, sed de rebus diuersis, & si etiam de eadem re, diuersa tamen ratione, non erant in Christo contraria, & poterant simul esse; nam contrarietas sumenda est

est secundum idem. unde uidemus eandem rem dici magnam, & paruam, diuersa ratione, & quod nos etiam de eadem re, diuersis respectibus gaudemus, & tristamur. quod autem in nobis tristitia uehemens impediatur quamcunque delectationem, etiam non contrariam, & e conuerso, ut inquit Arif. & experientia docet; est ratione redundantia, quæ naturaliter fit ab una potentia animæ in aliam; nam ut inquit Auic. 6. naturalium par. 4. cap. 5. potentia naturales intente, mutuo se impediunt actibus suis intente, ut patet in raptu Pauli, in quo nesciuit utrum in corpore, uel extra corpus audierit illa arcana de quibus loquitur. 2. cor. 12. & patet quotidiana experientia in multis, in quibus dolor sensitius ita redundat in rationem, ut eam perturbet, & quandoque retrahat à sua rectitudine. Non sic fuit in Christo, non solum, quia in eo nihil fuit, nec potuit esse inordinatum, & passio sensitua non potuit perturbare rationem, sed etiam quia cum esset simul comprehensor, & uiuor, uirtute diuina omnes animæ potentiæ, intra suos limites continebantur, ut una non impediret aliam. Inferiores quidem nullo modo poterant impedire superiores, sicut in nobis, quia hoc ad imperfectionem, & deordinationem pertinet, sed superiores per redundantiam beatitudinis, poterant impedire inferiores, ne pati possent, & reddere corpus impassibile, & gloriosum, quod ad perfectionem pertinet; sicut modo reddunt, cum sit solum comprehensor, & post resurrectionem etiam, omnia corpora beatorum per redundantiam beatitudinis animæ, erunt gloriosa, & impassibilia. ex quibus remanent soluta contraria argumenta. Anima igitur Christi, tota erat beata, ratione intellectus, & uoluntatis, quatenus diuina fruebatur essentia; tota etiam simul patiebatur, quatenus forma corporis, & ratione potentialium inferiorum.

Sed dubium est, an sit etiam passa secundum rationes superiores, intellectus. s. & uoluntatis per proprium illorum actum. Caiet. 3. p. q. 46. ar. 7. repræhendit Scotum id affirmantem, & quasi blasphemiam dixisset, pro illius reuerentiam eum glosat, quod partim equiuocauerit, & quod in eo in quo non equiuocauit, excusari non potest. cum tamen Scotus uerum dixerit, & Caiet. grauerit errauerit. & licet Scotus hanc questionem diffuse tractet. 3. d. 15. adducemus tamen ex ipso illa solum, quæ adducit Caietanus. Probat igitur quod ratio superior in Christo per proprium actum doluit de passione Christi. primo, quia passio erat contra naturalem appetitum ipsius rationis super-

An anima Christi sit passa secundum rationes superiores. Scoti sententia.

rioris. 2. quia erat contra conditionatum uelle, eiusdem ratio-
nis, quicquid autem nobis nolentibus, uel naturali uoluntate
commodi, uel conditionato uelle accidit, est sufficiens causa
tristitia, ut patet de miseria quoad primum, & de proiectione
mercis in mare, quo ad secundum. 3. quia Christus tristita-
tus est de peccatis hominum, ut sunt offensae Dei, sed hoc spe-
ctat ad rationem superiorem, quia haec tristitia est secundum
Deum, & secundum rationes aeternas consultas, quae sunt secun-
dum Aug. 12. de Trin. obiectum rationis superioris. Caietanus
ut ostendat in quo deceptus est Scotus praemittit, quod cum
tristitia, secundum Aug. de Ciu. Dei sit de his, quae nobis nolen-
tibus accidunt, & nostrum nolle quadrupliciter inueniatur, uel
per actum elicitum, ut nolo uisitari; uel per naturalem contrarie-
tatem ad uoluntatem, secundum se, ut nolumus miseriam, uel
per naturalem contrarietatem ad uoluntatem colligatam appeti-
tui sensitui, ut nolumus uri, uel per conditionalem actum uo-
luntatis, puta nolletate, ut nollemus proicere merces in mare,
quas tamen proicimus; dicit Scotum deceptum fuisse in hoc,
quod putauit quodlibet istorum nolle sufficienter causare tri-
stitia, si contra huiusmodi nolle eueniat nobis aliquid sic nolitum:
quod falsum esse ostendit ex hoc, quod Beatis multa possunt sic no-
lita euenire, qui tamen tristari non possunt, nam uoluntas cuiusque
patris in patria, est, quod secundum se nollet filium danari, ut pa-
tet, quia ista nolletas est secundum amorem naturalem ad filium,
quae remanet etiam in damnatis, ut patet in diuite, qui petiit ne
fratres damnarentur; & tamen Beatus non tristatur si filius da-
natur, & simile est de iniuriis, quae fiunt sanctis circa eorum cor-
pora, sunt enim contra naturalem uoluntatem eorum, & tamen non
tristantur. Dicit igitur distinguendum esse de nolle, quod siue na-
turale, siue conditionatum sit, dupliciter sumi potest, primo ab-
solute, hoc est, quantum est ex parte uoluntatis, seu boni uoliti, aut
mali noliti, & taliter nolle non sufficit ad causandam tristitia, ut
patet ex dictis exemplis. Alio modo sumitur nolle secundum
praesentem statum uolentis, seu nolentis, hoc est, quod siue sit natura-
le, siue conditionatum, illud nolle insit secundum praesentem sta-
tum, quem actu habet ille, qui dicitur nolle; & sic nolle siue sit
naturale, siue conditionatum, sufficit ad causandam tristitiam;
quam differentiam clarius explicat exemplo patris beati, & non
beati, nam pater iustus uiator, respectu miseriae filii praesciti, ha-
bet nolle, & naturale, & conditionatum, non solum ita, quod
uoluntati paterne, secundum se absolute sumptae, contrariatur

mi-

Caietani
sententia
contra sco-
tum.

Quod in
beatis non
sit tristitia

miseria filii, & nollet filii damnationem secluso diuinae iusti-
tiae ordine, sed etiam ita, quod secundum praesentem statum,
in quo est, ex amore naturali exit in actum nolendi conditio-
natum, dicendo, Pater si possibile est transeat calix iste; Idem
autem pater beatus, non habet amplius amorem illum pater-
num, ut consonet sibi exire in actum nolletatis respectu mise-
riae filii, alioquin non esset beatus, quoniam aliquid uellet, quod
non haberet; sed in omnibus suum uelle conforme est diuinae
uoluntati; & hinc fit, quod damnatio filii eueniens tristitiam in-
gerit patri uiatori, & non patri beato; ex quo concludit, quod ad
tristitiam non sufficit uoluntas naturalis absoluta, uel conditio-
nata, sed oportet, quod sit secundum praesentem statum, iuxta
quem exit in actum, & ita dicit, quod Christus dominus bea-
tus secundum portionem superiorem non tristabatur de sua
passione, quia secundum illam non habebat nolletatem illius,
sed tanquam beatus illam nullo modo refutabat.

Ista doctrina Caietani est bona ad ostendendum quomodo in
Beatis non sit tristitia; sed est male applicata, nam Christus non so-
lum erat comprehensor, sed etiam uiator; & ut uiator tristitia pa-
tiebatur ex his, quae naturaliter nata sunt causare tristitia; qua-
lia sunt ista, ut probant rationes Scoti, secundum quae uoluntas
exibat in actum, unde Christus in Orto orauit, *Pater si possibile
est transeat a me calix iste*. distinguendi sunt igitur in Christo actus
intellectus, & uoluntatis; nam quatenus respiciunt suum obie-
ctum, scilicet Deum, & quae Deus uult, non potuit in eo esse tri-
stitia, sed delectatio, & gaudium; & ita de sua passione summe
gaudebat, quatenus erat a Deo uolita, sed quia non erat a Deo
uolita simpliciter, & absolute; sed ex suppositione, & conditio-
nate; quatenus non erat a Deo uolita, Christus illam nolisset, no-
lisset impiam iudeorum uoluntatem, qua illum occidere uolebat,
quia peccata cum sint Dei offensae non poterant nisi summe ei displice-
re, & ut uiator illius uoluntas descendit in actum, nolitionis, & dere-
stationis peccatorum, qui fuit illi causa summae tristitiae, qui actus
uoluntatis est conformis uoluntati Dei, sed in Deo, & in Beatis non
potest causare tristitia, sicut causat in uiatoribus. Et argumentum
Caietani sumptum ab exemplo Beatorum, nihil ualet, quia Bea-
ti sunt solum comprehensores, & non etiam uiatores, sicut erat
Christus; & si quid ualeret, probaret quod Christus, uel non
est passus, uel non erat tunc comprehensor, quia beatitudi-
ni repugnat omnis tristitia, & dolor, quod est falsissimum;

& re-

solutio
cum scoto
contra Cai-
etanum.

& repugnantia est in solo comprehensore, quia beatitudo, quæ est secundum intellectum, & uoluntatem, ut habent Deum clare uisum pro obiecto, redundat in omnes alias rationes intellectus, & uoluntatis, & in omnes alias potentias animæ, & etiam in corpus, non sic autem in eo, qui est simul comprehensor, & uiator, qualis fuit solus Christus. Concludamus igitur, quod Christus passus est non solum, secundum inferiores potentias sensitivas, sed etiam secundum uoluntatem, & non solum ratione illius colligationis cum appetitu sensitivo, & ut natura, sed etiam, ut libera, quatenus habebat uelle contrarium conditionarum, & quatenus nolisset Dei offensam, quam summe detestabatur. & uolisset fructum, & efficaciam suæ sacratissimæ passionis in omnibus, pro quibus patiebatur, suum habere effectum, quem tamen in multis non habiturum uidebat; hæc natura sua sunt causa maximæ tristitiæ; & cum Christus esset etiam uiator, illam in eo causerunt. & de hoc dolore, seu tristitia uoluntatis, dixit S. Amb. super Lucam, Doles Domine non tua uulnera, sed mea, id est tristis de meis peccatis, naturam meam vulnerantibus, non de tuis.

An dolor passionis Christi fuerit maior illo damnatorum.

Ex quo aliud possumus soluere dubium, an dolor passionis Christi, fuerit maior illo damnatorum; quod excesserit omnes dolores, quos homines possunt in hac uita pati, est certissimum apud omnes; & S. Tho. 3. p. multis rationibus ostendit. communiter tamen Scholastici dicunt, quod dolor damnatorum sit grauior, cuius S. Tho. 3. sent. reddit rationem, quia sicut se habet gloria beatorum, ad bona presentis uitæ, sic se habet miseria damnatorum, ad pœnas, & miseria huius uitæ; sed gloria beatorum excedit omne bonum presentis uitæ, ergo pœna, & miseria damnatorum, excedit omnes pœnas, & miseria huius uitæ; ergo cum Christus non assumpserit nisi dolorem uiatoris, dolor damnati quem habet, siue quantum ad pœnam damni, siue quantum ad pœnam sensus, est maior, quam fuerit dolor Christi; quia ille dolor facit damnatum miserum; quod absit ut de Christo dicatur. Sed si dolor Christi fuisset maior illo damnatorum, non propterea Christus fuisset miser, ut per se patet. ideo omittamus hanc rationem. S. Tho. præcedens autem supra per oppositionem ad gloriam beatorum, non concludit, quia non est eadem ratio, nam beatitudo consistit in bono essentialiter infinito. Saluo meliori iudicio credo dolorem passionis Christi fuisse maiorem, & de dolore sensitivo nolo comparisonem facere, de quo tamen, si actio ignis in corpora damnatorum, intelli-

ga-

gatur cum S. Tho. 4. s. d. 44. q. 3. q. 3. quod sit spiritualis, & intentionalis, ex eo, quod cessante motu cæli, cessat alteratio (contra quem inferius agemus) facile Christi dolor intelligetur maior. Certum est apud omnes, quod præcipua damnatorum pœna, est illa damni, quæ est tristitia ex carentia uisionis diuinæ, quæ tristitia est, secundum actum uoluntatis; & Christus etiam habuit tristitiam, secundum actum uoluntatis, licet non secundum quemlibet; uidentium nunc est, quæ fuerit maior tristitia; & proculdubio fuit maior illa Christi, nam tristitia uoluntatis sequitur ex intellectu cognoscente, & uoluntati proponente, sed damnati tristantur ex hoc, quod uident se priuatos propria culpa, beatifica uisione; Christi autem tristitia causabatur ex duobus præcipuis causis, prima ex hoc, quod Diuina Maiestas offensa erat peccatis, pro quibus ad eam reconciliandam patiebatur. secunda quia uidebat, quod frustra respectu multorum pro eorum redemptione patiebatur, & sanguinem suum fundebat, ob propriam eorum obstinationem, quæ certe nata fuerunt in Christo causare longe maiorem tristitiam, quam priuatio beatitudinis in damnatis, tum ratione obiecti causantis tristitiam, quia obiectum tristitiæ damnatorum est pœna, obiectum uero tristitiæ Christi fuit culpa, & multorum damnatio, quod natum est tanquam grauius magis mouere, sicut uidemus, quod iusti magis abhorrent culpam, quam pœnam; Tum ratione cognitionis, quæ ex parte, est mensura tristitiæ, quia damnati habent cognitionem confusam, & uniuersalem beatitudinis, qua priuantur, at Christus habuit distinctam, claram, & euidentem cognitionem Diuinæ Maiestatis, grauitatis offensæ Diuinæ Maiestatis, & uirtutis, & efficaciam suæ passionis, Tum etiam ratione affectus, qui complet mensuram tristitiæ, affectus autem damnatorum ad beatitudinem, fundatur in amore concupiscentiæ solum propter proprium commodum, qui partim est bonus, quatenus est naturalis, partim est malus, quatenus uellent beatitudinem cum illam demereantur, & iustissime ea priuati esse debeant. at affectus Christi, est zelus paternæ gloriæ, & salutis animarum, qui est infinitus, ob hanc enim causam carnem assumpsit, & passus est. fuit igitur dolor passionis Christi maior illo damnatorum. Quod etiam potest probari ex oratione Christi in Orto. Lu. 22. *Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Si tristitia Christi fuisset solum, animalis, & sensitua, & ex naturali horrore mortis, certe non fuisset ita grauis, quod factus in agonia sudaret guttas sanguinis de-

de-

decurrentis in terram, præsertim cum sit etiam nobis in exemplum, & naturalem, & sensitivam tristitiam debeamus temperare ratione, ut admonet Paulus. *Ne contristemini sicut, & ceteri, qui spem non habent.* Sed quia tristitia erat secundum uoluntatem, ex cognitione intellectiua (ut diximus) erat grauissima, quæ redundabat in sensum. & hac ratione fuit nobis in exemplum, ut sic etiam cognoscamus quã sit detestandum peccatum, & quanta debeat esse uoluntatis displicentia de peccato commisso, non solum à nobis, sed etiam ab aliis, propter Dei offensam. Dicunt etiam Doctores, quod Christus tanta passus est, quanta naturaliter impossibile fuisset purum hominem pati, quia uirtus diuina sustentauit humanitatem miraculose, ne prius anima separaretur à corpore, ut tanta pateretur, cum autem Dei miracula non sit sine maxima causa, hoc miraculum, ideo uidetur in Christo factum, ut sicut patiebatur pro peccatis totius generis humani, ira etiam eius pœna excederet pœnam quibuscumque peccatis debitam, & damnatis infligendam, & infligendam, quoad intensionem, licet non esset illi necessarium tanta pati, sed minima illius actio sufficeret ratione infiniti meriti, & infinitæ uirtutis, ut actio personæ diuinæ. Vnde de Christi passione dicitur. *Tren. 1. O vos omnes, qui transitis per uiam, attendite, & uidete si est dolor sicut dolor meus.* Cum Spiritus sanctus absolute, & simpliciter loquatur, non restringamus nos sine necessitate concludentis rationis ad dolorem præsentis uitæ. Et confirmatur ex eo, quod subditur, *Quoniam uindemiauit me, ut loentus est Dominus in die furoris sui.* dies furoris Domini est ille, quo damnat, & mittit ad æternum ignem.

Quare iustificatio tribuatur fidei, cum sola non sufficiat, sed requirantur etiam opera. Cap. XXX.

Quomodo requiratur nostra dispositio, & satisfactio.

Quamuis Christus pro omnibus nobis mortuus sit. satisfecerit, & omnibus remissionem peccatorum; gratiam, & æternam beatitudinem meruerit, nihilominus adhuc à nobis exigit, quod bonis operibus nos ad remissionem peccatorum, & ad gratiam disponamus; ut illam, non bonorum operum merito, sed Christi, habeamus; & illa habitus, uirtute gratiæ, nos quoque satisficiamus, & gratiæ, & gloriæ augmentum mereamur; & hoc, non quasi illius satisfactio, & meritum fuerit insufficiente, ut calumniantur impii Lutherani; sed quia sic cõueniebat, imo & necessarium erat, **stante**

stante hominum malitia; uenit enim Filius Dei, ut peccatum, & opera diaboli destrueret; si autem illius satisfactio, & meritum, sicut est sufficiens pro omnium salute, ita etiam in omnibus suum fortiretur effectum, absque eo, quod à nobis aliquid requiratur, homines certi de salute, libere possent in omni uitiorum genere pro libito suam explere libidinem; quod etiam esset, si id solum requireret, quod inquit impius Lutherus, fidem. s. qua sola dicit homines iustificari, & saluari; & fidei nomen extēdit ad credulitatem, qua peccator credit se iustificari, ex diuina misericordia, intercedente Iesu Christo; & ita tollit ad iustificationē omnia opera bona; imo dicit, omnia opera cuiuslibet hominis, quamuis ex se bona, & recte facta, esse peccata; & sacramēta nullius esse uirtutis, sed iustificationem pendere solum ex fide, seu dicta credulitate; & ita secundum ipsum, nullum crimen quantumuis enorme, nocet credenti, quia sola fides sufficit ad salutem. Quid peius dici potuit, aut quod sit magis impium? Voluit ergo Christus uirtutem, & meritum suæ passionis nobis applicari Sacramentis, & bonis operibus; & quod obtenta Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, etiam uoto, cum contritione, susceptis, remissione peccatorum, bonis operibus, ui gratiæ, mereamur gratiæ, & gloriæ augmentum, & pro peccatis post baptismum commissis satisficiamus; & quod ante peccatorum remissionem, ad illam bonis operibus, & pœnitentia nos disponamus. Et tantum abest, ut hoc deroget uirtuti passionis Christi, quod in maiorem illius gloriam, & honorem cedit; quia sic magis dissoluitur opus diaboli, & deletur peccatum, ut Sancti, iuste, & pie uiuamus in hoc seculo, & quia opera nostra hæc uirtutem satisfaciendi, & merendi habent ex merito Christi, quod eius uiuis membris communicatur, & postquam Christus uoluit esse caput nostrum, & quod simus illius membra, ad maximam eius gloriam pertinet, quod ex illius affluentia efficiamur membra uiua, & per gratiam, quam nobis infundit, eleuentur ad quoddam esse diuinum, & bona nostra opera efficiantur meritoria, & satisfactoria, ut sic non sint solum nostra, sed etiam capitis; nam ita illis meremur, & satisficiamus, quod Christus in nobis, & per nos tanquam membra sua illis meretur, & satisficit, non enim est distinctum meritum nostrum ab illo Christi, sed est illud ipsum nostris operibus uiuis applicatum.

Sed cum nolimus modo particulares disputationes contra hæreticos suscipere, contenti sola dogmatum fidei explicatione, quia tamen de bonorum operum merito agimus, & sunt ali-

Lutheranorum hæresis de fide, & operibus.

Quod nostrum meritum, & satisfactio credant in Christi gloriam.

Quæ opera, & quæ fidem intelligat Apostolus.

quæ

quę Sacre scripturę auctoritates, quę exclusis operibus; iustificationem, & salutem soli fidei uidentur tribuere, ut illa Rom. 1. *Iustus ex fide uiuit.* & cap. 3. *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* breuiter dicimus, quod Apostolus loquitur de operibus legis Mosaicę, quę cessauerunt, & nõ solũ mortua, sed etiam mortifera euaserunt, ut idem Apost. de Circumcisione testatur, Gal. 5. *Si circumcidimini Christus uobis nihil proderit.* Et fides ex qua iustus uiuit, & quę iustificat, est fides uiua, quę per charitatem operatur; illa enim, quę est sine operibus, est mortua, ut testatur Iacobus Apostolus, cap. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Quod autem in sacris literis sæpe magis extollatur fides, & illi potius, quam cæteris aliis uirtutibus tribuatur uita, & iustificatio, non est ad deprimendum alias uirtutes, nec ad tollendum earum opera; & quinque possumus huius reddere rationes. Prima, quia, quod à pluribus causis dependet, tribuitur cuilibet illarum, sed non uni soli, & per exclusionem cæterarum. & ita uidemus remissionem peccatorum, & iustificationem, non solum fidei, sed multis aliis etiã uirtutibus tribui, ut eleemosynę. Lucę 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis.* Patientię, Luc. 21. *In patientia uestra possidebitis animas uestras.* Spei, Prou. 28. *Qui sperat in Domino saluabitur.* Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Charitati. 1. Ioa. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres.* Secunda causa ob quam iustificatio præcipue tribuitur Fidei est, quia uita spiritalis primo manifestatur in actu fidei, est enim illius principium, & fundamentum, sed perfectio & complementum est charitas; sicut etiam eadem ratione, uita tribuitur animę ueritati, etiam in brutis, & in homine, licet non habeant plures animas, sed unam cum diuersis potentiis. Tertia, quia Fides uiam salutis, & omnia necessaria ostendit, & in ea dirigit, cum sit de fine, mediis, & modo operandi imo ad ambulandum in ea, inducit, & quodammodo compellit, cum præmia, & supplicia ostendat, & cum amor non feratur in incognitum. Quarta, quia sola fides formata potest aliquando saluare sine operibus, ut patet in pueris, & in peccatoribus adultis, qui statim habita contritione moriuntur, at opera sine fide nunquam sufficiunt ad salutem. Quinta, quia in Christiana Religione nihil fuit, nec est, quod ita difficultatem patiatur sicut fides, quod enim amandus sit Deus, & proximus, & quod benè operandum sit, est rationi consonum, ipsa natura docet; at quod credenda, & recipienda sint ea, quę

Quare fidei potius tribuatur iustificatio.

rationem excedunt, & infidelibus sunt absurda, & impossibilia, ut quod Filius Dei factus sit homo, & in ligno crucis, inter duos latrones moriẽdo, humanum genus redemerit, & quod propter ista sit diligendum, & operandum, primo aspectu ratio, & natura abhorrere uidetur, & propter difficultatem, quam in se habent, & propter infidelium irrisionem, sunt enim, ut inquit, Apost. 1. cor. 1. *Iudæis quidem scandalum Gentibus autem Stultitia.* ob quam causam fuit in diuinis Scripturis fides maxime commendanda, & quod est illi commune cum aliis uirtutibus, optima etiam ratione, ut principio, ei attribuendum fuit, ea enim suscepta cætera facile consequuntur.

Quod nihil à Deo simpliciter mereri possimus, de necessitate gratiæ, & de merito de condigno, & de congruo, & quod bona opera facta in gratia, sint meritoria de condigno triplici ratione.
Cap. XXXI.

TRactaturi de merito bonorum operum, non est, quod loquamur de illis bonis operibus in se, quę operantium culpa, sunt operantibus mortifera; quod duplici de causa contingit, uel quia cum peccato mortali administrantur, uel suscipiuntur ea, quę tanquam sacra requirunt administrantem, & suscipientem in gratia, uel saltem attritum, qualia sunt sacramenta, uel quia fiunt propter finem mortalem, ut si detur pauperulę eleemosyna, ut consentiat in fornicationem, ista enim non sunt digna præmio, sed æterno igne.

Præsupponimus etiam gratiam, qua nobis remittuntur peccata, & efficitur Deo grati, & eleuamur ad quoddã esse diuinũ, confortes effecti diuinę naturę, & per adoptionẽ in filios Dei ascripti. quę est quãdã qualitas spiritalis, quam Deus gratis, nullo illius in peccatore præcedẽte merito, infundit in anima, & est distincta ab omnibus uirtutibus, etiam à Charitate, licet inuicem separari non possint, ut una sit sine altera, cuius subiectum non est aliqua potentia animę, sicut in uirtutibus; sed est ipsamet animę essentia; potentię enim, & uirtutes in illis existentes, sunt propter operationes, quę proportionantur esse essentię illarum tanquam principio; nam quale est esse, tale est operari; cum autem uirtutes diuinitus potentiis animę infuse, sint propter operationes diuinas, & filiorũ Dei, necessarium fuit, quod ipsa animę essentia per gratiam eleuaretur

Opera bona quomodo efficiantur mortifera.

gratia quod eius distinctio, subiectum, & necessitas.

ad esse quoddam diuinum filiorum Dei, ut tales sint operationes, quale est esse. Huius autem gratiæ, & uirtutum infusarum necessitas, probatur eisdem rationibus, quibus superius probauimus contra gentiles, esse nobis ad salutem necessariam fidem, & doctrinam diuinitus reuelatam, cum ultimus noster finis sit supernaturalis, & non possit adipisci nisi mediis supernaturalibus.

Quod nihil à Deo simpliciter mereri possimus.

Illud etiam tãquam certum præsupponimus, quod nihil possumus simpliciter, & absolute à Deo mereri, secundum absolutam rationem iustitiæ, sed solum secundum quandam diuinæ ordinationis præsuppositionem, iuxta quam Deus non nobis, sed sibi ipsi efficitur debitor: Et ratio est, quia ubi est proprie meritum, ibi merces de iustitia debetur, nam meritum respicit mercedem, & merces est quædam recompensatio, & quoddam pretium operis, uel laboris; sicut ergo reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo, est actus iustitiæ, ita etiam recompensare mercedem operis, uel laboris; Cum autem iustitia sit quædam æqualitas, inter eos solū simpliciter reperitur, inter quos est simpliciter æqualitas, ubi autem non est inter aliquos simpliciter æqualitas, ibi non est simpliciter iustitia, non tamen ob id est ibi iniustitia, sed potest esse quidam iustitiæ modus, ut inter patrem, & filium, dominum, & seruum, ut dicitur 5. Eth. ex hoc enim, quod filius non potest reddere æquiualens patri, nihil ab eo simpliciter, & de iustitia meretur. Sed inter Deum, & hominem est maxima inæqualitas, & in infinitum distantia, à quo habuimus esse, & quicquid unquam habuimus, habemus, & habituri sumus, & omnia bona, quæ fecimus, facimus, aut facere possumus, sunt ei iure debita; nihil igitur ab eo simpliciter, & absolute mereri possumus, quia semper facimus, quod debemus, imo longe minus, quam debeamus, ob quam causam cum Propheta semper orare debemus, *Vt nō intret in iudicio cum seruo suo.*

De merito de condigno, & de congruo

Quamuis autem nihil à Deo simpliciter, & absolute mereri possimus, nihilominus, quia pius, & misericors est, & diues in miserationibus, uult remunerare bona, quæ facimus, ac si non fuissent illi debita; & non solum illa, ad quæ noluit nos præcepto obligare, sed etiam illa, ad quæ ita nos obligauit, ut omittentes sint æternaliter puniendi; ea ratione, quia cum potuerimus illa facere, & omittere, tanquam liberi, illa facere uoluimus, & ita meremur, etiam faciendo, quæ debemus, & tenemur; & hoc quia sic ipse disposuit; ob quam causam ratione huius meriti, non efficitur nobis simpliciter debitor, sed sibi ipsi, qui ita se obli-

obligare uoluit; non tamen eodem modo omnibus, sed quibusdam simpliciter seipsum obligauit, iuxta, & æterna mercede remunerare, omnia illorum bona opera, & uult de iustitia teneri, & isti sunt Filii Dei; sed ista iustitia, & istud meritum fundatur in gratia per quam efficitur filij Dei, quam Deus gratis sine nostris meritis, nobis largitur, & ita non nobis, sed sibi ipsi, & gratiæ suæ est debitor. aliis autem, qui non sunt in gratia noluit se ita obligare, nec conueniebat, quia eorum bona opera, sunt inimicorum opera, & propterea uoluit, quod eorum remuneratio, ex mera illius liberalitate dependeat, & quod eorum meritum non sit simpliciter meritum, in iustitia fundatum, ut illius promissionis, sed in sola Dei misericordia. Hinc oritur distinctio meriti, nam aliud est de condigno, aliud de congruo, primum respicit mercedem, tanquam debitam de rigore iustitiæ; Secundum, illam respicit, non ut iure debitam, sed ex quadam æquitare, fundata in liberalitate, & misericordia remunerantis; ita tamen, ut nulla sit iniustitia, nec inordinatio, si nulla sit remuneratio.

Quibus suppositis dicimus, opera uiua, quæ facta sunt in gratia, esse meritoria de condigno, æternæ beatitudinis, & augmenti etiam gratiæ, & gloriæ, & probatur. Mat. 5. *Gaudete, & exultate, quia merces uestra, multa est in cælis.* 2. ad Tim. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.* Vbi Apostolus mercedem suorum laborum, quæ est æterna beatitudo, non uocat coronam misericordiæ, sed iustitiæ, & Deum retribuentem, non misericordem, sed iustū iudicē appellat. Mat. 20. habetur mercedem denarii diurni, quæ est beatitudo, deberi operariis, ex conuentione facta, & cap. 25. describitur iudicium, & quod propter opera misericordiæ datur Beatitudo; ita quod opera sint merita, & beatitudo merces eis debita. Sed est dubium unde habeant nostra bona opera facta in gratia, quod de condigno sint meritoria æternæ beatitudinis. habent quidem à gratia; sed qua ratione gratia, illa, ita eleuat, ut sint tantæ uirtutis, & efficaciæ? Responderetur, quod triplici ratione, prima, quia gratia est quædam similitudo diuinæ naturæ, secundum quam regeneramur, & recreamur ad quoddam esse diuinum filiorum Dei, & efficitur consortes diuinæ naturæ. 2. Pet. 1. Sicut autem essentia animæ est principium potentiarum, & operationum, & uirtutes naturales, sunt dispositiones potentiarum, ut perfecte operentur, iuxta naturam animæ; ita etiam cum gratia eleuetur es-

Quod nostra opera facta in gratia sint meritoria de condigno.

Tripliciter habent à gratia, quod sint meritoria de condigno.

sentiam animæ, ad esse diuinum, & illud se ipsa formaliter ei tradat, debet etiam esse principium diuinarum operationum, potentiarum animæ, quæ disponi debent per uirtutes diuinitus infusas, ut perfectius operentur, iuxta esse diuinum à gratia animæ tributum. & ita gratia. 1. Ioa. 3. uocatur semen Dei, & Christus Ioa. 4. dicit, quod gratia est in homine fons aquæ salientis in uitam æternam, ubi clare explicat efficaciam gratiæ, quod eleuet opera nostra, ut sint meritoria uitæ æternæ. Secunda, quia per gratiam Spiritus sanctus habitat in nobis, & efficiuntur templum Spiritus Sancti. Rom. 5. 1. Cor. 6. nis autem Spiritus sancti habitantis in homine, non est impar ad acquirendum uitam æternam, & ad faciendum, quod operibus nostris debeatur uita æterna; quia illa opera nostra considerantur, ut sunt illius opera, qui in nobis, & per nos, operatur. Tertia est, quia, ut inquit Caietan. in tractatu de Fide, & operibus, meritum uitæ æternæ, non est tam actio nostra, quam actio Christi capitis in nobis, & per nos; homines enim in gratia constituti, sunt membra uiua capitis Christi, Rom. 12. Eph. 4. Col. 2. & Christus ita est caput, ut cum hominibus, uiuis membris eius, non sit unum corpus politicum, quale est corpus ciuium reipublicæ bene gubernatæ, sed constituit unum corpus, quemadmodum est unum corpus naturale, quia Christus tanquam caput suo spiritu uiuificat membra sua, & per iuncturas, & nexu spirituales, unit membra corporis, ut patet ex uerbis Apostoli. Vnde passionibus, & actionibus uiuorum membrorum Christi, dicuntur passionibus, & actionibus Christi. & de passionibus quidem testatur ipsemet Christus, Act. 6. *Saule Saule, quid me persequeris?* & Paulus ad Gal. 4. reuocat ad memoriam Galatarum, quod Christus crucifixus fuit in eis, idest in cruciatibus eorum pro Christo perpessus. De actionibus uero testatur Paulus 2. cor. 13. dicens. *An ex experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus?* & ad Gal. 2. *Uiuo ego, iam non ego, uiuit uero in me Christus.* Ex quibus sequitur, quod uerissime potest dicere uiuum Christi membrum, mereor ego, iam non ego, meretur autem in me Christus, ieiunio ego, iam non ego, ieiunat autem in me Christus, & similiter de aliis operibus uoluntariis, quæ propter Deum exercet, & sic meritum æternæ uitæ, non tam attribuitur operibus nostris, quam operibus Christi capitis in nobis, & per nos. Duplici igitur ratione datur nobis uita æterna ex merito Christi, prima ex iure meriti Christi, quod in propria persona meruit, & hoc solo merito da-

datur pueris baptizatis, nobis uero adultis, non ob hanc solum rationem, sed etiam ex iure meriti Christi, quod Christus caput in nobis, & per nos operando meretur, quod maxime conuenit diuinæ liberalitati, ut enim dicitur Rom. 8. *Predestinavit eos conformes fieri imagini filii eius.* Sic autem Christo sumus conformiores; nam ipsi Christo duplici iure debita fuit sua gloria, primo iure gratiæ unionis personalis, qua *Verbum caro factum est*, & hoc ius conuenit Christo, sine eius merito; fuit etiam eadem gloria ei debita, per meritum obedientiæ eius, usque ad mortem. Philip. 2. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum, &c.* Christo igitur duplici iure habenti gloriam, conformiores reddimur duplici quoque iure acquirentes uitam æternam. & sine nostro merito per Christi in propria persona meritum; & cum nostro merito, per Christi capitis in nobis, & per nos meritum. & sicut ad Christi excellentiam pertinet, quod etiam proprio merito acquisierit immortalem corporis uitam, & gloriam sui nominis, ita ad dignitatem membri Christi pertinet, ut cooperetur capiti suo, ad acquirendam uitam æternam. omnium enim diuinitissimum est, ut inquit Dion. cap. 3. *Coel. Hierar. Dei cooperatorem fieri.*

gloria
Christi
duplici iure
fuit illi de
bita.

Quod opera bona facta in peccato mortali sint utilia, & etiam meritoria de congruo. Cap. XXIII.

Agendum nunc est de bonis operibus factis in peccato mortali, quæ dicuntur mortua, & dicimus quod quæuis non sint meritoria de condigno, nec Deo grata, sicut illa, quæ fiunt in gratia; sunt nihilominus utilia, & fructuosa, quæ sunt duæ rationes distinctæ, nam quamuis non essent fructuosa, & propter illa nullum aliud haberemus bonum, adhuc sunt utilia se ipsis, ut bona; & quatuor præcipuas habemus ex ipsis utilitates; prima, quia frequenti eorum operatione, generatur in nobis habitus uirtuosus, bene operandi. Secunda, contracto habitu bene operandi, facilius resistitur peccatis, & carnali concupiscentiæ. 3. disponunt ad melius, & perfectius operandum, & ad facilius recipiendam diuinam inspirationem, illuminationem, & cordis emolitionem. 4. ex illis consequitur diminutio pœnæ inferni si sic operans dânetur; nõ quod ualeat per se ad illius diminutionem, sed per accidens ex illis consequitur, & hoc triplici ratione, prima, quia in inferno nõ tantum

Opera bonamortua sunt utilia & fructifera. Vt utilia quatuor ex illis habentur utilitates.

punimur, propter peccata commissionis, sed etiam propter illa omissionis; & bene operando adimplemus præcepta, quæ sunt de illis operibus, si non perfecte, secundum finem præcepti; saltim secundum substantiam operis; quod sufficit ad evitandum peccatum, & poenam transgressionis, licet non sufficiat ad meritum, præcepta enim sunt de substantia operis, & non de modo operandi cum gratia. Secunda, quia dum bene operamur, multa evitamus peccata, propter quæ grauior esset damnatio. Tertia, quia bene operando, evitamus scandalum, & malum exemplum, & ita aliorum peccata, non imputantur nobis ad peccatum, & poenam. Sed præter has utilitates, quas seipsis conferunt, seu ex ipsis sequuntur; habemus etiam alia bona, quatenus sunt fructifera, & alia qua remuneratione digna, & sic valent ad tria; ad acquirenda. scilicet bona temporalia, ad evitandum imminens flagellum, & ad obtinendam Dei gratiam, & remissionem peccatorum. Dubium tamen est, an possint dici meritoria istorum bonorum de congruo; nam certum est, quod nullius sunt meriti de condigno. Sot. 4. s. d. 19. q. 1. ar. 5. & lib. 2. de nat. & gra. c. 4. tollit meritum de congruo, & dicit ista opera nullius esse meriti, & omnes eius rationes ad duas reducuntur, Prima est, quia meritum est relatiuum præmij, & mercedis, & ubi nulla est ratio mercedis, nulla potest esse ratio meriti. 2. quia Sancti, & præcipue Aug. tollunt omne genus, & nomen meriti, gratiæ præuium, & uolunt esse in auditum Christianis; & confirmat, quia quando Ecclesia perpeffa est magnam bellum contra Pelagianos, qui dicebant gratiam dari, secundum merita; si hæc distinctio meriti de condigno, & de congruo esset uera, Patres catholici adtemperassent rigorem contra illos; & dixissent opera nostra non esse meritoria gratiæ de condigno, sed de congruo; At simpliciter sine ulla distinctione meriti, in septima condemnatione Concilij Palestini, ut refert Aug. ad Paulinum, anathematizatur, qui dixerit gratiam Dei, secundum merita nostra dari. & idem Aug. Hypog. lib. 3. probat nullum esse meritum hominis ante gratiam.

Et ut prius huic secundo argumento Soti, respondeamus, minor eum ignorasse Sanctorum, & Ecclesiæ institutum, & consuetudinem, quæ est, ut cum hereticis nullo modo, nec in nominibus, nec in ritibus, & cæremoniis cõueniat, & propterea ad dissentiendum, noua etiam nomina, si opus fuerit, inuenit, ut dicit Athanasius in disputatione contra Arium coram Probo. ob quam causam licet Beata Virgo uere sit Mater Christi, tamen quia Nestoriani dicebant Christum esse purum hominem, & non etiam Deum, & Beatam Virginem non esse matrem Dei, sed Christi, in Concilio Ephes. sub poena excommunicationis prohibitu fuit, ut non uoca-

retur

Ut fructifera ualeat ad tria.

an possint dici meritoria de congruo. Sententia Soti, quod non cum suis rationibus.

Contra solum cuius rationes soluitur. Ecclesia hereticis nihil concedit.

retur Mater Christi, sed Mater Dei, ut etiam dicit Damasc. lib. 3. de Fide Orth. c. 12. Et S. Greg. in Epist. ad Leandrum Episcopum li. 1. Epist. Epist. 41. interrogatus an sit baptizandum una, uel trina mersione, respondet Baptismum utroque modo posse conferri, sed si heretici baptizarent sub trina mersione, ad significandum in Trinitate distinctionem essentiam, sub una mersione baptizandum esset. & ob hæc causam in Conc. Toletano quarto, statutum est, ut Baptismus conferatur cum simplici mersione, Cum igitur Pelagiani dicerent gratiam, & remissionem peccatorum, dari à Deo propter nostra merita; licet loquerentur de merito de condigno; Ecclesia tamen, & Sancti, noluerunt tunc uti hac meriti distinctione, neque hoc meriti nomine; Sed cum modo cessauerint illæ hereses; & nullum sit periculum in modo loquendi, Beata Virgo dicitur Mater Christi, & Baptismus conferatur sub trina mersione, & nostra opera bona facta in peccato mortali, dicuntur meritoria de congruo, licet non de condigno; Et primum argumentum Soti procedit de merito de condigno, & dum dicit, quod meriti nomen proprie significat meritum de condigno; non recordatur uim analogiæ, secundum quam nomen principalis significati, per quandam similitudinem, & proportionem, tribuitur etiam aliis; & nunquam dicimus simpliciter, & absolute, quod sint meritoria, sed semper addimus de congruo; ad significandum, quod de iustitia nullius sunt meriti; & nomine iustitiæ intelligitur nunc etiam illa liberalitas debita, quam culpa est, & inordinatio transgredi; quia ut inquit Aug. peccator indignus est pane quo uescitur, & uita ipsa.

Quod autem possint dici meritoria de congruo, ita quod tota ratio meriti sumatur non ex parte operum, sed ex parte liberalitatis exuberantis Dei, quam absque culpæ, & indecentiæ nota licet præterire, ostendit Ansel. in Profolo. c. 10. dicens. *Cum punis malos iustum est, quia illoꝝ meritis conuenit, cum uero parcis malis, iustum est, non quia illoꝝ meritis, sed quia bonitati tuæ cõdecens est.* ista bonitatis Dei decentia, significatur nomine meriti de congruo; Et probatur etiam primo, quia meritum est correlatiuum mercedis, & ubi est merces, ibi etiam est meritum; sed Sacra scriptura dicit, quod Deus tribuit mercedem operum bonorum, quæ facta fuerunt sine gratia. Ezech. 29. *Nabuchodonosor Rex Babilonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus tyrum, omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neque exercitui eius de tyro, pro seruitute qua seruiuit mihi aduersus eam, propterea hæc dicit Dominus Deus, ecce ego*

Quomodo dicantur, & sine meritoria

Probatur, quod sint meritoria de congruo.

dabo Nabuchodonosor regem Babilonis in terra Aegypti, &c. & erit merces exercitui illius. Vbi inquit Hieron. ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint non absque mercede, Dei iudicio praeteriri. Exod. 1. dicitur, quod bene fecit Deus obstetricibus, & aedificauit eis domus. de quo Greg. 17. Mora. cap. 4. inquit, Benignitatis earum. s. obstetricum, merces, quae in eis, aeterna potuit uita retribui, pro admissa culpa mendacii, in terrenam est recōpensationem declinata. & Aug. 5. de Ciuitate Dei, cap. 12. & 15. dicit, quod iustitia, & actibus strenuis, Romani promeruerunt a Deo imperium, quae tamen fecisse eos dicit propter inanem gloriam, & humanam laudem. ex quibus patet, quod etiam actus malus, propter commixtam bonitatem ualet ad impetrandum temporalia, ut Sancti ex dictis auctoritatibus inferunt, & concedunt, ut inquit Adria. in 4. de poenitentia, seu (ut melius loquamur) actus bonus non amittit temporalem mercedem, propter adiunctam circumstantiam malam, dummodo non fiat propter finem, mortaliter malum, quia tunc ille actus in genere moris esset malus, cum species sumatur a fine. multo igitur magis ualebit ad impetrandum actus moraliter bonus, cui non sit appositae circumstantiae mala. Et confirmatur ex cap. Sicut Acab. & cap. Si quando de Poenitentia, dist. 3. Quod etiam ualeant ad merendum de congruo, gratiam, & remissionem peccatorum, probatur ex illo Angeli ad Cornelium, Act. 10. *Orationes tuae, & elemosynae tuae, ascenderunt in memoriam, in conspectu Dei, & nunc mitte, &c.* & Greg. (& habetur de poenit. dist. 5. cap. fallas) inquit, Ne tamen desperet interim; quicquid boni poterit facere, hortamur, ut faciat, ut omnipotens Deus, cor illius illustret ad poenitentiam. probatur etiam ex communi omnium dicto, quod facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam; & quia opus bonum morale est dispositio ad gratiam, licet non sit ultima dispositio, ad quam necessario consequitur gratia, nam haec est conuersio in Deum, quae est ab ipsa gratia; tamen est quaedam dispositio, & praeparatio; & hac ratione opus bonum morale, ut praeparatorium ad gratiam, potest dici meritorium de congruo gratiae. Probatur secundo, quia oratio existentis in peccato mortali, saepe est impetratoria, & bonorum temporalium, & spiritalium. quod docet Basilius, lib. de constit. Monast. cap. 2. & probat illa parabola. Lucæ 11. Amen dico uobis si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius est, propter importunitatem, surget, & dabit illi quotquot habet necessarios, hoc idem docet

Aug.

Quod actus bonus propter commixtam malitiam, non omnino desinat esse utilis.

Quod ualeant etiam ad gratiam.

Quod oratio existentis in peccato mortali, saepe sit impetratoria.

Aug. lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 8. & probat illo Luc. 18. de publicano peccatore, petente remissionem, & obtinente. & ad illud caeci nati, Ioa. 9. *Deus peccatores non audit, sed si quis Deum colit, & uoluntatem eius fecerit, ipsum exaudit,* respondet, quod non est dictum a Domino, sed ab illo, qui oculos corporis, iam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis non dum patebant, unde ipsum Dominum adhuc prophetam putabat; nam eum postea cognitum Dei filium, adorauit. Illud autem caeci Theophilactus dicit intelligendum esse non generaliter, sed particulariter de miraculis, quae Deus non facit orationibus, & petitionibus peccatorum. Sed certum est, quod Deus exaudit etiam peccatores, quo ad miracula, quae ipse per illos facit. quod docet Iustinus explic. quae Gent. resp. 5. & probat illo Mat. 7. *Multi dicent in illa die Domine non ne in nomine tuo prophetauimus, &c.* & Aug. lib. 83. quae. quae. 79. & probat illo Marc. 9. *Magister uidiuimus quendam in nomine tuo eiecissent demonia, qui non sequitur nos.* & reddit rationem quare aliquando scelerati homines faciant quaedam miracula, quae sancti facere non possunt, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse, quam in operibus iustitiae, quibus aeterna uita comparatur. Greg. etiam lib. 9. Epist. Epist. 58. & lib. 20. Moral. cap. 9. docet non solum malos, sed etiam haereticos facere miracula; non possunt tamen haeretici illa facere in confirmationem innocentiae ipsorum; aut falsi dogmatis, quia tunc Deus redderet testimonium mendacii, & falsitatis, quod esse non potest, de quo uide superius, de Notis Ecclesiae, nota 11. sed in confirmationem Catholicae ueritatis, & quando eis conceditur, ut illa faciant, non obtinent illa simplici oratione, & petitione, nec ut illa faciant proprio opere, ut Sancti, & amici Dei, sed signo aliquo Sanctae Ecclesiae, & Christi, ut signo Crucis, nomine Iesu, aqua benedicta, & simili, quo fides uera declaratur, ut per id probetur ueritas illius cuius est illud signum. exemplum sit de illo Iudaeo cui daemones nocere non potuerunt, eo quod munierat se signo crucis, quem permisi occidissent ne ab eis audiret a Andreæ Episcopo, ut poenitentiam ageret manifestaret, de quo Greg. lib. 3. Dial. cap. 7. & in hoc sensu uerificatur dictum, caeci nati. quod peccatores non exaudiuntur, ut faciant miracula simplici oratione, & petitione, aut proprio opere, sicut fecit Christus, qui illum illuminauit. Si ergo oratio existentis in peccato mortali, est apud Deum impetratoria, & multo magis si bonis operibus Deo oblati adiuuetur, non quidem de condigno,

Quod peccatores obtineant, & faciant, miracula, quae sancti aliquando facere non possunt.

Haereticis quomodo possint facere miracula.

sed de congruo, erit etiam simili modo meritoria, nam esse impetratorium, & meritorium de congruo, idē esse uidentur. quāuis igitur Sancti antiqui, non uisi sint hoc nomine meriti de congruo, cum de bonis operibus mortuis loquerentur, re tamen ipsa hoc meritum affirmarunt, dum cum Sacris litteris, illis mercedem tribuunt, & impetratoria esse affirmant, & tāquam causam donorum etiam spiritualium adducunt. & eo utuntur moderniores Doctores, ut S. Tho. & Adrianus in 4. sent. & alij.

Quod bona opera sint meritoria, impetratoria, & satisfactoria, & quomodo opera unius profint alteri, etiam mortuis, & de conditionibus requisitis, ut aliis profint.

Cap. XXXIII.

Cum bona opera non solum profint facientibus, sed etiam aliis pro quibus fiunt, uidendum nunc est, quomodo profint aliis, & triplex in illis consideratur uirtus, nam habent uim merendi, impetrandi, & satisfaciendi. Si loquamur de merito propriè dicto, quod est meritum de condigno, sic solus Christus meruit aliis gratiam, & gloriam, quæ nobis dantur uirtute meriti Christi, & per illius meriti participationem, opera nostra sunt meritoria; alij autem sibi solis merentur, & ratio est, quia hoc meritum est respectu augmenti gratiæ & gloriæ, quæ dantur iuxta propriam dispositionem operantium, tanquam propria merces, Gal. 7. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*, quæ messio est perceptio uitæ æternæ, Ioa. 4. *& qui metit fructum congregat in uitam æternam*. quamuis. n. alij quis possit alteri impetrare, ut perueniat ad uitam æternam; semper tamen datur mediantibus propriis operibus; nam illius preces impetrarunt alteri gratiam cuius uirtute operatur, & meretur. Sed quia hoc meritum est à gratia, & charitate, quæ omnes in ea existentes inuicem cōnectit, & unit, ut sint membra uina unius corporis mystici, quod est Ecclesia, cuius caput est Christus; hoc unius membri meritum, ceteris aliis omnibus membris, aliquomodo ratione charitatis nos unientis prodest, non quidem, ut propter meritum unius, alteri augeatur gratia, & gloria, sed quia unusquisque gaudebit de bonis alterius, quod pertinet ad gloriam accidentalem, unde in ps. dicitur. *Particeps ego sum omnium timentium te*. Alia uirtus bonorum operū est impetrandi, quatenus quis sua bona opera offert deo pro alio, ad aliquid ei impetrandū; & sic ualent non solū ad im-

Triples bonorum operum uirtus, & quomodo profint aliis, ut meritoria.

Quomodo profint aliis, ut impetratoria.

petrandū temporalia, sed etiam spiritualia, remissionē peccatorū, gratiam, & uitam æternā, & ista uirtus potest dici meritū de congruo, meritum, quia uirtus operum; de congruo, quia licet sint facta in gratia, tamen quatenus Deo pro aliis ad impetrandum offeruntur, in mera Dei liberalitate fundantur; non enim respiciunt mercedē eis debitam, sed aliquid aliud gratis dādū. De quibus operibus, ut habent uim impetrandi, possent fieri aliquid quæ distinctiones, quæ etiam faciendæ sunt de eisdem quatenus habent uim satisfaciendi, ideo transibimus ad tertiam earum uirtutem, quæ est satisfaciendi Deo, pro pœna debita peccato, quoad culpam dimisso. nam sicut opera bona, quatenus bona, sunt meritoria, & quatenus Deo per modum orationis oblata, sunt impetratoria, ita etiam quatenus pœnalia sunt satisfactoria; inter quas bonorum operum uirtutes, sunt aliqua differentia, nam ratio debiti, & iustitiæ, est solum respectu meriti de condigno, & respectu satisfactionis; respectu autē meriti de congruo, & etiam impetrationis, non est debitum iustitiæ, etiam si oratio, & opera bona orationi adiuncta, sint facta in gratia, quia nō respiciunt præmium essentialē ipsis operibus uiuis debitum, sed aliquid gratis dandum, nisi petatur, quod fiat uoluntas Dei; & ista congruitas principaliter fundatur in Dei liberalitate, & benignitate, sed sumitur etiam ex parte orantis, quando est in gratia, unde ps. 144. dicitur, *Voluntatem timentium se faciet*. & etiam ex parte operis, nam quo magis opus est deo gratū, eo magis cōsurgit ratio congruitatis, ut si offeratur elemosyna, & sacrificiū; ita tamē, q̄ si non exaudiūtur, nulla sequitur in deo iniustitia, nec in ordinatio, quia nulla est hic ratio debiti, imo est sūma misericordia, quia nescimus, quid petamus. Alia etiā est differentia, inter meritū de condigno, & satisfactionē; quia meritū de condigno, est solū respectu operātis, & nō potest alteri applicari, nō. n. potest quis, augmentū gratiæ, & gloriæ, q̄ bene operās meretur, alteri applicare, ut nō sibi, sed illi dentur; at satisfactio pōt alteri applicari, & potest q̄s pro alio satisfacere eiq; propriam satisfactionem applicare; & in hoc conuenit cum merito de congruo, & cum impetratione; nam sic pro aliis aliquid mereri, & impetrare possumus; sed quatenus uigore satisfactionis, pœna debita, de rigore iustitiæ est remittenda, differt ab illis, & conuenit cum merito de condigno, quorum ratio est, quia gratia, & gloria sunt tantæ excellentiæ, ut quis non possit, nec etiā sibi ipsi mereri primā gratiam, nec consequenter primū gradū gloriæ cōrespondentē primæ gratiæ; sed utriusq; augmen-

Quomodo profint ut satisfactoria.

Differentia inter uirtutes operum.

augmentum, potest quis sibi ipsi uirtute gratiæ mereri, & non alteri, quia sunt pro sola persona operante, & datur iuxta dispositionem operantis, tanquam de iustitia illi debita, cum enim pertineant ad arctiorem amicitiam cum Deo contrahendam, debent esse propria operantium. Congruitas autem meriti, & impetratio fundantur in liberalitate Dei, & propterea possunt etiam esse pro aliis. Satisfactio uero, licet fundetur in iustitia, & à gratia procedat, tamen quia est de re etiam apud nos communicabili, & non respicit auctiorem amicitie, sicut meritum, de condigno, sed solam satisfactionem debiti solubilis, propterea potest quis pro alio Deo satisfacere.

Distinctio operum, & operantium.

Ut autem melius explicemus ualorem bonorum operum, quæ pro aliis, etiam defunctis, fiunt, in eorum præcipue satisfactionem, in quo attenditur iustitia, ratione gratiæ, est primo notandum, quod uirtus, & efficacia operis, dupliciter considerari potest, uno modo ex opere operato in se, quando opus aliquod habet in se, & ex se, uirtutem, & efficaciam, & non ex operante; huiusmodi sunt sacramenta, quæ siue per bonos, siue per malos administrantur, ex se, & ut dicitur, ex opere operato conferunt gratiam; alio modo ex operante, ut. s. iuxta operantis dispositionem, uirtus, & efficacia operis attendatur. Est secundo notandum, quod duplex est operans, alter principalis, qui ex se, nomine proprio, uel per alium operatur. alter instrumentalis, qui nomine alterius operatur. Quibus suppositis, sit prima conclusio, Suffragia, quæ ex se, absque opere operantis habent efficaciam, profunt mortuis, etiam si per malos fiant, huiusmodi, est Sacrificium Missæ, similiter, & Sacramenta non ponentibus obicem, à malo ministro administrata, profunt, & conferunt gratiam. Secunda conclusio fit de operibus, quæ ex opere operantis habent efficaciam, Suffragia facta pro mortuis à peccatore, ut sunt peccatoris, non eis profunt, & ratio est, quia ista opera, ex gratia operantis habent, quod sint Deo satisfactoria. Vbi notandum est, ex Adriano in 4. quod licet ista opera, & istæ preces non profint defunctis, profunt tamen facientibus, & ualent ad impetrandum preces, & intercessionem sanctorum, quia animæ in purgatorio existentes, liberatæ, uel quæ tunc in gloria, uidentur, quod pro illis facta sunt à peccatore illa opera, animo eis iuuandi, obligantur ad antidota, seu gratitudinem, licet nihil eis impetrauerint; cum beneficij compensatio, potius debeat fieri ad animum impendentis, quam proportionem ad effectus euentum. Tertia conclusio, Suffragia facta à peccatore in persona

Eccle-

Ecclesiæ, semper profunt, & mortuis, & uiuis, ut exequiæ mortuorum, & Hora Canonica, quia Ecclesia semper est in gratia, & Deo accepta, nisi illi pro quibus fiunt, obstaculum ponant. Quarta conclusio, Suffragia, quæ quis facit, ut instrumentum alterius, profunt uiuis, & mortuis, si ille cuius nomine facit, est in charitate; etiam si ille, qui ea facit sit in peccato. opus enim instrumenti, est magis principalis agentis; unde quamuis ille, qui agit, ut instrumentum alterius, non sit in statu merendi, actio tamen eius potest esse meritoria ratione principalis agentis; ut elemosyna data à seruo in peccato mortali, ex præcepto domini sui existentis in charitate: magis tamen prodesse si essent facta in charitate, quia ex duabus partibus illa opera essent meritoria. Quinta conclusio, Opera uiuorum profunt mortuis, quia cum erant in corpore, meruerunt ut bona aliorum opera eis prodesse. Hanc conclusionem posuimus, ut reddamus causam quare uiuorum opera profint mortuis; duo enim sunt, quæ hic difficultatem faciunt, alterum est, quia nullus inuatur ex opere alterius, nisi sit aliqua uitæ communicatio inter eos, & secundum Philosophum, primo Ethic. nulla est uiuorum, & mortuorum communicatio; alterum est, quia unusquisque ex operibus propriis iudicandus est, quæ per hanc nostram conclusionem soluta remanent, nam causa quare eis profint, est, quia sunt in Charitate, quamuis enim communicatio ciuiliu operationum de qua loquitur Philosophus, non possit esse mortuorum ad uiuos, quia mortui sunt extra uiam ciuilem, potest tamen eorum communicatio esse quantum ad opera uitæ spiritualis, quæ est per Charitatem ad Deum, cui mortuorum spiritus uiuunt; & uirtute charitatis, uiuorum opera pro eis facta, efficiuntur eorum propria, & quodammodo secum illa ferunt, quia cum essent in corpore meruerunt, ut hæc eis ualerent post mortem. de quo uide etiam, quæ diximus inferius, in cap. 36. de Indulgentiis.

An semper peccator resurgat ad maiorem gratiam; & An opera mortua reuiuiscant. Cap. XX XIII.

Cum peccatum mortale, mortificet opera uiua, quæ facta fuerunt in gratia, & mortua reddat illa, quæ, cum eo fiunt; duo hic occurrunt dubia. Primum est, An semper peccator resurgat ad maiorem gratiam, nam certum est apud Theologos, quod bona opera mortificata per peccatum,

Opera
mortifica
ta quomo
do reuini
scant.

catum, reuiniſcunt per pœnitentiam; & hoc negare eſſet teme-
rarium, & ſi non error, errori proximum, Et cum hoc Doctores
preſupponant tanquam certum, diſputant de modo; & aliqui di-
cunt, quod ita reuiniſcunt, ut detur pœnitenti, aliqua etiam gra-
tia deperdita, eorum ratione, ſed non tanta, quantam habebat
antequam caderet, quia forte non habet correſpondentem di-
ſpoſitionem. alii dicunt, quod pœnitenti datur ſolum tanta
gratia, quanta eſt illius diſpoſitio, & non datur maior, preſentẽ
eius diſpoſitionem excedens ratione operum, & meritorum,
præcedentium, nec conſequenter maior beatitudinis gradus;
& probant, quia gratia iuſtificationis datur, ſecundum quanti-
tatem diſpoſitionis liberi arbitrii, quam Spiritus ſanctus ope-
ratur in nobis, ut etiam dicitur in Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. cum
hoc tamen dicunt, quod opera mortificata reuiniſcunt, quia
etiam propter illa datur æterna beatitudo, licet eorum ratione
non detur maior beatitudinis gradus. Sed non intelligo quo-
modo poſſit hac ratione proprie dici, quod reuiniſcant, & non
potius debeant dici mortua, cum earum ratione non detur pœ-
nitenti maior gratia, nec maior beatitudo, ſed ſolum iuxta illius
diſpoſitionem; ſic enim ſimpliciter eſt amiſſa tota præcedens
gratia, ex quo nihil illius, per ſubſequentem pœnitentiam reſti-
tuitur, ſed tota gratia, quæ datur pœnitenti, eſt iuxta illius di-
ſpoſitionem; Stante igitur, quod opera uiua per peccatum mor-
tale non redduntur mortua, ſed mortificantur, & quod per pœ-
nitentiam reuiniſcunt, dico cum Gab. 4. f. d. 14. q. 3. & aliis, quod
pœnitenti ultra gratiam correſpondentem eius diſpoſitioni,
reſtituitur tota gratia, quam per peccatum amiſerat, quæ ſen-
tentia eſt etiam S. Tho. in 4. f. ead. diſt. & ita pœnitenti duplici
de cauſa à Deo infunditur gratia, prima eſt per ſe, ratione illius
diſpoſitionis, per contritionem, & conuerſionem in Deum, &
hæc correſpondet illius diſpoſitioni, quæ aliquando eſt minor,
aliquando equalis, aliquando maior præcedente, quam per pec-
catum amiſerat, iuxta eius diſpoſitionem; ſecunda eſt per acci-
dens, quatenus per remotionem obſtaculi, & impedimenti, re-
ſtituitur gratia amiſſa; ſicut enim (inquit S. Tho.) uentus auſe-
rens nubem, nobis lumen ſolis reſtituit, ita pœnitentia tãquam
remouens prohibens. ſ. peccatum, gratiam gratum facientem, &
omnes uirtutes, quæ in anima cauſantur ex influentia diuini lu-
minis, nobis reſtituit. & probatur primo ratione dicta, quia nõ
poſteſt aliter uere intelligi, quomodo reuiniſcant, ſi propter il-
la non reſtituitur gratia, nec augetur gloria. probatur ſecundo

Quod pec-
cator ſem-
per reſur-
gat ad ma-
iorem gra-
tiam.

auſtoritatibus Sacræ ſcripturæ, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, & c. uita uiuet, & non morietur, omnium iniquitatum ſuarum quas operatus eſt, non recordabor; in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, uiuet. re- cordaretur autem Deus iniquitatum ſuarum, ſi minus tribue- ret in gloria pro meritis ſuis præteritis, quam ſi non peccaſſet. Si autem præmiat omnia merita, neceſſe eſt, quod reſtituat om- nem gratiam habitam, cum cuilibet gradu gloria in patria, cor- reſpondeat gradus gratiæ in uia; Addit in iuſtitia, quam operatus eſt uiuet. non reſtringit ad iuſtitiam, quam operatus eſt poſt pœnitentiam, ſed generaliter loquitur. Ezech. 32. *Impietas im- pij non nocet ei, in quacunq; die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* mul- tum autem noceret conuerſo præterita impietas, ſi non reſtitue- retur omnis gratia per impietatem amiſſa. quia propter illam, perpetuo minorẽ gratiam, & gloriam haberet, & conſequenter minus à Deo diligeretur, quã ſi nõ peccaſſet. Iohel. 2. *Reddã no- bis annos quos comedit locuſta, & bruchus, & rubigo,* Vbi Gloſa, Non patiar perire ubertatẽ ſpiritualiũ, quã animi perturbationibus, ideſt, peccatis perdiditiſtis. Ad Gal. 3. *Tanta paſſi eſtiſ sine cauſa eſtãmen sine cauſa.* quod exponens Hieron. inquit, quicumque ob Chriſti fidem laborauerit, & poſtea lapſus fuerit in pecca- tũ, ſicut priora dicitur paſſus fuiſſe ſine cauſa, ſic ruruſus, nõ per- det ea, ſi ad antiquũ ſtudiũ reuertatur; & eſt cõmunis expoſitio illius loci. Hoc ſignificauit Dominus Lucã 15. ubi de pœnitente filio dicit, *Cito proferte ei ſtolam primam, & induite illam.* Ex quo ſe- quitur, quod omniſ uerus pœnitẽs ſemper reſurgit ad maiorẽ gratiã, & gloria, quã perdidit erat. Nec obſtat, quod qui multa bona ope- ra habuit; & poſtea lapſus eſt, quando conuertitur, aliquando non habet niſi inſimum gradum diſpoſitionis; & conuerſus, eſt frigidus ad bona opera, & non ſentit in ſe illum quem prius ha- bebat feruorem. nam (ut diximus) gratia deperdita non datur ratione diſpoſitionis, ſed per hoc, quod remouetur prohibens; Et feruor ſenſitiuus non ſemper proportionatur gratiæ, nam ſi iuſtus habens multos gradus gratiæ, & feruens in bene operan- do, fiat remiſſus, & negligens, ita tamen, quod non peccet mor- taliter, amitter illum feruorem, & tamen non minuetur illius gratia, quia gratia non tollitur, nec minuitur propter uenia- lia: & ratio eſt, quia feruor, facilitas, & prontitudo ſunt qui- dem à gratia, ſed mediantibus propriis diſpoſitionibus, & ope- rationibus, & habitibus acquiſitiſ, unde ſtat, quod quis ha- beat habitum alicuius uirtutis infuſum, ut caſtitalis, & ſi- mul habeat contrarium habitum acquiſitum, ut luxurioſus*

in principio suę conuerſionis, nam propter cōtrarium habitum maximam difficultatem sentit ad caste uiuendum, quam tamē superat Dei gratia adiutus. Sensibilis etiam spiritualis dulcedo, est gratia, & donum particulare. Nec ob id commodum, reportat ex peccato, non enim ob id est melior, quam fuisset si sterisset in gratia, quia meritorie operatus fuisset, & omnia eius bona opera in peccato facta fuerunt mortua.

Quod opera mortua non reuiuiscant.

Secundum dubium est, de bonis operibus factis in peccato mortali, quę dicuntur mortua, an reuiuiscant per gratiam subsequentem. & Respondetur, quod non reuiuiscunt, & huius ratio est ex S. Tho. 4. d. 14. quia pœnitentia de sui natura ordinatur ad remotionem mali, & gratia, quę datur pœnitentibus, est iuxta eorum dispositionem, ergo quod aliqua bona opera per pœnitentiam, & subsequentem gratiam restituantur, & reuiuiscant, hoc non est nisi per accidens, in quantum remouet prohibens. scilicet peccatum; causa autem, quę est remouens prohibens, exigit causam per se respectu effectus, cuius ipsa est causa per accidens; sed uiuificationis operum extra charitatem factorum, nō potest poni aliqua causa per se, quia uita operum dependet ex uita operantis, & ideo à gratia, & charitate habent, quod uiuāt; sed operans illa fecit in peccato mortali, ergo fuerunt mortua; gratia autem, & charitas, quę per pœnitentiam habetur, nō potest operibus præcedentibus, uitam conferre, nisi per accidens, quatenus reuouet peccatum, quod mortificauerat opera uiua, quę à uitę principio processerant; illa autem, quę non processerunt à principio uitę, iam transierunt, & non possunt ex eodē principio procedere, nec consequenter uiuificari; Et ratio etiā est, quia habitus non informat actum, nisi qui ab eo procedit, ergo per gratiam subsequentem nullo modo possunt uiuificari opera facta extra charitatem. Imo addit Sotus in 4. dist. 16. in confirmationem huius rationis, quod nec etiam possunt uiuificari per absolutam Dei potentiam, quia licet Deus possit de sua potentia absoluta, dare gloriam illis, qui nō fuerunt eius filii per gratiam, illam tamen dabit pro suo beneplacito, sed non pro eorum dignitate; quia non poterit illos facere tanti præmij dignos, nisi faciendo sibi amicos, ita etiam non potest dare gloriam pro operibus, quę non procedunt ex gratia, nam [pro] dicit dignitatem operum; sed clariorem huius possumus reddere rationem, quia opera uiua sunt meritoria de condigno glorię, ratione gratię in qua sunt facta, sed opera facta in peccato mortali, non processerunt à gratia, nec informantur gratia sub-

se-

sequente, tanquam præterita, ergo repugnat, quod sint meritoria glorię, & quod propter illa sit dādus aliquis gradus glorię, tanquam de iustitia debitus, propter illa opera. Probatur etiam ex illo 1. cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum uelut æs sonans. aut cymbalum tintiens, &c. & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* prodesse autem si illa opera moraliter bona, per pœnitentiam uiuificarentur, quia propter illa augeretur gloria, ac si fuissent facta in gratia. Et confirmatur, quia aliās sequeretur, quod perseverans per multos annos in aliquo peccato mortali, & benè moraliter operans, si in fine uitę conuertatur, tantam gloriam habebit, quātam habuisset si semper fuisset in gratia, & illa duntaxat bona operatus fuisset, nam illa omnia uiuificantur; quod certe asserere est falsissimum, & qui tenent opera facta in mortali uiuificari, nimis fauent peccatis. cū ergo Sancti dicunt Deum respicere, & remunerare opera bona facta à peccatore, non sunt intelligendi de æterna remuneratione, sed de temporalis, ut diximus superius. Nec obstat, quod Sacramenta imprimuntur characterem suscepta in mortali conferunt gratiam, recedente fictione, quia non sunt opera simpliciter nostra, sed Dei, quę habent uirtutem ex opere operato, & remanēt in suo effectu. scilicet characterem, ut diximus. 2. p. lib. 1. c. 9. & lib. 2. c. 18. Nec etiam obstat, quod dicunt Doctores satisfactionem factam in peccato mortali, non esse reiterandam, nam hoc est, quia pœnitens satisfecit præcepto Ecclesię, & Confessoris, non tamen uirtute illius satisfactionis, factę in mortali, satisfacit Deo, quoad remissionem pœnæ purgatorii peccatis prioribus debitę, & quo ad hunc effectum est reiteranda.

*De thesauro Ecclesię; Quod Indulgentiis uere satisfaciamus
Quid significant quadragenę, & tot millia annorum,
& per modum suffragij.
Cap. XXXV.*

TRactaturi de ualore operum, optima ratione annexitur ille Indulgentiarum; earum enim fundamentum, sunt opera quatenus satisfactoria, ex quibus constituitur thesaurus Ecclesię, ex quo promuntur Indulgentiæ; nā Indulgentiæ licet sint gratiæ nobis factę, quibus gratis, sine nostra propria satisfactione remittitur pœna residua, post contritionem,

Meritum,
& satisfactio
conueniunt,
& tripliciter
differunt.

tionem, seu confessionem, in totum, uel in partem, iuxta quantitatem Indulgentiarum; eis tamen uere satisfacimus Deo, non nostris, sed Christi, & Sanctorum satisfactionibus, nobis Indulgentiis, Theauri Ecclesie distributione, applicatis, & Deo pro poena a nobis debita oblatis. Sed ad maiorem huius ueritatis intelligentiam, praemittenda est conuenientia, & triplex differentia, inter meritum, & satisfactionem, Conueniunt, quia tam opus meritorium meriti de condigno, (de hoc enim loquimur) quam opus satisfactorium, ut pro eo remittatur poena purgatorii, debet fieri in gratia. Sed differunt primo, quia meritum proprie respicit aeternam beatitudinem, est enim opus, cuius uirtute, operanti debetur aeterna beatitudo, tanquam corona iustitiae, data a iusto iudice, 2. Tim. 4. at satisfactio proprie respicit poenam, est enim uoluntaria solutio poenae; tunc enim debitor poenae, satisfacit iustitiae, quando debitam poenam exoluit, adaequando enim solutionem debito, satisfacit. Et haec duo, non ita differunt, quin coniungantur, & in unum idemque opus coeant, nam in uiatoribus coniunguntur; opera enim ex charitate facta, quantum habent bonitatis, tantum habent meriti, & quantum habent poenae, tantum habent satisfactionis; in existentibus autem in purgatorio, separantur, nam satisfaciunt, & non merentur, quia illorum status est satisfaciendi, & non merendi. Hinc oritur secunda differentia, quod bona opera in quantum sunt meritoria, plene remunerantur a Deo, quia eis correspondet beatitudo, iuxta proportionem meritorum, quae in infinitum excedit; at bona opera in quantum sunt satisfactoria, non semper plene remunerantur a Deo, & hoc non propter defectum iustitiae, aut diuinae largitatis, sed quia non est unde satisfaciendis remunerentur; nam propria remuneratio operis satisfactorii, uel est poenale, & satisfactorium, est remissio poenae debitae, si autem sic operas ad nullam poenam tenetur, quia iam satisfecit, & fuit illi tota remissa, uel plus satisfacit, quam teneatur; non potest illa superabundans satisfactio remunerari in ipso satisfaciente, quia non tenetur ad ampliorem poenam, quae remittatur; nam opus, ut satisfactorium respicit solum remissionem poenae, & non beatitudinem. & haec super excedens satisfactio reponitur in Thesauro Ecclesie. Tertia differentia est quoad efficaciam, seu fructum; nam meritum non excedit personam, quae meretur, nullus enim potest mereri beatitudinem alteri, sed sibi solum, Christo solo excepto, qui illam meruit suis electis; nam gratia data Christo, fuit capitalis, seu uniuersalis, gratia autem reli-

liquorum, est gratia partialis, seu personalis: At unus potest pro altero satisfacere, & non solum de sibi superfluis satisfactionibus, sed etiam si indigeat pro se satisfacere; quo casu uirtute illius satisfactionis, remittitur poena debita, non a satisfaciente, sed ab illo pro quo satisfacit. Sed notandum est, quod quis potest alteri propriam satisfactionem applicare solum dum operatur, nam si operando opera satisfactoria, nemini illa applicat, nec applicauit, sibi profunt ad remissionem poenae, si ad aliquam tenetur, si autem ad nullam tenetur, reponuntur in thesauro Ecclesie, quorum dispensatio postea pertinet ad illos, qui habent clauis huius thesauri. Quibus suppositis facile intelligitur, quid sit, seu ex quibus constet Theaurus Ecclesie, est enim superabundantia satisfactionum, primo, & principaliter ipsius Christi, secundo etiam Sanctorum. Quod autem Christi merita, & satisfactiones superexcedant, est certissimum. 1. Ioa. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed totius mundi.* & tamen pauci sunt, qui saluantur. imo si essent infiniti mundi, pro omnibus sufficerent, & adhuc superexcederent, cum sint infinita, tanquam Personae diuinae infinitae. Quod autem satisfactiones Sanctorum aliquando superexcedant poenam propriis peccatis debitam, testatur Iob. 6. de se dicens. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris haec grauior appareret.* & patet de multis Sanctis, quos constat semper sanctissime uixisse, & nihilominus continuam poenitentiam egisse, ut de S. Ioanne Baptista. & de B. Virgine certissimum est, quod nunquam peccauit. Quod etiam superabundantes Sanctorum satisfactiones reponantur in Thesauro Ecclesie, cum satisfactionibus Christi, probatur ex illo Apost. Collos. 1. *Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Et ex extrau. Dudum de poen. & remis. Reponuntur autem satisfactiones Sanctorum in thesauro Ecclesie, non quod Christi satisfactiones non sufficiant, sed quia sic ipse disposuit, ut eius membra assimilentur ipsi capiti, quod etiam credit ad ipsorum accidentalem gloriam, & ad maiorem damnatorum confusionem. Est autem, notandum praeter hunc thesaurum, alium etiam esse in Ecclesia thesaurum, in quo Sancti nihil reponunt, & hic est thesaurus meritorum Christi, nam (ut diximus) omnia Sanctorum merita sunt cumulatissime remunerata, & solus Christus, ut caput totius Ecclesie meruit pro aliis. hic thesaurus, applicatur sacramentis, re, & etiam uoto

Quid sit
thesaurus
Ecclesie,
& ex quibus
constet.

Quod in
eo reponantur
satisfactiones
Sanctorum.

Alius ecclesie
thesaurus
ex foliis
Christi
meritis.

susceptis, & ui gratiæ, etiã aliis operibus meritoriis; & illius efficaciam maxime cognoscitur in pueris decedentibus cum sola Baptismali gratia, & etiam in accedentibus ad Sacramenta cum sola attritione; nam in prioribus nulla est propria dispositio, & in posterioribus est imperfecta, & citra sacramentum in sufficiens ad gratiam. Indulgentiæ fiunt distributione, & applicatione satisfactionum prioris Thesauri, qui cum sit infinitus non potest minui,

De Indulgentiis multa possent dici, sed quia passim inveniuntur, duo solum tractabo, quæ maiore difficultate habent. Primum est quid significet quadragenæ, & quomodo concedatur tot millia annorum: de quo diximus in p. p. lib. 2. c. 12. q. quando concedatur anni, & quadragenæ, habetur relatio ad penitentiâs antiquas sacrorum canonum, qui pro uno peccato mortali dabat septem annos penitentiæ, & in illis aliquot quadragenas arctioris penitentiæ; & quo peccatum erat grauius, eo maior dabatur penitentiâ, adeo quod pro uno peccato aliquando dabatur penitentiâ toto uite tempore duratura; & dabatur penitentiâ adeo diuturna, ut hic plene satisfacerent; Nô quod tandiu animæ detineantur in purgatorio; sed ut significaretur intensio, & acerbitas pœnarum purgatorii; nã breuissimâ illius pœna, correspondet pœnâ multorum annorum huius uitæ, commutata intensio in extensionem. facta autem suppositione, quod homo in hac uita plene satisfacere debeat, & tandiu uiuat, tot multiplicantur peccata, tempore communis uitæ, quod dato etiam, quod non amplius peccet, non sufficerent centum millia annorum penitentiæ; uide loco citato ne idem repetamus. Alterum, quod explicandum est, quare mortuis concedantur per modum suffragii; hoc autem non est, quasi respectu animarum purgatorii, Indulgentiæ sint minoris efficaciam, aut non eodem modo possit illis Papa eas concedere, sicut & uiuis, sed quia transferunt ad forum Dei; non ita tamen, ut omnino non dependeant à foro Ecclesiastico, nam dependet ut publicis, & priuatis suffragiis, & indulgentiis iuari possint; cum autem sint sub foro Dei, Papa illis concedit indulgentias; non per modum absolutionis, & remissionis, sicut uiuis, sed per modum auxiliij, suffragij, orationis, & oblationis Deo, ut dignetur acceptare pro illis satisfactiones thesauri, quas ei pro illarum liberatione offert; & illas semper Deus acceptat, quia ui clauium offeruntur; Nec ob id sunt minoris uirtutis; cuius exemplum habemus de forma Sacramenti Extremæ Vnctionis, quæ est per modum deprecationis, non quia illud Sacra-

men-

mentum sit minoris uirtutis, & dubius sit illius effectus; sed quia infirmus transit ad forum Dei, cui per hoc Sacramentum commendatur.

De differentia inter uiuos, & mortuos quo ad Indulgentias, & an negligentes pro se satisfacere illas consequantur licet sint in gratia. Cap. XXXVI.

Est autem notanda una differentia inter Indulgentias concessas uiuis, & mortuis; sed prius impugnandum est quoddam dictum Caietani opusc. 10. tomi 1. Vbi dicit, quod ad acquirendam indulgentiam uerè coram Deo, non sufficit sola gratia ex parte suscipientis; nam confessi in gratia, sunt duplicis ordinis, quidam solliciti ad satisfaciendum per se ipsos pro peccatis suis, quidam negligentes satisfacere per se ipsos; primi condignas penitentiâs, uel petunt à confessoribus sibi imponi, parati eas implere, uel sponte illas assumunt, dum continue student, per sua sancta opera satisfacere, ieiunando, orando, elemosynas dando, &c. ad hoc, ut satisfaciant; Secundi uero paruissimam penitentiâ, aut rogant, aut læti suscipiunt. & cum illam impleuerint, non curant amplius de satisfaciendo; reputantes sibi sufficere, quod non ibunt ad infernum; & dicit, quod istis Indulgentiâ non profunt, hac ratione motus, quia nullus indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita, consequitur ueraciter fructum indulgentiæ; nam fructus indulgentiæ est remissio pœnæ debite, per alienam satisfactionem, Christi scilicet, & sanctorum; Sed quilibet in gratia constitutus, negligens satisfacere per se ipsum, est indignus aliena satisfactione, pro pœna propriis peccatis debita, ergo non consequitur fructum Indulgentiæ. Hoc Caietani dictum falsum esse constat, nam ad consequendum fructum Indulgentiæ sufficit, q. persona sit in gratia, & efficiat id, q. Papa requirit pro Indulgentiæ consecutione. Et ratio est, quia Indulgentiæ conceduntur ui clauium; & ad illarum effectum sufficit, q. illas suscipientes sint in gratia; Et confirmatur, quia maior est effectus Sacramentorum, quam indulgentiarum, & maior dispositio requiritur ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quàm ad indulgentias; sed si sacerdos quotidie celebret ex quadam consuetudine, similiter, & laicas Communicet, semper tamen in gratia, suscipiunt fructum Sacramenti, etiã si non præmittat illam præparationem, quam deberet, quia ad effectum Sacramentorum

P p a sus-

De quadragenis, & tot millibus annorum.

Quare concedantur mortuis per modum suffragij.

Caietani sententia.

Contra Caietani sententiam.

sufficit, quod illa suscipiens sit in gratia, uel saltem attritus, cum habeat uirtutem ex opere operato, ergo multo magis hoc sufficit ad consequendum uel clauium effectum indulgentiæ. Et confirmatur etiam ex usu Ecclesiæ, quæ Indulgentiis peccatores excitat, & inuitat ad pœnitentiam.

De mor-
tuis.

Cum hoc tamen dicimus, quod ista Caietani doctrina, est parum uera, quo ad defunctos, & quod indulgentiæ concessæ defunctis non semper prosunt illis quibus conceduntur, & applicantur; & hoc non defectu indulgentiarum, sed quia reddiderunt se in hac uita indignos, ut aliorum suffragiis in purgatorio iuuarentur, ut si neglexerint satisfacere pro se, adimpleta defunctorum legata, orare pro mortuis. quo casu si illis non prosunt, aliis prosunt; nunquam enim respectu defunctorum sunt infructuosæ; Nec ob id dicimus, quod semper prosunt dignioribus, & magis dispositis, quia sic superfluum esset particulariter orare pro certa, & determinata alicuius anima, quod falsum esse constat, cum Ecclesia oret, & particulares orationes faciat, & indulgentias concedat; sed prosunt illis, pro quibus fiunt, nisi (ut diximus) se reddiderint in hac uita indigni, ut eis iuuentur. & est sententia communis, & communis usus Ecclesiæ, nam pro eadem anima dicuntur plures Missæ in altari-
bus priuilegiatis; Non tamen reddunt Doctores rationem differentiæ; quare Indulgentia, quam pro me accipio, non proficit alteri, si sim illa indignus, sicut prodest alteri defuncto, cui non est a suscipiente applicata, & quare proficit uiuo existenti in gratia, etiam si aliis respectibus sit ea indignus, & non proficit existentibus in purgatorio, qui propter easdem causas sunt indigni; & quare opus factum in mortali pro mortuis non impedit efficaciam indulgentiæ, sicut impedit cum indulgentia uiuis operantibus conceditur; quas istarum differentiarum rationes, nos reddemus; Et est, quia Indulgentia conceditur uiuis per opus proprium consequenda, & conceditur non solum pro remissione pœnæ debitæ, sed etiam ut ea mediante peccatores conuertantur, & iusti excitentur ad feruentius operandum, & ut augeatur diuinus cultus. quatenus conceditur per opus proprium acquirenda, si operati non prodest, non debet alteri eius loco prodesse, nam illius opus est mortuum, & indulgentia conceditur operati. quatenus est etiam ad excitandum peccatores ad pœnitentiã, & ad augendum diuinum cultum, pro sufficienti dispositione, solã gratiã requirere debuit. Indulgentia autem, quæ conceditur defunctis, non est ita personalis, sicut illa, quæ conceditur uiuis, nam ad ac-
qui-

quirenda est per opus a uiuis faciendum: & quibus particulariter indulgentiæ conceduntur, cum conditione conceduntur, quatenus. s. eis indigeant, uel eis prodesse possint: nam qui sunt in gloria, non indigent indulgentiis; & damnatis, prodesse non possunt: si igitur non prosunt illis, pro quibus accipiuntur, aliis prodesse debent. Et ratio etiam est, quia Ecclesia soluit pretium de suo thesauro, per certum opus Deo exhibendum, pro liberatione certæ animæ; & opus quo offertur Deo pretium, est Deo acceptum, saltem ex parte Ecclesiæ illud offerentis, nam cum offeratur ex institutione Ecclesiæ, pro anima existente in gratia, etiam si laicus illud opus efficiat, Ecclesiæ potius nomine, pro mortuis, quam proprio, illud facere censetur, ergo est illi satisfactum pro liberatione illius animæ, ergo si illa anima iam liberata fuit, uel liberari non potest, aliam loco illius liberare debet. non sic autem est de indulgentiis concessis pro uiuis; nam opus quo Ecclesia offert Deo pretium, pro remissione pœnæ operantis, est personale, & si fuerit factum in peccato mortali, nec Ecclesia intendit eo offerre pretium, nec Deus illud acceptat, cum offeratur pro persona operante, quæ si fuerit in mortali, est illa gratia indigna, & incapax; quod intellige, dummodo integrum opus faciat in mortali, nam si illud in mortali incipit, & ante omnia requisita ad indulgentiam, conuertatur, uel confiteatur, illam consequitur sicut diximus etiam 2. p. lib. 2. cap. 20. quod contritio, seu sufficiens attritio; habita post confessionem, ante absolutionem, sufficit, & non requiritur, quod reiteretur Confessio. Cum etiam indulgentiæ concedantur defunctis solum ad satisfaciendum, (sunt enim extra statum merendi, & proficiendi) rationi congruum fuit, ut animæ illorum non ita facile a Deo liberentur alienis suffragiis, & satisfactionibus, qui dum uiuerent rationibus dictis, meruerunt eis post mortem non iuari; quæ ratio cessat in uiuis, quia eis conceduntur etiam ad conuersionem, & emendationem. Ex quibus sequitur, quod Papa non potest generali Indulgentia, pro omnibus defunctis, euacuare purgatorium, liberando omnes animas in eo existentes, & hoc non propter defectum potestatis illius, nec propter inefficaciam thesauri, sed quia sunt sorte multæ, quæ sunt indignæ illa gratia.

De aliis dogmatibus remissive, Quare Christus uenerit pro solis hominibus, de causa obstinationis damnatorum, & an possint bene uelle bonum, & de libero arbitrio.

Ca. XXXVII.

Non ideo inscribitur hic Tertius liber de Dogmatibus Fidei, quasi de illis non sit etiam tractatum in reliquis omnibus, ut de Christi Diuinitate, de Sacrificio Missæ, de Sacramentis, de cultu, & ueneratione Sanctorum, Sacrarum Imaginum, & Reliquiarum, de Papa, Ecclesia, Conciliis, Scriptura, Traditionibus, de Votis, Iuramentis, Dispensationibus, Censuris, Immortalitate animæ, & aliis; sed quia hic tractatur de aliis præcipuis, quæ continuato cursu, in præcedentibus tractari non potuerunt. Et licet p. p. lib. 2. cap. 7. satis probatum sit damnatorum penas esse æternas, & in inferno nullam esse redemptionem; nihilominus, cum ad tractatum de Incarnatione, pertineat explicare quare Christus uenerit pro solis hominibus, hoc modo explicando, simul etiam explicabimus causam obstinationis damnatorum.

Cum nos monuerit Esaias dicens, *Querite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est.* Significauit futurum tempus, in quo Deus amplius inueniri non poterit, nec erit locus pœnitentiæ; & istud tempus, est illud damnationis, damnati enim in malo obstinati, pœnitere, & ad Deum conuerti non possunt; nõ quod Deus de potentia absoluta, non possint illos conuertere, sed quia non uult illos conuertere, & cum nolit, ipsi conuerti non possunt, & in malo remanent obstinati. Si autem quærat causa quare non possint ad Deum conuerti, dicitur hoc esse, quia ad conuersionem, & ad rectitudinem uoluntatis per peccatum lapsæ, duo concurrunt; ex parte uoluntatis, pœnitentiæ; & ex parte Dei, gratia sanans; & utrunque deest damnatis; Et si quærat, quod horum sit causa, & ratio defectus alterius, dicitur, quod defectus pœnitentiæ, est causa, quare deficit gratia gratum faciens, quia pœnitentiæ informis, ad illam disponit; Et si adhuc quærat, quare deficiat pœnitentiæ, respondetur, quia deficit gratia gratis data, quæ præuenit uoluntatem, ut pœniteat, & sine qua nemo se unquam præparat ad gratiam. Et si ulterius quærat, unde ueniat defectus gratiæ gratis datæ, uel quæ sit illius causa; dicitur, quod illius causa non potest esse, neque

De causa
obstinatio-
nis danna-
torum.

neque Deus, neque natura dæmonis, aut hominis damnati, sed ipsa culpa, qua damnati ita ægrotant, ut nõ pateat eis aditus ad gratiam. Hucusque omnes conueniunt, sed unde habeant damnati hanc irremediabilitatem, ut sint perpetuo priuati gratia, & conuerti non possint; sunt variæ Doctorum sententiæ; Sed notandum est, quod Doctores, reddentes causas obstinationis damnatorum, loquuntur de dæmonibus, & illas postea applicant hominibus, nam ut inquit Damascenus, quod fuit dæmonibus casus, hoc est hominibus mors; Verum istæ causæ, quas assignant Doctores, potius pertinent ad ostendendum quare homines fuerint à Christo redempti, & non dæmones. & ob id illas adducemus, licet non sint propriæ, Quidam (ut refert S. Bonau. 2. f. d. 7.) sumpserunt rationem ex comparatione culpæ ad seueritatem iudicantis; quia enim diabolus, & angeli eius grauissime peccauerunt, Dominus seuerus iudex, statim cõdemnauit eos; sicut iudex magnum latronem in turpi latrocinio depræhensum, statim facit suspendi, quamuis differat suspendium unius parui latronis, qui potuit habere aliquam excusationem. Sed ne, inquit S. Bonau. hæc ratio est cuiusdam congruitatis, & non cõcludit, quia alias sequeretur, quod si diabolus minus peccasset, posset conuerti; uidemus etiam, quod sæpe Deus misericordiam facit cum seueratissimis, & aliquos, qui modicum peccauerunt, demergit in infernum. Alii sumpserunt rationem ex parte culpæ, relata ad modum peccandi, per oppositum ad peccatum hominis; quia enim homo alio suggerente peccauerat, ideo dignum fuit alio releuari; & præterea, quia totum humanum genus ceciderat, ne totum periret, congruum fuit reduci ad rectitudinem; cõtra est in angelicis spiritibus, quia nõ peccauerunt per tentationem, maxime lucifer, ideo non rediit, Vnde Greg. in 4. Moral. inquit, Nunquam lumen pristini status accepit, quia non persuasus amisit. Similiter, quia cecidit secundum partem, ita quod peccatum fuit particulare, & personale, ideo non debuit reificari. Vnde Aug. in Enchir. Placuit uniuersitatis cõditori, ut quoniam non tota multitudo Angelorum, Deum deferendo perierat, ea quæ perierat, in æterna damnatione remaneret. Sed iste rationes, sunt etiam congruitatis, quia si homo sine suggestione per propriam uoluntatem, uel particulariter peccasset, non uideo quomodo non posset recuperare bonam uoluntatem, Domino restituyente. Alii sumpserunt rationem, ex comparatione culpæ ad naturam peccantis, & isti nõ eodem modo illam explicant; quidam enim dixerunt eam esse, quia

Varie sententiæ

Quare homines sine Christo redempti, & non dæmones.

Angelus peccans, fuit substantia spiritualis, omnino non habens pondus carnis, & quia substantia spiritualis est semper in actu suo, unde non lassatur, imo continè habet inordinatā voluntatē, & continè gratiā impugnat, & ideo non offertur ei gratia. Sed istæ rationes non concludunt; non primæ; nam pōdus carnis nō inclinabat etiā primum hominem ad peccatum, ut propterea ille meruerit reparari, & non angelus. Nec etiā secunda; quia Deus frequenter dat gratiam homini existenti in actuali uoluntate peccandi, qua facit, ut cōuertatur, cuius exemplū habemus Paulo, qui cōuersus est, & circūdatus luce, in actu psecutionis.

a. Thomæ
S. Th. I. p. q. 64. ar. 2.

S. Th. I. p. q. 64. ar. 2. sumit etiā rationē obstinationis demonū; ex eorū natura, quia cū immobiliter apprehendāt, immobiliter adhærēt; Sed cum in quæst. 16. de Malo, ar. 5. alius sumptō principio, suam explicet sententiam, placuit adducere, quæ ibi dicit, ut simul explicetur uis liberi arbitrii; dicit ergo esse considerandum, quod ad rationem liberi arbitrii pertinet, quod possit in diuersa, unde res cognitione carentes, quarum actiones sunt determinatæ ad unum, nihil agunt, suo arbitrio; animalia uero irrationalia, agunt quidem arbitrio, sed non libero, quia iudicium quo aliquid prosequuntur, uel fugiūt, est in eis determinatum a natura, ita ut ipsum præterire non possint, sicut ouis non potest non fugere lupū uisū. Sed omne illud, quod habet intellectum, & rationem, agit libero arbitrio, inquantū. s. arbitriū eius, quo agit, consequitur apprehensionē intellectus, uel rationis, quæ se habet ad multa, & ideo ad rationem liberi arbitrii pertinet, quod possit in diuersa. Sed ista diuersitas tripliciter potest attendi, Primo, secundum differentiam rerum, quæ eliguntur propter finem, nam unicuique naturaliter conuenit unus finis, quem naturali necessitate appetit, quia natura semper tendit ad unum; sed quia ad unum finem multa possunt ordinari, appetitus intellectualis, seu rationalis naturæ, potest tendere in diuersa, eligendo ea, quæ sunt ad finem; & hoc modo Deus, tanquam proprium finem, naturaliter uult suam beatitudinem, & non potest non uelle eam; sed quia ad bonitatem eius possunt ordinari diuersi modi, & ordines rerum; uoluntas eius non sic fertur ad unum in suis effectibus, quin possit quantum est de se ferri in aliud, & secundum hoc competit Deo libertas arbitrii; Similiter, & Angelus, & homo, habent finem naturaliter sibi præstitum beatitudinem, unde naturaliter appetunt eam, nec possunt uelle miseriam, ut dicit Aug. 8. de Trin. Sed quia ad beatitudinem diuersa possunt ordinari, in eligen-

do

do ea, quæ sunt ad finem, potest uoluntas, tam hominis, quam angeli, boni uel mali, in diuersa ferri. Secunda diuersitas inquam liberum arbitrium potest, attenditur secundum differentiam boni, & mali; sed ista diuersitas, non pertinet per se ad potestatem liberi arbitrii, sed ad eam per accidens se habet, inquantum inuenitur in natura potenti deficere, Cum enim uoluntas de se ordinetur in bonum, sicut in proprium obiectum, quod tendat in malum, non potest contingere nisi ex hoc, quod malum apprehenditur sub ratione boni, quod pertinet ad defectum intellectus, uel rationis, unde causatur libertas arbitrii; non autem pertinet ad rationem alicuius potentia, quod deficiat in suo actu, sicut non pertinet ad rationem potentia uisua, quod aliquis obscure uideat, & ita nihil prohibet inueniri liberum arbitrium, quod ita tendit in bonum quod nullo modo potest tendere in malum, uel ex natura sua, sicut in Deo, uel ex perfectione gratia, sicut in hominibus, & angelis beatis. Tertia autem diuersitas inquam potest liberum arbitrium, attenditur secundum differentiam mutationis, quæ quidem non consistit in hoc, quod aliquis diuersa uelit, nam & ipse Deus uult, ut diuersa fiant, secundum quod conuenit diuersis temporibus, & personis; sed mutatio liberi arbitrii consistit in hoc, quod aliquis illud idem, & pro eodem tempore non uelit, quod prius uolebat, aut uelit, quod prius nolebat; & hæc diuersitas non pertinet per se ad rationem liberi arbitrii, sed accidit ei, secundum conditionem naturæ mutabilis; sicut non est de ratione uisua potentia, quod diuersimode uideat, sed hoc contingit quandoq; propter diuersam dispositionem uidentis, cuius oculus quandoq; est purus, quandoq; autem turbatus; Et similiter etiā mutabilitas, seu diuersitas liberi arbitrii, non est de ratione eius, sed accidit ei inquantū est in natura mutabili; Mutatur. n. liberū arbitriū ex causa intrinseca, & ex causa extrinseca. Ex causa quidem intrinseca, uel propter rationē, puta cū quis aliquid prius nesciebat, q. postea cognoscit; uel propter ipsum appetitū, qui quandoq; sic est dispositus per passionem, uel habitum, ut tendat in aliquid sicut in sibi conueniens, quod cessante passione, uel habitu, sibi non est conueniens; Ex causa uero extrinseca, puta cum Deus immutat uoluntatem hominis, per gratiam de malo in bonum, secundum illud prou. 21. Cor Regum in manu Dei, & quocunque uoluerit uertet illud. Hæc autem duplex causa (subiungit S. Thom. ut descendat ad causam obstinationis demonum,

Vnde mutatio liberi arbitrii.

tu

De ratione, & uis liberi arbitrii de quo unde etiā in c. 24. huius libri.

Tripliciter potest in diuersa.

tu autem his subiunge ea, quæ diximus in cap. 24. huius libri, de libero arbitrio, ut habeas completam doctrinam de libero arbitrio) cessat in angelis post primam electionem, & primo quidem naturaliter in his, quæ ad ordinem naturæ pertinent, immutabiliter se habent; quia mutatio est existentis in potentia, ut dicitur in 3. physic. hoc autem ad naturam angelicam pertinet, ut actu habeant notitiam omnium, quæ naturaliter scire possunt, sicut nos naturaliter actu habemus notitiam primorum principiorum, ex quibus procedimus ratiocinando ad acquirendam cognitionem conclusionum; quod non contingit, in angelis, quia in ipsis principiis intuentur omnes conclusiones, quæ ad naturalem eorum cognitionem pertinent. Et ideo sicut immobiliter nos habemus in cognitione primorum principiorum, ita intellectus eorum, immobiliter se habet, circa omnia, quæ naturaliter cognoscit. Et quia uoluntas proportionatur intellectui, consequens est, quod etiam uoluntas eorum naturaliter sit immobilis, circa ea, quæ ad ordinem naturæ pertinent. Verum est autem, quod sunt in potentia respectu motus in supernaturalia, siue per conuersionem, siue per auersionem, unde hæc sola mutatio in eis esse potest, ut de gradu naturæ ipsorum moueantur in id, quod est supra naturam, conuertendo se, uel auertendo; Sed quia omne, quod aduenit alicui, ei aduenit secundum modum suæ naturæ; consequens est, ut angeli immobiliter perseuerent, uel in auersione, uel in conuersione, respectu boni supernaturalis. Ex parte uero extrinseca, immutabiles sunt, uel in bono, uel in malo, post primam electionem, quia tunc finitur in eis status uiatoris; unde non pertinet ad rationem diuinæ sapientiæ, ut ulterius dæmonibus gratia infundatur, per quam reuocetur à malo primæ auersionis, in qua immobiliter perseuerant. & ideo quamuis diuersa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant, quia in omni eorum electione, permanet uia primæ electionis ipsorum. hæc ibi. Ex quo in p. p. infert differentiam inter liberum arbitrium hominis, & angelorum, quod cum homo per rationem mobiliter apprehendat, discurrendo, de uno ad aliud, habens uiam procedendi ad utrumque oppositorum, eius uoluntas adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere; Et ideo consuevit dici, quod liberum arbitrium hominis, est flexibile ad oppositum, & ante electionem, & post; liberum autem arbitrium angeli, est flexibile ad utrumque oppositum, ante electionem, sed non post, & sic (concludit) angeli boni, semper adhæ-

ren-

rentes iustitiæ, sunt in illa confirmati, mali uero peccantes, sunt in peccato obstinati. Et licet S. Thom. loquatur solum de dæmonibus, tamen ut inquit Capreolus 2. s. d. 7. secundum eius doctrinam, idem dicendum est de animabus separatis; nam anima iudicium, & æstimationem agibilem, & finis ultimi, cum quo exiit à corpore, deponere non potest; & consequenter, nec uoluntatem finis, nec electionem ordinatorum in finem quibus adhæsit in corpore, & sic remanet obstinata; cuius obstinatio nõ caufatur totaliter tanquam à causa præcisa, ab aliquo actu, nec ab aliquo habitu, sed ex habitu hic acquisito, & ex statu nouo, & ex natura sua, quibus positus exit in actualem æstimationem, & actualem appetitum peruersi finis, ad quem omnia refert, & talem æstimationem, & appetitum nunquam deponit: quod deducit ex S. Tho. 4. contra Gentes, cap. 95. Causa igitur obstinationis dæmonum, secundum S. Thom. est eorum natura, quia cum immobiliter apprehendant, cui adherent, immobiliter adhærent; & licet adducat etiam, pro causa, illorum statum, quia sunt extra uiam, & in termino, & Deus illos non conuertit, eisq; non dat gratiam: causa tamen propria est eorum natura, quia post primam electionem immobiliter adherent.

Scotus 2. s. d. 7. contra hanc rationem obstinationis dæmonum, à S. Tho. assignatam multa facit argumenta, quæ frustra Caiet. p. p. conatur soluere; & uideri poterunt apud Scotum, & Caietanum, illa modo relinquemus, & faciliori, & clariori uia, ex eodemmet. S. Tho. contra eum ostendemus, illam non esse propriam causam. Pro quo notandum est, quod cum potentia sit, propter obiectum, & ad suum naturaliter tendat obiectum, ab eo solum firmatur, & quietatur; Obiectum Intellectus est uerum, & uoluntatis bonum, & ab eis solum possunt ligari, firmari, & immobiles reddi, ut non possint in opposita tendere; non tamen quomodocumque, sed quando ita euidenter apprehenduntur, ut talia, quod nullo modo possunt aliter apprehendi; unde quando intellectus apprehendit aliquid, ut uerum, quod non potest considerare nisi, ut euidenter uerum, & non sub aliqua ratione, ut falsum, uel ut dubium, ei immobiliter adhæret; similiter, & uoluntas, quando ei presentatur aliquid, ut bonum, quod nulla ratione potest ei representari, ut malum, uel ut minus bonum, & minus eligibile, ei immobiliter adhæret, & non potest uelle oppositum, huiusmodi est modo beatitudo in communi apprehensa, & erit in particulari Deus clare uisus; At quando intellectus, & uoluntas non habent tantam suorum obiectorum eui-

den-

Contraria
scoti sen-
tentia.

Pro solu-
tione dif-
ficultatis,
notandum.

dentiam, possunt mutari, & intellectus iudicare falsum, quod in
dicauit uerum, & uoluntas odire, ut malum, quod amauit, ut bo
num. Et hoc est certissimum etiam apud S. Thom. Videndum
nunc est, de immobilitate intellectus, & uoluntatis Angeli, &
cum uoluntas proportionetur intellectui, de illo prius agamus;
de quo S. Tho. duo dicit, Primum, quod Angeli habent actu no
titiā eorum omnium, quę naturaliter scire possunt, sicut nos
habemus actu notitiā primorum principiorum; & propterea
quoad notitiā naturalem non sunt in potentia, non discurrūt,
nec ratiocinantur; & propterea immobiliter se habent, circa om
nia, quę naturaliter cognoscunt, sicut etiam nos immobiliter
habemus in cognitione primorum principiorum; quod conce
dimus. Dicit secundo, quod sunt in potentia respectu cog
nitionis supernaturalium, & motus in ea, & propterea hæc sola
mutatio in eis esse potest. quod etiam partim concedimus, nam
sunt etiam in potentia ad cognitionem cogitationum cordium
quorum scrutator est solus Deus; Subdit, quod cum omne, q
aduenit alicui, ei adueniat, secundum modum suę naturę, con
sequens est, ut Angeli immobiliter perseuerent in prima aue
rsione, uel conversione, respectu boni supernaturalis. Et hic de
finit S. Tho. nam per hoc, quod Angelus semper est in actu, & nõ
est discursiuus, nec mobilis respectu cognitionis rerum omnium
naturalium, colligit, quod eodem modo se debet habere circa
supernaturalia, ad quę est in potentia, post primum actum intel
lectus, & uoluntatis, quasi id sit secundum eius naturam, & illi
repugnet post primum actum, esse mobilem, seu mutabilem. Et
tamen non sequitur, est immutabilis circa cognitionem rerum
naturalium, ergo cognitionem ad quam est in potentia debet
immutabiliter habere; nam idem possemus dicere de homine
naturaliter habet notitiā primorum principiorum, & in ea im
mutabiliter se habet, ergo eodem modo debet acquirere noti
tiam ad quam est in potentia.

Vnde In
tellectus,
& Volun
tatis im
mutabili
tas in An
gelis.

Et ut ostendamus causam diuersitatis, notandum est, quod
immobilitas intellectus, & uoluntatis, in Angelo, ut non possit
recedere ab eo cui adhęsit, necessario prouenit ex una ex dua
bus causis, uel ex utraque. s. uel ex obiecto, uel ex simplicitate
naturę, loquendo quantum est ex natura rei, ut ei repugnet mo
bilitas; & dicimus, quod ei prouenit ex solo obiecto, seu ex mo
do illud cognoscendi, uel apprehendēdi, ex eo. s. quod aliquid
apprehendit, ut uerum, seu bonum, & non potest illud aliter ap
prehendere, ut diximus. hoc modo Beati adherent Deo, quia

est

est ueritas, & bonitas per essentiam, & illum uident, non per spe
ciem, & in enigmate, sed sicuti est, facie ad faciem; Sed extra
beatificam cognitionem, & dilectionem, in Angelo sunt duę co
gnitiones, una naturalis rerum omnium naturalium, altera eo
rum, quę naturaliter cognoscere non potest, & ad quam est in
potentia; Circa cognitionem naturalium, intellectus Angeli
cus immobiliter se habet, quia illa plene intelligit, per species
concreatas, & eorum habet notitiā intuitiuam, & euidentiā
ueritatis. Illam autem cognitionem ad quam est in potentia,
non sic semper plenam habet, sed sæpe ex parte, nam uenit ali
quando in cognitionem effectus, & non in cognitionem causę;
& è contra, aliquando habet cognitionem principii, & non effe
ctus, qui sequetur ex illo principio; & probatur ex Sacris litte
ris. Dan. 10. dixit Angelus Danieli, *Ego ueni propter sermones tuos,*
Princeps autem regni Persarum restitit mihi uiginti, & uno diebus,
Et ecce Michael unus de Principibus primis, uenit in adiutorium meum, & c.
& nunc reuertar, ut præliet aduersus Principem Persarum, & c. Ange
li cum ignorent, quid de futuris disposuerit Deus, discutiendo
contraria merita, contrarias dicuntur habere uoluntates, & in
uicem pugnare, & sibi inuicem resistere, non tamen simpliciter
est inter eos contrarietas uoluntatum, quia eorum uoluntates
sunt conformes diuinę uoluntati; ut inquit S. Greg. lib. 17. Mo
ral. cap. 8. Esa. 63. *Quis est iste, qui uenit de Edon, tinctis uestibus de*
bofra? iste formosus, & c. Quare ergo rubrum est indumentum tuum?
Christum quidem nouerunt, sed non omnia eius mysteria, &
edocti de uno, quærunt de alio. Diabolus semper dubitauit de
Christi diuinitate usque ad passionem, & cum eius mortē pro
curasset, postea mediante uxore Pilati, illam impedire conaba
tur. Probatur etiam, quia futura contingentia, & libera, Ange
li non possunt cognoscere nisi per coniecturas, & solus Deus il
la cognoscit in suo esse, Esa. 12. *Annunciate, quę uentura sunt in fu*
turum, & sciemus, quod dii estis uos. Cogitationes etiam cordium,
solus Deus cognoscit, Angeli uero non nisi per suos effectus, &
coniecturas, uoluntas enim rationalis creaturę, soli Deo subia
cet, Jerem. 17. *Prauum est cor hominis, & in scrutabile, & quis cogno*
scet illud, Ego Dominus scrutans, & c. quę etiam docet S. Tho. p. p.
q. 57. Ex quo sequitur, quod intellectus Angelicus, quo ad illā
cognitionem, ad quam est in potentia, est discursiuus, & muta
bilis, & diabolus potest etiam decipi, & falli; nam propria, &
tota ratio ob quam intellectus noster intelligit, componendo,
& discurrendo, est, quia in simplici cognitione obiecti, non in
tue-

tuetur omnia. quæ ratio militat etiam in Angelis, non quidem quoad naturalia, sed quoad supernaturalia, & quoad futura contingentia, & libera. Quod etiam probatur, quia ex hoc, quod discurrunt, sunt mutabiles, & quod uoluerunt, nolunt, & mali etiam decipiuntur, nam Angeli boni, dum iudicant aliquid expedire, illud suadent, cum autem postea cognoscunt non amplius expedire, uel Deo reuelante, uel mutatis hominum uoluntatibus, & rebus, mutatur etiam eorum uoluntas, & non id, sed aliud suadent. ut patet in exemplo adducto ex Daniele. Similiter, & mali suadent id, quod iudicant posse esse causam mali, at quando postea uident, ex eo bonum oriturum, suadent oppositum, ut patuit de diabolo dissuadente Christi mortem, quam procurauit. Inter quos est maxima differentia, nam boni non falluntur, nec decipiuntur, nec errant, sicut mali; nam illi semper iudicant saluo superiori ordine. & quantum est ex meritis causarum naturalium, seu hominum; hi uero superbia elati, iudicant simpliciter, ac si nullus esset ordo superior, immutatus ordinis naturæ, & eorum, quæ ab hominibus disponuntur. Hæc omnia docet S. Thom. p. p. nisi quod dicit Angelos, non intelligere componendo, & ratiocinando, & ob id dici intellectuales, sed loquitur de cognitione naturali, qua simplici intuitu cognoscunt rerum quidditates, & earum proprietates, ut etiam notauit Caiet. ibid. q. 58. ar. 5. & inquit, quod S. Th. sibi contradiceret, si uellet, quod non discurrant quoad ea ad quorum cognitionem sunt in potentia. Nec ob id sequitur, quod non sint dicendi intellectuales, sed rationales, nam quoad cognitionem naturalem, & quoad beatificam, à qua debent denominari, non discurrunt. Satis igitur probatum est intellectum angelicum, esse mutabilem quoad eam cognitionem, ad quam est in potentia, & consequenter etiam uoluntatem; & quod potest uelle, quod noluit, & nolle, quod uoluit, sicut, & intellectus iudicare potest expedire, quod prius iudicauerat non esse expediens, proportionatur enim intellectui. Nec potest dici, quod licet intellectus, & uoluntas quoad ista non redantur immobiles, per primam apprehensionem, & conuersionem ab obiectis, quia non fuerunt plenè apprehensa, redantur tamen immobiles à simplicitate naturæ, ut non possint recedere ab eo cui semel adhæserunt, quia toto conatu conuertuntur, uel auertuntur, & adhærent; Nam Angeli sunt quidem spiritus, & non compositi ex materia, & forma; sed non sunt simplicissimi, & actus puri; constant ex actu, & potentia,

tiâ, & sunt in potentia, & quatenus eorum intellectus, & uoluntas sunt in potentia, non adhærent alicui rei intellectæ, & uoluntæ immobiliter, nisi expleta illa potentia, respectu earundem rerum, ut tantum de illis percipiant, quantum percipere possunt: quod etiam patet dictis rationibus, & Sacræ scripturæ auctoritatibus; nam diuersa Angelorum uoluntas, Dan. 10. durauit uiginti, & uno diebus, usque ad factam reuelationem, quæ etiam post durauit, cum subiunxerit Angelus, & nunc reuertar, ut præliet aduersus Principem Persarum. & dubium dæmonis de Christi diuinitate, durauit ab illius natiuitate, usque ad mortem; iuxta quod dubium, diuersa, & contraria sepe procurabat. Si ergo Angelus est mobilis, post primam apprehensionem, & electionem, tunc erit maxime mobilis, quando ita errat, ut à suo fine, & obiecto totaliter auertatur, nam dum res est dubia, sunt rationes pro utraque parte; at quando constat fuisse relictam ueritatem, & spretum summum bonum; finis, & obiectum, ad se attrahunt, & natura intellectus, & uoluntatis, quodam modo impellit; nam potentia essentialiter respicit suum obiectum, & ad illud ordinatur. Et si intellectus, & uoluntas post apprehensionem, & auersionem sunt mutabiles, & conuerti possunt, multo magis sunt ipsi dæmones, cum tanquam spiritus, perfectius intelligant; & hoc quantum ad naturam, & quantum ad non repugnantiam; ergo si homo potest conuerti, & non angelus, causa differentiæ non est eorum natura, sed quia (ut dicemus) conuersio ad Deum non potest fieri solis uiribus naturæ, sed requiritur auxilium gratiæ, quod conceditur hominibus quamdiu sunt in uia, & denegatur dæmonibus. Et hoc docuit S. Aug. de fide ad Petrum, cap. 3. dicens, *Quod si possibile esset, ut humana natura postquam à Deo auersa, bonitatem perdidit uoluntatis, ex se ipsa rursus eam habere potuisset, multo possibilis hoc natura haberet angelica, quæ quanto minus grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate; Sed ostendit Deus, unde bona uoluntas hominibus detur, quam sic amiserunt angeli, cum haberent, ut amissam deinceps habere non possint.* Ex qua S. August. auctoritate sic arguitur, Si uoluntas humana ex se posset redire ad iustitiam, multo magis posset uoluntas angelica, ergo quod uoluntas angelica non possit redire, non est propter immobilitatem suæ potentiæ cognoscitiuæ, nec propter defectum libertatis, aut immobilitatem uoluntatis, imo secundum ipsum si attendatur potentia cognoscitiua, & libertas arbi-

arbitrii, magis potest redire ad iustitiam uoluntas angeli, & animæ separate, quam nostra. Si ostendit Deus unde bona uoluntas hominibus datur, ex hoc, quod eam angeli amplius recuperare non possunt, angelorum obstinatio, est ex hoc, quod eis denegatur gratia, uirtute cuius datur hominibus bona uoluntas; nam si ista non est causa, sed quia immobiliter apprehendunt & adhærent, falsum est, quod dicit Aug. Deum ex hoc ostendere necessitatem gratiæ ad bonam hominum uoluntatem, posset enim dici, quod homo ex se posset recuperare bonam uoluntatem, licet non possit Angelus, quia non apprehendit, nec adhæret immobiliter sicut Angelus.

Quæ sit uera causa obstinationis dæmonum, & damnatorum.

Supereff, ut explicemus causam obstinationis dæmonum, quæ etiam eadem est, & animarum separatarum; & hanc credo esse, quia cum sint in termino, extra statum merendi, iustissimo Dei iudicio, relinquuntur in sua malitia, à qua non possunt resiliere, sine Dei adiutorio, quod illis Deus iustissimè denegat, quo si daretur, possent penitere, & conuerti, sicut & nos, ut diximus p. p. lib. 2. cap. 8. de quibusdam animabus ex pœnis inferni, singulari priuilegio liberatis. Nec solum denegat illis Deus gratiam, sed illos etiam punit propter eorum peccata. Cum autem sint à Deo sic derelicti, & ad debitam pœnam damnati, duo sunt in illis actus naturales, genere suo boni, sed mali, ut sunt in illis, nolle. sc. pœnam, & uelle beatitudinem, & Deus illam dat, & hanc denegat; nec possunt à Deo derelicti, conformare uoluntatem suam cum diuina uoluntate, ut sic etiam uelint, præsertim cum id repugnet naturæ, quod quis uelit pœnam, & priuari beatitudine, ex quo confurgit in eis odium Dei, & cum isti actus sint perpetui, tanquam naturales, sunt perpetuo obstinati in malo, & habent uermem remordentem, qui non perit, & superbia eorum, ascendit semper. Illis Deus gratiam denegat, qua pœnitere, & conuerti possent, quia sunt extra uiam, ut diximus, quod autem id iustitia exigat, & peccato mortali debeat pœna æterna, diximus eodem lib. 2. cap. 7. nunc idem ostendemus ratione bonitatis Dei, à qua est misericordia, & iustitia; misericordia, ut ostendat se non delectari in perditione, iustitia ut ostendat non ei placere peccata; Cum autem sit summe bonus, necessario requiritur, ut terminum statuat miserendi, nam si semper in perpetuum miseretur, & parceret, uideretur, quod non ei summe displiceret, & odium haberet peccatum, & peccandi occasionem præberet, nam securi de misericordia, liberius peccarent.

Quare Deus illis denegat gratiam.

Sed

Sed antequam ulterius progrediamur, uidendum est an damnati, sint ita in malo obstinati, ut non possint habere aliquem actum bonum. Et ut separemus certa à dubiis, certum est, quod nullum possunt habere actum meritorium, cum perpetuo careant gratia, quæ est principium meriti; certum etiam est, quod non possunt deponere odium Dei, nam perpetuo habent uoluntatem contrariam uoluntati diuinæ, nam uellent beatitudinem, & nollent pœnam; qui actus tanquam naturales, perpetuo in eis durant; sed dubium est, an possint habere actum moraliter bonum, & controuersia est inter S. Thom. & Scotum, ille negat, iste concedit, Ego autem adhæreo sententiæ Scoti, tanquam probabiliori, quia non est necessarium, quod omnia uelint ex odio Dei, & propter odium Dei, & ad bonitatem etiam moralem, non est necessarium, quod actus fiat propter Deum, sed satis est, quod fiat propter finem bonum proximum, illius actus, & non apponatur ei circumstantia mala. Sed amor filiorum, & parentum est naturalis, ergo possunt damnati desiderare; quod parentes superstites, bene uiuant, & de suis peccatis pœnitentiam agant, ut beatitudinem acquirant, & non descendant in illum locum tormentorum. & probatur ex illo diuitis. Luc. 19. *Rogo te pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne, & ipsi ueniant in hunc locum tormentorum, &c. Si quis ex mortuis uerit ad eos, pœnitentiam agent.* Nec ualet si dicatur, quod hoc desiderabat, non propter illorum bonum, sed ne aueretur ei pœna accidentalit, ex illorum damnatione; nam poterat id uelle propter illorum bonum, quia uelle bonum suis, & nolle illis malum, est naturale, & naturalia in eis integra manent, sicut inquit Dion. cap. 4. de Diu. nom. in dæmonibus integra manere, Nec potest à simili argumentari, beati quia sunt confirmati in bono, non possunt male uelle, ergo damnati, cum sint obstinati in malo, nullo modo possunt bene uelle; quia est maxima differentia, nam beati sunt confirmati in bono, per hoc quod habent summum bonum per essentiam, quod excludit omne malum, at damnati sunt obstinati in malo, non per summum bonum per essentiam, quod excludit omne malum, ita datur summum malum per essentiam, quod excludat omne bonum; nam malum fundatur in bono. sc. in natura, ex qua potest etiam oriri bonum; malum autem in quo damnati sunt ob-

an possint habere aliquem actum bonum.

S. Tho. & Scotus inter se dissentiunt. probatur sententia Scoti.

Contrarii argumenti solutio.

Q q stina-

stinati, est odium Dei, quod odium Dei, tollit solum uelle bonum propter Dei amorem, sed non tollit cognitionem ueri, & naturalem inclinationem ad bonum, nec requirit, quod omnia uelint ex odio, & propter odium Dei, ut ratio suadet, & in uia- toribus experimur.

Quare sit datum maius spatium uiae hominibus, & tempus poenitentiae, & non da- monibus.

Videndum nunc est quare sit datum maius spatium uiae, hominibus, quam Angelis; & istis non sit datum tempus poenitentiae, sicut hominibus; ex quo etiam nota erit causa quare Christus propter solos homines uenerit, & non etiam propter daemones. S. Thom. 2. sent. dist. 7. q. 1. dicit homini fuisse datam longiorem uiam, quam Angelo, quia erat magis à Deo distans, & oportebat, quod in eius cognitionem inquirendo perueniret; Angelus autem statim de informi intellectu, sine inquisitione in diuinam cognitionem peruenire potuit. S. Bonau. ead. dist. hanc diuersitatis rationem melius declarat, dicit enim in rerum conditione non esse attendendam principaliter rationem misericordiae, & iustitiae, sed sapientiae, iuxta quam decreuit Deus in uniuerso facere duplicem creaturam rationalem, ad hoc, quod uniuersum esset completum, unam corpori unitam, & est Anima rationalis, aliam absolutam, & spiritualem, & est Angelus; & quoniam substantia omnino spiritalis, est omnino incorruptibilis; & ingenerabilis, non potuit unus Angelus ex alio produci, & ideo simul producti sunt; & sicut sunt simul producti, ita etiam simul erant glorificandi, siue dispositi ad simul glorificari; & quia sunt spirituales, incorporei, & incorruptibiles, nullo modo habentes retardatiuum, in loco gloriae conditi sunt, scilicet in caelo empyreo, & ita cum de proximo ad gloriam dispositi fuerint, & ratione naturae, & ratione loci, tempus meriti fuit eis praefixum, usque ad primam auersionem, & conuersionem deliberatiuam. Homini uero, quia conditi sunt in corpore animali ad procreandam prolem ad cultum Dei, & ita in dispositione remotiori à gloria, datus est locus distans ad merendum à sui conditione, scilicet paradisi terrestri, & praefixus est ei terminus diuturnus, & propter retardatiuum naturae, quia tanquam corporeus inquirendo debebat uenire in cognitionem Dei, & propter officium procreandi prolem; ob quam causam cum Angelus per primam auersionem peccauit, ad terminum uiae peruenit, & statim factus est extra tempus merendi; at homo ad terminum uiae non uenit nisi per mortem; & propterea An-

gelus post primum peccatum conuerti non potest, sicut potest homo ante mortem; post quam nec ipse etiam potest conuerti; quia extra tempus merendi, denegatur à Deo gratia; Et ita filius Dei uenit propter solos homines; qui quamdiu sunt in uia, sunt capaces illius meriti, ut ad poenitentiam conuerti possint, & saluari: morientes autem in peccato mortali transeunt ad societatem daemonum cum illis cruciandi igne aeterno; & eis amplius non profunt Christi merita, quibus saluari potuissent, si in hac uita diuinae gratiae cooperari, & poenitentiam agere uoluissent.

De mortuorum resurrectione, & quod licet sit supernaturalis illam ratio naturalis suadeat.
Cap. 38.

Aliud dogma fidei, de quo nunc tractare uolumus, est, nostrorum corporum resurrectio, quae futura est in fine mundi, in die iudicii; reuerti enim sunt omnes animae rationales, suis propriis corporibus. *Ecce mysterium uobis dico.* (inquit Apost. 1. cor. 15.) *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu uili, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Et ipsemet CHRISTVS illud nobis tradidit. Ioan. 5. *Nolite mirari hoc, quia uenit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem uitae, qui uero mala egerunt in resurrectionem iudicii.* Nec fuit solum à CHRISTO traditum, sed etiam ante illum à Prophetis. Esa. 26. *Vivent mortui, & interfecti mei resurgent.* Ezech. 37. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam uos de sepulchris vestris.* Et hanc fidem ante CHRISTVM habuerunt fideles, non solum ex Synagoga. 2. Machab. 7. *E caelo ista possideo, sed propter Dei leges, nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* & cap. 12. *Nisi eos, qui ceciderant resurrecturos sperarent, superfluum uideretur, & uanum orare pro mortuis.* Sed etiam ex Ecclesia Gentium, de qua fuit Iob, qui cap. 19. inquit. *Scio, quod Redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumda-*

Mortuorum resurrectio est de fide.

rationem
naturalē
excedit.

bor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum. Et de hoc mysterio habemus articulum fidei, & nullo modo dubitare licet; rationem naturalem excedit, & sola diuina reuelatione cognitum fuit; philosophus enim sumens philosophandi principium a sensu, & experientiam sequens, generaliter dicit a priuatione ad habitum non dari regressum. Sed supposito lumine fidei, humanorum corporum resurrectionem, naturali etiam ratione, consonam esse, facile probatur; concesso, quod anima rationalis est forma hominis, & est immortalis; quod superius euidenter probauimus rationibus naturalis, & Aristotelis etiam testimonio; nam licet fieri non possit uirtute naturali, sed sola uirtute diuina, cum certum sit Deum infinitum plura posse, quam natura; philosopho sufficere debet, quod ei probetur, resurrectionem non repugnare, ad hoc ut concedat a Deo posse fieri, potest enim quicquid non implicat contradictionem; & probetur etiam esse rationi consonam ad hoc, ut mandacatur ad credendum diuinæ reuelationi, illam asserenti. Quod autem resurrectio non repugnet, & consequenter non sit Deo impossibilis, manifeste probatur, quia hominis morte, non corumpuntur eius principia essentialia, materia, scilicet, & forma, sed eadem prorsus numero remanent; cum autem remaneant, non implicat, quod reuoluantur. Et confirmatur, quia manus est illa producere, quam producta, & separata reuolunt, sed Deus fecit primum, ergo multo magis poterit, hoc secundum; Ratio autem ob quam agens naturale, non potest illa reuolunt, est, quia non habet uirtutem super formam separata a materia; cum enim illius actio sit circa materiam, non potest attingere ad ea, quæ sunt separata a materia; unde respectu animæ rationalis, solū inducit ultimam dispositionem in materia, & non concurrat ad illius productionem, cum non educatur de potentia materiæ, sed a Deo immediate creetur; & sicut concurrat disponendo materiam ad generationem, non sic concurrat ad reuolunt animæ cum materia, nam cum generatio sit ad producendum nouum esse, quod est a forma, forma non debet præexistere generationi, licet aliqua, scilicet rationalis, possit remanere post corruptionem, ut superius citauimus ex 12. Met. uirtus ergo generatiua est ad productionem nouæ formæ, educendo illam de potentia materiæ; quæ si uirtus hominis generatis non attingit productionem formæ, est quia anima rationalis non educitur de po-

ten-

Quod nõ
repugnet.

tentia materiæ, & eius uirtus non extenditur ultra materiam; Licet autem anima rationalis sit immediate a Deo, mediante generatione, non debet infundere materiæ animam præexistentem, sed nouam creare, quia hæc est natura generationis, & Deus noluit a principio creare simul animas hominū, sed successiue mediante generatione. licet ergo post hominis mortē, remaneat illius anima, & materia, non tamen ob id possunt reuolunt ab agente naturali, sed bene possunt reuolunt a Deo, quia habet uirtutē super animam, siue in materia, siue extra materiam existentem, & potest discernere, & inuenire propriam cuiusque animæ materiā, & suam cuique tribuere. Cum igitur certum sit Resurrectionem non repugnare, uidendum nunc est, an ratio etiam naturalis, illam suadeat, & quod illam suadeat probatur, sex rationibus ex Richardo, & S. Bonau. 4. s. d. 43. quas nos fusius explicabimus. Prima est Richardi, quia anima rationalis cum sit forma corporis, habet naturalem appetitum, & inclinationem ad suum corpus, ut illud perficiat, & informet, quod patet tum ex eius natura, quia forma, ut forma, intrinsicè respicit corpus, cuius est forma, & compositum cuius est pars; tum etiam, quia non uellet separari a corpore, etiam misero existente, sed natura nihil facit frustra, ut dicitur 3. de Ani. tex. 45. & 60. & 1. de Cæl. text. 32. & si hoc est uerum de natura, multo magis erit uerum de auctore naturæ, qui ipsam non naturaliter, nec de necessitate, sed libera uoluntate instituit, & creauit. Frustra autem, & uane esset in anima separata prædicta inclinatio, si nunquam esset reuolunt corpori; quod autem in anima rationali, quæ est præcipua creatura, detur appetitus naturalis omnino uanus, & nunquam adimplendus, uidetur absurdum, cum in cæteris rebus, quantumuis minimis, uideamus nihil esse in natura frustra. Nec obstat si dicatur, quod appetitus beatitudinis in damnatis mansurus est perpetuo incompletus, & in nullo eorum est adimplendus; nam hic naturalis appetitus, si non completur in damnatis, completur in beatis, & ita non manet uniuersaliter incompletus, & non est necessarium, quod naturalis appetitus impleatur in omnibus indiuiduis, quia potest occurrere aliquod impedimentum. In damnatis etiam non est frustra, quia est ad maiorem iniquitatis in qua sunt obstinati punitionem, & ad manifestationem diuinæ iustitiæ; at si non esset mortuorum resurrectio, naturalis appetitus remaneret generaliter, quoad omnes animas incompletus, & non propter earum obstinationem.

Quod ratio
naturalis
illam
suadeat.

in pœnam, ut patet de animabus beatis; quare simpliciter esset frustra, & uanus. Secunda est Richard. & S. Bonauent. supposito alio fidei dogmate, quod mundus sit innouandus, & generatio sit habitura finem; quia perfectio vniuersi, requirit mortuorum resurrectionem; nam de illius perfectione est triplex substantia, pure. f. corporalis, & pure spiritualis, & ex corporali, & spiritali composita. & hac tertia parte suæ perfectionis perpetuo careret vniuersum, si animæ à corporibus separata, nunquam corporibus iterum unirentur, non possunt autem uniri nisi corporibus humanis, quorum sunt formæ. Tertio, probatur cum S. Bonau. rationibus sumptis ex remuneratione diuinæ iustitiæ, ex perfectione beatitudinis, & ex perfectione naturæ, quibus addemus ex Richardo aliam, ex perfectione reparationis, seu redemptionis, quas fusius explicabimus. Tertia igitur, ratio sit ex remuneratione diuinæ iustitiæ, quia decet diuinam iustitiam, ut ille qui meruit præmiatur, & qui demeruit puniatur, sed meritum, & demeritum licet principaliter consistant in actibus ipsius animæ, tamen ad hoc, operatur totum compositum, quia actiones sunt suppositorum, ad hoc etiã operantur uirtutes, quæ sunt totius compositi, ut sensus, & phantasia, sine quibus non sunt intelligere, & uelle, nec per consequens meritum, nec demeritum; solus etiam status animæ in corpore, est status merendi, & demerendi; ergo decet diuinam iustitiam, ut homo præmiatur, uel puniatur, non solum in anima, sed etiã in toto composito, quod non potest esse nisi per resurrectionem. Nec obstat si dicatur, quod corpus est instrumentum animæ, & satis est remunerare operantem, & non etiam instrumentum, unde Angelus quando assumit corpus, ut per illud operetur, corpus assumptum, post operationem resoluitur, & non resurgit. in purgatorio etiam solæ animæ puniuntur pro his, quæ gesserunt in corpore. Ad quæ respondetur, quod anima non comparatur ad corpus, solum, ut operans ad instrumentum quo operatur, sed etiam ut forma ad materiam, ut altera pars cum corpore compositi, & corpus concurrat ad compositionem formæ totius, & operationes sunt totius coniuncti, & cum operati debeat operis merces, oportet, quod ipse homo compositus ex anima, & corpore, sui operis mercedem accipiat. Nec obstat, quod pœna purgatorii est in sola anima, quia illa pœna non est simpliciter retributio, sed magis purgatio quædam, quæ seorsum fit, in corpore per mortem, & incinerationem, & in anima per ignem purgatorii, propter peccata uenialia, quæ sunt quasi di-

spo-

spositiones ad mortalia, & etiam propter mortalia iam remissa, pro quibus non fuit plene satisfactum. corpus autem ab angelo assumptum, est instrumentum separatum, & propterea non est capax remunerationis, sicut nec calamus quo scribimus. Quarta ratio est ex parte beatitudinis, quia debet complere, & quietare omnem animæ appetitum, ergo quietabit etiam istum, quem habet ad proprium corpus, ut ei reuniatur. Quinta sumitur ex perfectione naturæ, quæ consistit in toto composito, & non in altera eius parte, nam perfectio gratiæ, & gloriæ, presupponit perfectionem naturæ. Has rationes insinuauit Apost. 1. cor. 15. ubi probat resurrectionem ex beatitudine, quæ erit etiã in corpore, dicens, *Si in hac uita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Et uis argumenti Apostoli consistit in hoc, qui negat resurrectionem corporis, consequenter negabit, uel immortalitatem animæ, uel illius beatitudinem, quia ad completam illius beatitudinem requiritur corpus. quibus negatis, consequenter etiam spes nostra erit solum in hæc uita. Sexta ratio est Richardi, supposito alio fidei dogmate, quod mors introiuit in mundum propter peccatum, & si homo non peccasset, nunquam moreretur, ex quo sic argumentatur, homo fuit per Christum perfecte restaurandus, ad perfectam autem restaurationem requiritur, quod homo talis futurus sit, qualis fuisset si non peccasset. hoc autem non potest esse nisi animæ iterum suis uniantur corporibus.

Sed contra hanc rationem unum formabo argumentum, ut sit nobis occasio explicandi quomodo mors sit pœna peccati, & resurrectio sit aliquo modo naturalis. Si mors est pœna peccati originalis, ergo illi quibus non fuit remissum peccatum originale, ut pueri mortui sine Baptismo, non debent resurgere; nã sicut Christus quo ad sufficientiam satisfecit pro omnibus peccatis actualibus, ita etiam pro originali, sed non obstante sufficienti satisfactione Christi, qui cum peccato mortali moriuntur, non resurgunt ad uitam spirituales, & gratiæ, sed relinquuntur in æterna damnatione, ergo à simili qui moriuntur cum peccato originali, non debent resurgere, sed relinqui in pœna illius peccati, quæ est mors. Gen. 2. Respondetur, quod duplex est pœna peccati, altera ei correspondens, & propria, damni. f. & sensus, & hæc tam in actuali, quam in originali, non remittitur nisi remittatur peccatum, & eo remisso, remittitur etiam pœna. altera non est propria ei correspondens, & hæc aliquando remanet eo remisso, ad exercitium, aliquando remittitur eo non re-

Dubium
cum solu-
tione.

Quomo-
do mors
sit pœna
peccati, &
sint resur-
recturi et-
iam illi
quorum
non sunt
remissa
peccata.

Q 4 misso,

missio, ut patet de pœnis huius uitæ. Mors est pœna peccati originalis, & uniuersalis, sed non est propria, & ei correspondens, & eo remisso adhuc remanet quoad omnes; Et resurrectio est etiã eorum quibus non fuit remissum peccatum originale. Quomodo ergo mors est pœna peccati, & passio Christi tollendo peccatum est causa resurrectionis? Pro quo notandum est, quod mors, & resurrectio sunt aliquo modo naturalia, mors quidem ratione materiæ est simpliciter naturalis, quia omne compositum ex elementis est corruptibile. sed ratione doni iustitiæ originalis, non debebat sequi, illo autem per peccatum amisso, in pœnam, secuta est mors. ratione autem animæ immortalis, quantum est ex natura ipsius, non debuisset esse mors, sed non erat per se sufficiens ad illam impediendam, subuenit tamen Deus ligno uitæ. & secuta morte, tanquam forma, retinet naturalem inclinationem ad suum corpus, cuius fuit forma, & ad quod habet relationem, & illi iterum uniri appetit; & hac ratione resurrectio potest aliquomodo dici naturalis, quatenus est conformis naturæ animæ; sed quia non potest fieri uirtute naturali, est simpliciter supernaturalis, quia fiet solum ab agente supernaturali, sine aliquo medio naturali, solo Angelorum ministerio. Christus ergo tollendo peccatum, sua morte, mortem uicit, ut non in perpetuum esset, & sua resurrectione, fuit causa nostræ resurrectionis; sed sicut ita uicit mortem, ut omnes moriantur, etiam remissis peccatis, quia mors est naturalis ex parte materiæ, ita etiam fuit causa resurrectionis omnium, etiam illorum quibus nõ sunt remissa peccata, nec etiam originale; & hoc non solum, ut qui in corpore peccarunt, in corpore etiam puniantur, nam resurgent etiam pueri, qui mortui sunt cum solo peccato originali, quibus non debetur pœna sensus; sed etiam, quia resurrectio, est aliquo modo naturalis, attendita natura animæ, ut diximus; nam propria pœna peccati, non est, quod anima priuetur corpore, cuius est forma, sed sine, & beatitudine, cuius redditur indigna; uel sine dolore, ut pueri, uel cum summo dolore, & pœna etiam sensus, ut adulti, propter earum actualia peccata. De resurrectione multæ tractantur difficultates, quæ apud Doctores in 4. s. d. 43. uideri poterunt, pro quibus omnibus hoc solum dicimus, quod fiet uirtute diuina, cui nihil est difficile.

Quod

Quod mundus sit innouandus, & purgandus; resoluenda sint mixta, terminanda generatio, & Cæli quiescendi, & quod ratio naturalis ista etiam suadeat. Cap. XX XIX.

Quod mundus sit in fine purgandus, & innouandus, habetur auctoritatibus Sacræ scripturæ, Esa. 66. *Ecce ego creo cælos novos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* Apoc. 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam.* 2. Pet. ult. *Cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Psal. 49. *Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas ualida, & quia tunc futurum est uniuersale iudicium, subditur. Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum.* Quod tunc debeat etiam cessare motus cæli, habetur, Esa. 66. *Non occidet sol tuus, & luna non minuetur.* Apoc. 10. *Et iurauit per uiuentem in secula seculorum, &c. quia tempus non erit amplius.* Quod autem istæ auctoritates non sint metaphoricæ interpretandæ, sed iste sit earum uerus, & proprius sensus, docent Sancti, & tenet Ecclesia; & nullo modo est de hoc dubitandum. Cuius etiam conuenientiam in 4. sent. Doctores tradunt, quia finis, & ea quæ sunt ad finem, debent proportionari; sed homo est quodammodo finis omnium corporalium, saltem generabilium, & corruptibilium, ergo illa debet homini proportionari; sed homo in resurrectione, innouabitur, & immutabitur in meliorem, puriorem, & nobiliorem dispositionem, ergo congruum est, ut mundus corporalis, qui factus est propter hominem, immutetur in meliorem, puriorem, & nobiliorem statum. Cum autem mundus sit purgandus, & innouandus, satis erit loqui de illius purgatione, de qua est præcipua difficultas, ea enim præsupposita, consequitur, & facile intelligitur innouatio, & claritas elementorum. Ista purgatio mundi, consistit in duobus, secundum duplicem impuritatem, quæ reperitur in rebus corporalibus, Vna est impuritas cõmixtionis, per mutuam actionem elementorum, & aliarum rerum ad inuicem, & hæc est impuritas naturæ, ad generationem mixtorum, quæ fuerunt homini necessaria, tum ad sustentationem corporalis uitæ, tum ad profectum cognitionis diuinæ, in quantum homo per ea, quæ facta sunt, inuisibilia Dei conspiciat, Rom. 1. homini autem glorificato non erunt mixta amplius necessaria, nam illius corpus erit incorruptibile, diuina uir-

Duplex mundi impuritas tollenda.

uirtute id per animam faciente; & licet oculus corporeus non possit eleuari ad uisionem diuinæ essentia, illam tamen uidebit, & non per speculū, & in-enigmate, sed sicuti est, intellectus beatorum: & propterea mixta non erunt necessaria beatis, ut ex illis ueniant in maiorem Dei cognitionem. Et corporeis oculis sufficet uisio Sacra: iſsimæ humanitatis Christi, uidebūt etiam corpora beatorum, & alia corpora simplicia, in quibus omnibus poterit etiam cognosci Deus in suis effectibus; cum igitur post resurrectionem mixta non sint usui futura hominibus, merito tolletur hæc impuritas naturæ. Alia impuritas est proueniens ex culpa, quamuis enim res corporalis non possit esse subiectum infectionis culpæ, tamen ex culpa relinquitur in rebus corporalibus quædam incongruitas, ad hoc ut spiritualibus dedicentur: Vnde uidemus, quod loca in quibus aliqua crimina sunt commissa, non reputantur idonea ad aliqua Sacramenta in eis exercenda, nisi quadam purgatione præmissa; & secundum hoc, illa pars mundi, quæ in usum nostrum cedit, ex hominum peccatis contraxit quandā inidoneitatem ad gloriæ susceptionem, & propterea purgari debet; Ex quo patet, quod non purgabitur totus mundus quantum ad quamlibet sui partem, sed solum quātum ad illam, quæ cessit in usum hominum, uel ad quæ facta hominum quoquomodo pertingere potuerunt, & hæc est illa pars ad quam aquæ diluuii attigerunt, propter eandem causam; unde id, quod dicitur in psal. Cæli peribunt, & 2. Pet. 3. cæli ardentis soluentur, intelligendum est de cælo aereo, iuxta illud Christi, & uolucres cæli comederunt illud, quod etiam exposuit Petrus, de quibus cælis loqueretur, præmittit enim ante illa uerba, quod cæli prius, & terra, per aquam perierunt; illi igitur cæli per ignem purgabuntur, qui prius per aquam diluuii sunt purgati. s. cæli aerei. Prior mundi purgatio, quia non respiciebat nisi infectionem peccati, & præcipue concupiscentiæ, quod tunc regnabat, conuenienter facta fuit per aquam, quasi per contrarium, ad extinguendum concupiscentiæ ardorem; at posterior, quia respicit non solum infectionem peccati, sed etiam impuritatem commixtionis, quantum ad utrumque conuenit magis, quod fiat per ignem; aqua enim non habet uim disgregandi sed magis congregandi, unde per eam naturalis impuritas elementorum tolli non posset, sicut per ignem: similiter etiam circa finem mundi regnabit uitium tepiditatis, quasi mundo iam senescente, quia ut dicitur Mat. 24. tūc refrigescet charitas multorum, & propterea conuenienter illa purgatio fiet per ignem.

Hæc

Hæc sola fide, per diuinam reuelationem habetur, sed ea supposita, si rerum naturas consideremus, uidebimus hanc mundi purgationem, innouationem, mixtorum resolutionem, & finem generationum, esse conformia ipsi naturæ, & naturam ipsam ea exposcere; Huius cōtemplationis occasionem, dedit mihi Apostolus, seu (ut melius dicam) hanc ueritatem ab ipso didici; nā Rom. 8. inquit. *Expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat, uanitati enim creaturæ subiecta est non uolens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe, quia, & ipsa creaturæ liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem filiorum Dei; scimus enim, quod omnis creaturæ ingemiscit, & parturit usque adhuc.* In horum uerborum explicacione est nobis immorandum, ut ex Apostolo ostendamus, hanc mundi purgationem, & innouationem esse conformem naturæ, ab eaque esse desideratam. Ostenderit superius Apostolus multipliciter excellentiam gloriæ, quæ reuelabitur in nobis; & illā postea prædictis uerbis, noua ratione, & expectatione creaturæ magis adhuc explicat, nam *creaturæ expectatio* (inquit) *reuelationem filiorum Dei expectat*; illud *expectatio expectat*, denotat intentionē desiderii, sicut & illud *expectans expectaui Dominum*. Quid expectat? *reuelationem filiorum Dei*, quia ut dicitur 1. Io. 3. *Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus*, occultatur enim dignitas filiorum Dei in Sanctis, propter exteriores passiones. Sed quis est, qui expectat? *Creaturæ*; Creaturæ nomine potest intelligi homo, & maxime iustus, de quo facile intelligitur, quod dicit Apostolus; at ob stare uidetur, quia subiungit, *Scimus, quod omnis creaturæ ingemiscit, & parturit usque adhuc.* Posset responderi, quod nomine omnis creaturæ intelligitur homo, iuxta illud Christi, *predicite Euangelium omni creaturæ*, quia in homine, uelut in epilogo mundi, est omnis creaturæ. Sed si per omnem creaturam intelligit hominem, non uidetur satis ostendere excellentiam beatitudinis hominis, ex expectatione omnium creaturarum; quid enim mirum est, quod homo, & maxime iustus, suam expectet, & desideret beatitudinem? Et propterea uidetur, quod illius excellentiam ostendat, per hoc, quod nō solum homo, sed etiam creaturæ sensibilis illam expectat. quādo enim erit ista reuelatio filiorum Dei, & corporum Sāctorum glorificatio, innouabitur mundus, resoluentur omnia mixta, exceptis solis corporibus humanis, quiescent cæli, & remanebūt elementa purissima. Nam sic disposuit Deus, sua infinita sapientia; nō enim debuit corpus statim glorificari cum anima, tum quia in pœnam peccati, prius corrumpendum, & resoluendum est, tum

Quod fit cōformis naturæ.

quia

Ista purgatio conuenienter fiet per ignem.

quia gloria est illi accidentalis, seu per redundantiam gloriæ, & beatitudinis animæ, ut hinc etiam sciamus animam præferendam esse corpori; Cum autem corporis gloria differenda esset, conueniens fuit, quod differretur, usque ad finem mundi, nam corporis glorificatione, datur consummata gloria, & retributio, & in eius glorificatione glorificatur, seu renouatur creatura sensibilis; quatenus est consummata retributio, debuit fieri quando cessabit iniquitas, quatenus in eo renouatur creatura sensibilis, debuit fieri in termino generationum. Nec obstat si dicatur, si mundus sic in perpetuum perpetua generatione duraret, plures in infinitum beatificarentur; quia licet id sit uerum, fuit tamen magis conueniens, quod generatio tandem terminaretur; tum quia emanatio externa cum sit libera libertate contingentiæ, non debet esse æterna, ne uideatur necessaria; tum quia corruptio, & mutatio, non debent esse perpetua, nam licet sit bonum permittere mali perpetrationem, ad eliciendum bonum, non tamen est bonum semper, & in perpetuum permittere mali perpetrationem; quia alias uideretur, quod bonum non posset uincere malum, quod non solum intelligitur de malo culpæ, sed etiam de malo naturæ particularis, illius corruptione, non enim est in natura unius generatio sine alterius corruptione, Tum etiam, quia natura nunquam haberet innouationem, & puritatem, quam per finem, & terminum generationum, & corruptionum appetit, & desiderat. Dices si natura appetit terminum generationum, sequitur, quod generatio sit illi uiolenta, & contra naturam, & tamen constat esse naturalem, quia est ad perpetuandas species, quam perpetuationem natura desiderat. Si autem est naturalis, sequitur, quod illius terminatio, & mixtorum resolutio, sit naturæ uiolenta; quomodo igitur uerum est, quod expectet, gemat, & parturiat, propter desiderium huius innouationis? Respondetur, quod generatio est naturalis ratione agentium particularium; at ratione naturæ, & generatio, & perpetuitas specierum, & agentium naturalium, continua generatione, est potius uiolenta, & illarum specierum terminum, & finem, natura appetit, ut dicit Apost. *Vanitati creatura subiecta est, non uolens, id est corruptioni, & mutabilitati, ingemiscit, & parturit usque adhuc.* cuius ingemiscere, & non uelle, est habere inclinationem in contrarium, & parturire est uehemens expectatio, nam parturitio est uia cum dolore, ad prolem producendam, & propterea dixit, quod *expectatio creaturæ, expectat reuelationem filiorum Dei.* quæ uidentur philosophiæ contraria; uerum cum gratia non

de-

destruat, sed perficiat naturam, fides non destruit, sed potius docet ueram philosophiam, ut uidimus explicando alia mysteria fidei, & manifeste etiam uidemus in præseti dogmate fidei; Pro cuius explicatione notandum est, quod licet Philosophus generaliter dicat, omnes species rerum per se, esse ingenerabiles, & incorruptibiles, & per accidens ratione indiuiduorum esse generabiles, & corruptibiles; hoc tamen est falsum, non enim omnes rerum species, etiam in uniuersali considerata, sunt per se incorruptibiles, & perpetuæ, nam quædam sunt per se corruptibiles, & per accidens incorruptibiles; quædam uero è contra sunt per se incorruptibiles, & per accidens corruptibiles. Nam cum tota natura speciei, sit in suis indiuiduis, cuius indiuiduum est totaliter corruptibile, & ipsa species est per se, & totaliter corruptibilis, & per accidens incorruptibilis, quatenus non omnia indiuidua corrumpuntur, sed continua generatione continuè perseuerant; cuius autem indiuiduum non est totaliter corruptibile, eius species per se est incorruptibilis, & per accidens ratione indiuiduorum est corruptibilis. Species per se incorruptibiles, & per accidens corruptibiles, sunt elementorum, elementa enim tanquam corpora simplicia, & non constantia ex contrariis, sunt per se incorruptibilia, & per accidens corrumpuntur secundum partes, ratione mixtionis; inter mixta autem solus homo est per se incorruptibilis, nam licet ratione corporis, sit per accidens corruptibilis, tanquam compositus ex contrariis, habet tamen animam incorruptibilem, & immortalem, & ita nullus homo particularis totaliter corrumpitur. Alia autem omnia mixta, in suis indiuiduis sunt totaliter corruptibilia, & ratione corporis, & ratione formæ; nam licet materia, sit incorruptibilis, ratione tamen potètiæ est principium corruptionis, & non est propria, sed ex se communis, & indifferens, & propterea illorum indiuidua, simpliciter dicuntur totaliter corrumpi, licet remaneat materia, quia totaliter corrumpitur id quod est illorum proprium; & consequenter eorum species sunt per se totaliter corruptibiles, cum tota natura speciei sit in quolibet eius indiuiduo, & per accidens incorruptibiles, quatenus. scæarum indiuidua continua successione durant, & apprehenduntur à suis indiuiduis abstractæ. Cum autem id, quod est per accidens tale, non sit perpetuum, istæ species, secundum totum earum esse, sunt corruptibiles, & tandem corrumpuntur; Et istæ non expectant renouationem, sed totalem destructionem, quæ erit quædo non seruiet amplius homini, propter quæ factæ sunt.

Ele-

Elementa uero expectant renouationem, quia per se sunt incorruptibilia, & per accidens corruptibilia, ut ex eis fiant mixta, ad quæ uolenter concurrunt, non secundum intentionem uniuersalis naturæ, sed secundum propriam eorum naturam, quia debent extrahi ex propriis locis, & corrumpi, ut fiant mixta. Mixtum autem corporis humani, ratione animæ, resurrectionem, & incorruptibilitatem expectat. Cum motus cæli sit ut adducat alteratiuum, & generatiuum, ut dicitur 2. de Gen. & Cor. tex. 55. cessante generatione cessare debet. Cessante enim causa cessat effectus, & remoto fine remouetur necessitas mediolorum ad finem.

Quomodo cessante motu cæli ignis inferni aget in corpora damnatorum. Cap. XXXX.

Cum cælum suo motu, sit causa prima omnium mutationum, & alterationum in his inferioribus, sine qua, non possunt causæ secundæ operari, dubium est quomodo ignis inferni, possit agere quiescente cælo in corpora damnatorum; Quod torquenda sint igne, non est dubium, cum reprobi condemnati sint ad ignem æternum, non solum, ut in eo sint, sed etiam ut ab eo crucientur, unde Christus, qui dixit, Ite in ignem æternum, statim explicat dicens, & ibunt hi in supplicium æternum. Matt. 25. sed dubius est modus propter dictam rationem, S. Thom. 4. 2. d. 44. q. 3. ar. 1. q. 3. dicit, quod cum pati sit quoddam recipere, est duplex modus passionis, secundum quod aliquid in aliquo dupliciter recipi potest; uno modo naturaliter, secundum esse naturale, sicut calor ignis recipitur in aere, uel in ligno, & secundum hunc modum receptionis, est unus modus passionis, qui dicitur passio naturæ; alio modo aliquid recipitur in altero spiritualiter, per modum cuiusdam intentionis, sicut similitudo albedinis recipitur in aere, & in pupilla; quæ receptio similatur illi receptioni, qua anima recipit similitudines rerum; & secundum hunc modum receptionis, est alius modus passionis, qui uocatur passio animæ; qua distinctione supposita, dicit, quod post resurrectionem, cessante motu cæli, non poterit aliquod corpus alterari à sua naturali qualitate, & nullum corpus poterit pati passione naturæ; & ita quantum ad hunc modum passionis, corpora damnatorum erunt impassibilia, sicut, & in corruptibilia; Sed cessante motu cæli, adhuc manebit passio, quæ est per modum animæ, quia aer à sole illuminabitur, & corporum

lorum differentias ad uisum deferret, & secundum hunc modum passionis, corpora damnatorum erunt passibilia; & quia in tali passione sensus perficitur, ideo in corporibus damnatorum, sensus poenæ, erit sine mutatione naturalis dispositionis, corpora uero gloriosa, & si recipiant aliquid, & quodammodo patiatur in sentiendo, non tam erunt passibilia, quia nihil recipiet per modum affectiui, uel læsiui, sicut recipiunt corpora damnatorum, quæ ob hoc passibilia dicuntur. Et quod possint hac ratione pati, probat, quia sensibile non est natum solum delectare, uel affligere, secundum quod agit actione naturæ, confortando, uel corrumpendo organum; sed etiam, secundum quod agit actione spirituali, seu intentionali; quia experimur, quod quando sensibile est in debita proportione ad sentientem delectat, è contra autem quando se habet in superabundantia, uel defectu, lædit, & contristat; unde medii colores, & voces consonantes sunt delectabiles, & inconsonantes offendunt auditum. hæc S. Th.

Sed iuxta hanc sententiam, si ex eo, quod cessat motus cæli, cessat etiam corporum realis alteratio, & ignis inferni agit in corpora damnatorum, sola actione intentionali, nullus, uel leuissimus erit damnatorum dolor, ex actione ignis; illud enim, quod nihil reale abiicit, sed solum ponit id, quod est naturæ conueniens, non causat dolorem, nec inducit ueram passionem, quæ sit affectiua: sed per immutationem intentionalem, per se nihil reale abiicitur, sed solum ponitur id, quod est naturæ conueniens, scilicet species intentionalis, quæ perficit sensum, cum sit principium cognitionis, ergo per talem actionem, & immutationem non potest causari dolor, aut aliqua læsio. Dixi [per se] ad soluendam rationem. S. Tho. in contrarium, quia per accidens sensibile lædit sensum, & ut inquit Aristot. 2. de Anima, text. 143. uehemens sensibile corrumpit sensum; sed hoc non facit per se, sed ratione alicuius qualitatis, uel actionis realis, coniunctæ cum ipsa immutatione intentionali, secundum speciem, per quam alteratur, & tollitur proportio, & temperies organi sensus. quod patet discurrendo per singulos sensus, colores. n. uehementes, ratione luminis lædunt, nam lumen disgregat pupillæ, & humoris partes, luminis enim est disgregare cum calefaciat, ex nimia autem partium disruptione impeditur uisus, & læditur oculus. Tenebræ etiam sic lædunt, quia spiritus in tenebris confugiunt ad partes internas, & uisus manet frigidus; nimia autem frigiditas congregat, & constipat partes oculi, adeo ut aliquando uisus recuperari non possit, & ob id lumine ueniens ex loco renebroso, causat dolorem, quia disgregat partes

prædictæ
sententiæ
impugna-
tio.

partes cōstipatas . Sonus ratione motus aeris, qui ex sono pro-
uenit, lædit aures, odor ratione euaporationis, lædit olfactum;
Sapor ratione primarum qualitatum, lædit gustum; quod autē
tactus lædatur primis qualitibus patet . per actionem igitur
intentionalem non potest causari dolor in sensu, nisi comitetur
actio realis, qua realiter immutetur organum sensus; poterit
quidem causari animi tristitia, quatenus uidemus, uel audimus
id quod nollemus; sed dolor sensituius non poterit causari, nisi
per realem corporis immutationem, quæ realis immutatio ali-
quando concomitatur speciem intentionalem, ut diximus; ali-
quando per æstimatoriam, uel imaginariam; nam fortis imagi-
natio, odium, ira, inuidia, ita sæpe immurant corpus, ut etiam
infirmiorem causent . Sed ut inquit S. Thom. post resurrectio-
nem, cessante motu cœli, non poterit aliquod corpus alterari à
sua naturali qualitate, nec pati passione naturæ, sed sola passio-
ne animæ, seu intentionali; ergo corpora damnatorum, secundū
hanc sententiam nihil patientur ab igne; nam passio intentiona-
lis cum ex se sit perfectiua potentiæ, non causat dolorem nisi ra-
tione passionis realis adiunctæ, quæ cessante motu cœli, esse nō
poterit. Præterea quicquid sit de aliis sensibilibus aliorum sen-
suum, & maxime uisus, quod possint immutare sensum sine rea-
li, & naturali immutatione, sensibilia tamen tactus, quæ sunt pri-
mæ qualitates, non uidentur immutare sensum tactus nisi na-
turali immutatione, uel saltem non sine ea, & maxime calor, qui
non uidetur causare in medio, uel in organo nisi calorem, uel si
aliud causat, non tamen sine calore; quare si ille ignis immutat
sensum tactus damnatorum, non spiritualiter, sed naturaliter
immutat. Præterea cum immutatio spiritalis, seu intentio-
nalis futura sit in corporibus beatorum, & damnatorum, S. Th.
reddit rationem, quare illa non patientur, sicut ista, eadem exi-
stente in omnibus immutatione; quia illa nihil recipiet per mo-
dum læsiui, & afflictui, sicut recipient corpora damnatorum .
ex quo uidetur sequi, quod ista læsio sit potius, secundum ap-
prehensionem, quia ignis apprehēditur à damnatis, ut læsiuus,
licet in rei ueritate non lædat; nam si lædit, cum non calefaciat
corpus damnati, nec aliquam eius formam substantialem, aut
accidentalē corrumpat, aut intendat, aut remittat, aut aliquam
qualitatem nouam, habentem esse naturale imprimat, ut inquit
Paulus Soncinas. eod. dist. qua ratione lædit? si quia agit inten-
tionaliter; sed ista actio est perfectiua sensuum, & ex se non po-
test lædere. si quia recipitur per modum læsiui, sed cum natura

sua

sua perficiat, & non lædat, quis est iste modus læsiuus? dicit
idem Paulus, quia ui detinet corpora, & spiritus, ergo ista læsio
non erit uera corporum læsio, sed animi tristitia .

Sed pace ipsorum dixerim uidetur mihi, quod in maximas seipfos
redigant angustias, à quibus se facillime liberare possent . Duo
concedunt tanquam certissima, Primum, quod ignis inferni, crucia-
bit, corpora damnatorum, quod est de fide. Secundum, quod ignis
inferni est corporeus, & eiusdem speciei cū nostro igne, quia sic
exponunt Sancti. Inter duo autem fluctuant, & dubitāt, An. si
concedendū, quod ignis agat in corpora, & illa torqueat actione na-
turali; nam si non agit actione naturali, quomodo illa torquet?
si cœlum quiescit, quomodo potest ignis alterare corpora?
quod ignis agat actione naturali quiescente cœlo, uidetur con-
tra Philosophum, & philosophiam, & ideo ne hoc dicant con-
tra philosophiam, & ne in hoc aliquod ponant miraculum,
(quod tamen non est contra philosophiam, nec miraculum.)
aliud dicunt, quod est uerè contra philosophiam, & naturæ
repugnans, & miraculum, sine necessitate, quod, scilicet, ignis
materialis, torqueat corpora actione intentionali, sine actio-
ne reali. Dicimus igitur, quod ignis inferni, utraque actio-
ne torquebit corpora damnatorum, & actione intentionali, ra-
tione actionis naturalis adiunctæ, eo modo quo diximus sen-
sibile lædere sensum, & actione reali illa realiter calefaciendo,
& comburendo, sed non consumendo, diuina hoc faciente
uirtute; & miraculum, quod hic erit, non erit, quia ignis
quiescente cœlo, actione naturali, alterabit, & torquebit cor-
pora damnatorum, sed quia illa comburendo nunquam consu-
met, ut sistat intra limites alterationis, & nunquam sequatur
corruptio; quod non implicat, nam licet alteratio sit uia ad cor-
ruptionem, alteratio tamen, & corruptio, sunt duæ actiones di-
stinctæ, habentes diuersos terminos, nam terminus alterationis
est qualitas, terminus uero corruptionis, est priuatio formæ
substantialis; alteratio etiam est præ uia corruptioni, ergo uirtute
diuina potest fieri, quod sit uera alteratio, & non sequatur
corruptio. Quod autem debeat agere actione naturali, & rea-
li, præter rationem superius dictam, quia. si actio intentionalis
non potest causare dolorem, nisi quatenus ei adiungitur actio
naturalis, probatur etiam auctoritate. S. Aug. qui lib. 21. de Ciui.
Dei, à c. 1. usq; ad c. 11. ostendit, & probat, quod ignis inferni,
ita comburet corpora damnatorum, & illis læsionem, & dolo-
rem inferet, quod illa non consumet, neq; corrumpet, contra-

Rr illos

Difficul-
tatis solu-
tio.

illos, qui credebant ignē non posse comburere, sine corruptio-
ne illius, quod comburitur, qui (ut ca. 3. inquit Aug.) q̄ experti
non sunt, nunquam esse posse arbitrantur. Vane autem S. Aug.
ageret contra illos, & multipliciter probaret corpora dānatorū
posse igne perpetuo comburi, & nunquā corrumpi, si non credi-
disset naturali, & reali actione ignem illa alteraturum; & in æ qui
uoco laborasset, cum illi intelligerēt de uno genere actionis; &
S. Aug. de altero; imo illos in proprio errore confirmasset, cum
ab eo facillime potuisset illos liberare, nam si S. August. credi-
disset corpora ideo non cōsumēda, quia ignis in illa ager actio-
ne solum intentionali, quasi consumenda essent, si ageret actio-
ne naturali, debuisset distinguere de actione, quia sic cessasset
illorum difficultas; cum autem non distinguat, sed præsuppo-
nat ignem alteraturum corpora illo alterationis genere, quod
ipsi intelligunt, & dicat, & probet, non propterea esse consumen-
da; necessārio dicendum est, quod tenuit actionem illam esse na-
turalem, & realem, cuius auctoritas in rebus fidei, præualet au-
ctoritati Aristotelis, & Philosophorum.

Quod nō
obitet
quies cœ-
li,

Quod autem non obstante cœlorum quiete, ignis naturaliter
aget in corpora, probatur primo auctoritate Doctorū Parisien-
siū, quorū auctoritas est grauissima, qui in unum cōgregati, con-
demnarunt quasdā propositiones, quę in Parisiensi studio, & a
Doctoribus Parisiensibus teneri nō possunt, inter quas fuit ista.
Dicere, q̄ cessante motu cœli, si ignis esset iuxta stuppam, non
cōbureret ipsam. error. Probatur secundo, quia reuera uidetur
in intelligibile, quod agens naturale. ut ignis, retinēs propriam
qualitatem, quę est sufficiens principium agendi, sicut prius. s.
calorem, & habens passum intra spheram suā actiuitatis, aptum
ad recipiendum calorem, sicut prius; non possit illud caleface-
re, ex hoc, quod cessauit motus cœli. Et confirmatur, quia alte-
ratio est a qualitate. & cœlum eatenus est causa harum altera-
tionum, quatenus influit qualitates, motus autem cœli, non est
causa alterationum, & generationum, nisi quatenus adducit al-
teratiuum, & generatiuum, ut docet Arist. 2. de gen. & cor. tex.
55. & qualitates, & uirtutes astrorum, descendūt ad nos eorum
lumine, & influentiis; & motus cœli adducit, & abducit astra, ut
super nos influāt, unde sol suo accessu facit generationes, & suo
recessu corruptiones; & ut eius aspectus esset ad omnes partes
terre, ut in illas omnes posset influere, debuit eius motus esse
obliquus, ut ibid. inquit Arist. rex. 57. quare motus cœli solū ad-
ducit, & abducit agentia. Vnde si actiua fuerint coniuncta pas-
suis

suīs, & agentia habuerint propriam, & naturalem qualitatem,
quę est agendi principium, ut habebit ignis inferni, necessārio
debet sequi actio, etiam cessante motu cœli, quia illo cessante,
non ob id desinunt elementorum qualitates; Idq; eo magis,
quia elementa non dependent simpliciter a cœlo, sed sunt illi a
Deo coeua, licet. n. cœlum possit facere quodlibet elementum,
nam sol suis radiis, absque igne, facit ignem, & calefaciendo,
aquam resoluit in aerem, & illa coniungat, & copulet ad pu-
gnam, ut fiant mixta, hæc tamen facit solum, secundum ali-
quas eorum particulas, non enim potest facere, aut transmuta-
re, uel mouere de suo loco integrum elementum, quia secundū
totum esse non dependent ab eo, sicut omnia mixta, quę eius
uirtute facta fuerunt, & certo annorum spatio, successiue om-
nia corrumpuntur, & similia eius uirtute generantur, cum for-
ma mixti excedat uirtutem elementorum; & consequenter ele-
menta non solum quiescente cœlo, sed omni etiam eius actione
& influentia cessante, possent agere, secundum proprias quali-
tates. Præterea, ut agens naturale, & obiectum agat etiam in-
tentionaliter, requiritur actio, & concursus cœli; sed dicunt, q̄
tunc concurreret, quia cœlum non agit solo motu, sed etiā lu-
mine, & influentiis; ergo sicut iste concursus cœli, sine motu lo-
cali, sufficit ad actionem intentionalem, ita etiam sufficiet ad al-
terationem secundum propriam qualitatem, quando agens, &
patiens sunt in debita approximatione, præsertim cum (ut dixi-
mus ex Arist.) motus cœli requiratur, ut adducantur, & appli-
centur agentia. Præterea Iosue 10. ad petitionem Iosue, steterūt
sol, & luna donec ulcisceretur se gens de inimicis suis, stetit itaque
sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnus diei. quie-
scente sole, & luna, quieuit primum mobile, & quierunt, om-
nes cœli, nam alias immutatus fuisset aspectus, corresponden-
tia, & proportio cœlorum, planetarum, & astrorum, & facta fuisset
in eis maxima irregularitas; & tamen illo tempore fuerunt
motus locales hominum, iumentorum, & corporum alteratio-
nes. Sicut fuit tunc realis alteratio corporum, quare non erit in
inferno ab igne? Dicent id fuisse miraculum, fuit quidem mi-
raculum, quod steterit sol, sed non quod esset motus, & alte-
ratio, ut patet ex dictis. & post diem iudicii humana corpora lo-
caliter mouebantur. Et longe melius esset dicere, quod ignis
inferni miraculose comburet corpora damnatorum, ut instru-
mentum diuinę iustitię, aut si dicitur, quod aget solum actione
spirituali, quod non erit materialis, sed spiritalis, ut tale sit et

se, quale & operari, quā dicere, & erit materialis, & eiusdem spē
 ciei cū nostro, & aget solū spiritualiter. Et confirmatur, quia cir-
 ca damnatos ponenda sunt, quā pauciora fieri potest miracula,
 Et ipsi ne circa illos aliquod ponant miraculū, dicunt ignem in
 eorum corpora non agere realiter, sed intentionaliter, quia
 alias duo ponerentur miracula, Primum, quod ignis agat rea-
 liter quiescente cælo. Secundum, quod corpora alterentur, cō-
 burantur, & non corrumpantur. Sed ut diximus primū non est
 miraculū, imo miraculum esset, si non ageret, quia esset uirtus
 actiua naturalis, & passibile intra spheram suā actiuitatis. Secū-
 dum erit quidem miraculum, sed non simpliciter, quia est ali-
 quo modo debitū, naturæ, & iustitiæ; Naturæ, quia cū anima ra-
 tionalis sit forma, & immortalis, sicut erat illi dandum corpus
 aptū ad generationē, & ad acquirendam sensibilibus, & ex sensi-
 bilibus diuinorum cognitionem, & consequenter natura sua
 corruptibile, ita etiam cum ipsa sit immortalis, congruum erat
 quod illius corpus uirtute diuina redderetur immortale. Iu-
 stitiæ uero, ut per quæ quis peccat, per eadem etiam puniatur,
 & sicut caro fuit causa, & instrumentum multorum peccatorum,
 ita etiam torqueatur, & comburatur; & sicut peccatum mere-
 tur pœnam eternam, ita etiam ignis torqueat, & carnem com-
 burat, sed non corrumpat, ut pœna sensus sit æterna. Dum
 autem ne ponant duo prædicta miracula, dicunt, quod ignis
 aget in corpora solum intentionaliter, tria ponunt miracula,
 superflua, & parum naturæ conformia. Primum, quod agens
 naturale maxime actiuum, habens passibile non solum intra
 spheram suę actiuitatis, sed etiam in medio sui positū, non agat
 in illud actione naturali. Secundum, quod agens naturale agat
 solum spiritualiter, & non habeat actionem naturalem cuius ha-
 bet formam summæ actiuitatis. Tertium, quod actio spiritua-
 lis mediante animę tristitia, causet in carne, & sensu dolorem
 sensitium, sine reali, & naturali immutatione; & hæc sine vl-
 la necessitate, solum ut loquantur consona doctrinæ Aristotelis
 de motu Cæli, quasi uelit, quod eo cessante, cesset omnis actio;
 cum tamen contrarium ex eo deduxerimus; & quamuis id ex-
 præsse dixisset, nō esset in hoc sequendus, & contrariū ipsemet te-
 nuisset, si cælū quiescere posse credidisset, illius. n. philosophādi
 modus est ab experiētia sensuū, ex qua mouetur ad inquirēdas
 rationes; & aliqua dicit, quæ licet probare conetur, quorū to-
 ta eius ratio fuit, quia cū cōtrariū nō accidat, credit nō posse
 fieri, qui cōtrariū tenuisset, & probasset, si fieri posse credidisset.

Sias-

Si afferent illū cruciandū modum fieri uirtute diuina, ac quie-
 scere; sed cū sine sufficienti auctoritate, sola ratione agatur, quæ
 contrariæ sententiæ magis fauet, ab ea discedere nolo, quæ etiā
 est conformior Sacris literis, & Sanctorum dictis; Deus enim fe-
 cit ignem materiale ad perpetuo torquendum damnatos in
 inferno, ut proculdubio materialiter iuxta naturam suam age-
 rer, nam operatio sequitur esse, & Iob 24. dicitur de damnatis,
Ab aquis nimum transibunt ad calorem nimum, quo significatur do-
 lorem etiam augendum esse ex continuo transitu ab extremo
 unius qualitatis, ad extremum alterius contrariæ; at certum est
 species intentionales contrariorum, nō esse inuicē contrarias,
 nam in eodē medio simul sunt species albedinis, & nigredinis;
 Contrarium tristitiæ est gaudium, quod non potest esse in dam-
 natis, ergo iste dolor causatus ex isto transitu ex uno contrario
 in aliud, debet accipi secundum qualitates reales, realiter, &
 nō metaphoricè sūptas, sicut & ipse sensitiuus dolor erit realis.

Maior difficultas est quomodo possit materialis ignis infer-
 ni agere in spiritum, in demones. f. & in animas hominum dam-
 natorum. Sed responsio est facilis, quæ omnes quietare debet,
 naturaliter id fieri nō posse, sed fieri supernaturaliter, quia ignis
 est instrumentum diuinæ iustitiæ; ad quod intelligendum ex na-
 turalibus possumus manuduci, ut diximus 2. p. lib. 1. cap. 4. cum
 ageremus de gratia, quam conferunt sacramenta. Vnde Aug.
 lib. 2. r. de Ci. Dei, cap. 10. inquit, quod miris, tamen neris mo-
 dis etiam spiritus incorporei possunt pœna corporalis ignis af-
 fligi; idq; probat ex spiritibus hominum, qui & ipsi profecto in
 corporei sunt, & corporalibus membris includuntur, & cum
 corporibus patiuntur.

Multa dici possent de resurrectione, & de qualitatibus cor-
 porum resurgentium, tam beatorum, quam damnatorum, sicut
 etiam, & de aliis dogmatibus fidei, sed nobis sufficit tractasse
 præcipuas difficultates, quibus solutis, & explicatis, reliqua
 uel per se patent, uel facile deducuntur, & passim etiam apud
 alios explicata inueniuntur.

Rr 3 TER-

Quomo-
do agat in
spiritus.

TERTIAE PARTIS DE OFFICIO SA- CERDOTIS.

LIBER QVARTVS.

De Virtutibus, & Interpretatione Sacrae Scripturae.

Quid sit Virtus. Cap. I.



DVAE sunt partes Iustitiae, ut est generalis virtus, declinare. s. à malo, & facere bonum. de priori loquuti sumus in secunda parte, de posteriori hoc loco agemus; bonum autem, quod facere debemus sunt opera uirtutum, ideo à definitione uirtutis initium sumemus, & ut citius me expediam, quae in meo manuali de uirtutibus tractauit hic ad uerbum ponentur. Varias assignantur

Virtutis
definitio-
nes.

Explicatio
definitio-
num.

definitiones uirtutis, secundum quod uirtus uariè etiam accipitur; nam Arist. inquit, quod uirtus est, quae bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit; qui etiam dicit uirtutem esse dispositionem perfectam ad optimum, & S. Aug. etiam, sic definit, est bona qualitas mentis, qua recte uiuitur, qua nullus male utitur, & quam Deus in nobis sine nobis operatur. Pro quarum declaratione notandum est, quod uirtus secundum sui nominis rationem, significat quandam potentiae perfectionem. Vnde Aristot. inquit, quod uirtus est ultimum in re de potentia; sed quia potentia respicit actum, qui est eius finis, perfectio potentiae attenditur ex hoc, quod perfectam operationem habet; ex quo sumuntur duae priores definitiones, cum enim unum quodque sit bonum, secundum quod habet completum ordinem ad suum finem, uirtus bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum & est dispositio perfectam ad optimum; quia ea mediante potentia completam, & perfectam habet operationem: Sed haec conueniunt uirtuti cuiuscumque rei, secundum autem diuersam potentiarum conditionem, diuersus erit modus perfectionis ipsius

po-

potentiae, nam aliqua potentia est tantum agens, aliqua est tantum mota. Potentia, quae est tantum agens, ad hoc, ut sit principium actus, non indiget aliqua superueniente qualitate, sed uirtus talis potentiae est ipsamet potentia; huiusmodi sunt potentia diuina, intellectus agens, & qualitates naturales. Potentiae tantum motae sunt illae, quae non agunt nisi ab aliis moueantur, & in earum potestate non est agere, uel non agere, sed agunt, secundum impetum uirtutis mouentis, quales sunt potentiae sensitiuae, secundum se consideratae, quae perficiuntur ad suos actus per speciem eis ab obiecto superuenientem; sed quia species non insunt sensitiuis potentiis per modum formae immanentis, sed solum per modum passionis, harum potentiarum uirtutes non dicuntur illae species, sed potius ipsae potentiae, quare nus illas species à suis obiectis receperunt. Potentiae, quae mouentur, & agunt, sunt illae, quae ita mouentur à suis principiis, ut non determinentur ad unum, sed in earum potestate sit agere, uel non agere, & hoc, uel illud, quales sunt potentiae rationales, quae sunt hominis propriae; & istae potentiae possunt quidem receptis speciebus à suis obiectis operari, sed imperfecte, nam cum sint liberae saepe ad deteriore partem se applicabunt, & saepe in suis operationibus deficient: ob quam causam perficiuntur per qualitatem eis superuenientem, quae in eis non est per modum passionis, & transeuntis, sed permanentis formae; & dicitur habitus, per quem potentia determinatur ad actus, & eorum respectu perficitur, ut perfecte operetur; ita tamen ut non cogatur, nec ad unum necessitetur, alias enim potentia non esset domina sui actus: perficit autem habitus potentiam, quia ei dat constanter, prompte, & delectabiliter operari, cum eam ad operandum inclinet: ob quam causam harum potentiarum uirtutes non sunt ipsae potentiae, sed earum habitus boni. Illud etiam notandum est, quod non eodem modo omnes habitus hominem ordinant ad bonum. Aliqui enim dant ei facultatem bene agendi, sed non usum, ut semper per eos recte agat, ut ars, & scientia, quibus saepe mala intentione uti possumus, ad artem enim pertinet, ut opus bene fiat, & non qua intentione: & ideo isti habitus non attingunt perfectam rationem uirtutis, nam uirtus est, quae bonum facit habentem: ex hoc autem, quod quis potest bene agere, non est simpliciter bonus, sed secundum quid. Alii uero sunt habitus, qui non solum dant facultatem recte agendi, sed etiam faciunt, ut quis bene agat, ut iustitia, temperantia, &c. qui uere, & proprie dicuntur uirtutes: ex quibus remanet explicita

R r 4 def-

definitio uirtutis ab Augustino tradita, quæ tanquã omnium optima, omnes causas amplectitur; & si ab illa definitione remouetur ultima particula: [Quam Deus in nobis sine nobis operatur] omnibus uirtutibus conueniet: illa. n. ultima differentia, definitio ad theologicas, & infusas uirtutes restringitur.

Quotuplex sit Virtus. Cap. II.

Virtus multipliciter diuiditur, cum. n. in illa generica definitione uirtutis, quæ. f. bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum, ultimum formale sit bonum; secundum diuersas boni rationes, diuidenda est uirtus. Et quia homo, est homo in quantum est rationalis, hominis bonum in ordine ad potentias, quæ rationem participant, sumendum est; potentia autem essentialiter rationales sunt duæ, Intellectus, & Voluntas, quæ, & appetitus, & appetitua rationalis potentia dicitur, sicut, & prior cognitua. sed quia appetitus sensituius, qui in irascibile, & concupiscibile diuiditur, in hominem sequitur apprehensionem rationis, & rationis imperio obedit, aliquo modo rationem participare dicitur. bonum igitur hominis est bonum intellectus, & bonum appetitiuæ, tam rationalis, quam sensitivæ potentia; & ita uirtus humana, & acquisita, diuiditur primo in uirtutem intellectualem, & moralem; sed hæc proprie dicitur uirtus, intellectualis uero non nisi in propria. & secundum quid; nam bonum formaliter ad solam appetitiuam potentiam pertinet, & ad intellectum non nisi materialiter: nam intelligere uerum, est bonum intellectus; & tam hoc, quam omne aliud bonum, intellectus non alio modo percipit, quam sub ratione ueri, quod est eius formale obiectum; ob quam causam præter superius dictam, habitus intellectuales (prudencia excepta) proprie non sunt uirtutes: sed quia aliquo modo uirtutes dicuntur; illos adducere non erit profus inutile, & sunt quinque. f. Intellectus, Sapientia, Scientia, Prudencia, & Ars, quorum tres sunt speculatiui: nam uerum aliud est per se notum, aliud rationis inquisitione cognoscitur; de uero per se noto, est intellectus, qui est habitus principiorum; Verum quod ratione cognoscitur, uel est ultimum respectu totius cognitionis humanæ, primum uero, & maxime cognoscibile, secundum naturam, & de eo est Sapientia; uel ultimum in aliquo genere, de quo est scientia, quæ secundum scibilem genera diuiditur. Duo sunt practici, qui circa contingentiam intellectum perficiunt, nimirum Prudencia, quæ est de agibilibus, & Ars defactibilibus. Et quamuis opinio, suspicio, & fides humana sint habitus

Virtus acquisita diuiditur in intellectualem, & moralem.

Habitus intellectuales sunt. Intellectus. sapientia. scientia. prudencia. Ars.

tus

tus intellectuales, non tamen cum ceteris annumerantur: quia cum eis possit subesse falsum, quod est malum intellectus, sunt etiam principia mali actus, & consequenter uirtutes dici non possunt: contra rationem enim uirtutis est, quod sit principium alicuius mali.

de opinione suspicione, & fide.

Quid sit uirtus moralis. Cap. III.

Virtus moralis non est omnis uirtus, sed illa sola, quæ ad appetitiuam pertinet, nam mos, a quo dicitur moralis uirtus, duo significat, consuetudinem, & quandam naturalem, uel quasi naturalem inclinationem ad aliquid agendum, & ab hac posteriori significatione sumitur uirtus moralis, cui propinqua etiam est prior significatio: nam consuetudo quodammodo in naturam uertitur, & facit inclinationem similem naturali: inclinatio autem ad actum propria conuenit appetitiuæ uirtuti. Et quemadmodum appetitus distinguitur a ratione, ita etiam uirtus moralis distinguitur ab intellectuali: Vnde sicut appetitus eatenus est principium humani actus, quatenus aliquo modo rationem participat; ita etiam habitus moralis habet rationem uirtutis humanæ, in quantum rationi conformatur, quæ in moralibus tanquam formalis ratio obiecti appetitus, se habet sicut imperans mouens, & regulans; & appetitus sicut impetratus, motus, & regulatus. Ex quo etiam fit, quod cum regulatiua motio rationis, sit formalis ratio appetibilium, & ratio diuersimode, moueat, & regulet appetitum (non enim appetitus fit rationalis per essentiam, sed per participationem) multæ erunt species moralium uirtutum; nam pænes formales obiectorum differentias, sumuntur habituum species.

Quot sint uirtutes morales. Cap. IIII.

Aristoteles undecim uirtutes morales assignat, quæ generales sunt, & sub se alias continent, & earum sufficientia hinc haberi potest. Nam uirtus uel est circa operationes, uel circa passiones; circa operationes est Iustitia, quæ in actionibus hominem ad alterum, in ratione debiti ordinat. Si est circa passiones regulandas, uel est circa passiones, quæ habent aliquod obiectum pertinens ad ipsam corporalem hominis

Iustitia.

nis

Fortitudo inter timiditatem, & audaciam
 Temperantia inter intemperantiam, & insensibilitatem.
 Mansuetudo inter iracundiam, & in irascibilitatem.
 Liberalitas inter prodigalitatem, & illiberalitatem.
 Magnificentia inter appropinquatiam, seu Bonaniam, & paruitatem.
 Magnanimitas inter Caumatem, & pusillanimitatem.
 Philothimia inter philothimiam & a philothimiam.

Veritas inter Iactantiam, & Ironiam.

nis uitam, uel circa passiones, quæ habent obiectum pertinens ad exteriores actus. Obiecta respicientia corporalem uitam, duo sunt. Quædam enim sunt uitæ contraria, & ad mortem tendunt, de quibus est Fortitudo, quæ est uirtus inter timiditatem, & audaciam extrema uitia, consistens. Quædam tendunt ad uitæ conseruationem; de quibus est Temperantia, quæ quantum ad uenerea, & ad cibos; medium ponit, ut intemperantia, & insensibilitas extrema uitia, uidentur. Obiecta quoque passionum ad exteriora pertinentia, sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt mala, & tristabilia, quibus homo prouocatur ad iram respectu quorum est Mansuetudo; quæ circa iram medium ponit inter iracundiam, & inirascibilitatem. Quædam sunt bona concupiscibilia, & hæc sunt diuitiæ, & honores, circa mediocres diuitias est Liberalitas, quæ medium inter prodigalitatem, & illiberalitatem tenet: Circa magnas diuitias est uirtus, quæ Magnificentia dicitur, cuius extremum secundum superabundantiam dicitur apyrotalia ab à, quod est sine, & pyros, quod est experientia, & talos, quod est bonum, quasi sine experientia boni. dicitur etiam banansia, à bannos, quod est fornax, quia ad modum fornacis omnia consumunt: aliud uero extremum uitium dicitur paruificus. Circa honores magnos est magnanimitas, quæ est uirtus ponens medium rationis in prosequendis, uel fugiendis magnis honoribus; & oppositum extremum, secundum superabundantiam in nimis prosequendo magnos honores; dicitur Caumates à cauma, quod est incendium, uel à camnos, quod est fumus; secundum defectum uocatur pusillanimitas. Circa honores mediocres est Philothimia à philos, quæ est amor, & thimos, quod est debitus, quasi debitus amor honoris. Vitium autem, secundum superabundantiam habet idem nomen, & dicitur philothimia; sed ad differentiam quædo est uitium significat amorem honoris absolute; quædo uero est uirtus, debitum amorem honoris; uitium secundum defectum uocatur, à philothimia ab à, quod est sine. At si uirtus sit circa passiones, quæ habent obiectum pertinens ad actus humanos exteriores, huiusmodi uirtutes in hoc conueniunt, quod sunt circa uerba, & facta, in quibus homines communicant; sed differunt, quia in uerbis, & factis duo considerantur, ueritas. s. & delectatio: quatenus in eis est ueritas, sumitur uirtus, quæ, & ueritas appellatur, media inter iactantiam, & ironiam: quatenus uero in eis est delectatio, duæ habentur uirtutes. nam si delectatio sit de rebus, & factis feriis, est uirtus, quam Arist. amicitiã, &

nos

nos affabilitatem uocamus, & uitium extremum per superabundantiam est placiditas, quando non nisi delectatio quæritur: at si etiam propria utilitas quæritur, est adulatio; uitium secundum defectum potest dici litigium, uel briga, quando quis non curat alios contristari. quod si delectatio sit in iocis, & ludis decentibus, est uirtus, quæ Europelia nuncupatur, quasi se bene ad omnia uertens, & uitiosus per superabundantiam in ludis, & iocis dicitur bomolochus, à bomos, quod est altare, & lochos quod est raptor; ad similitudinem milui, qui semper uolabat circa aras idolorum in quibus animalia imolabantur, ut aliquid raperet: at ille qui sic excedit in ludo, ut semper insistat ad hoc, quod uerbum, uel factum alicuius in ludum uertat, dicitur maleolus; Vitiosus uero ex defectu, agroytos. i. quasi agrestis, & uitium agroychia.

Quot sint uirtutes Cardinales.
 Cap. V.

Virtutes Cardinales sunt quatuor. s. Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia; quarum sufficientia multipliciter haberi potest. Primo, secundum diuersitatem principiorum formalium ipsarum uirtutum, nam uirtutis perfectæ formale principium, est, bonum rationis, quod dupliciter considerari potest. Vno modo, secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit, & sic est Prudentia; alio modo, secundum quod circa aliquid ponitur rationis ordo; & hoc uel circa operationes, & sic est Iustitia; uel circa passiones; ordinem autem rationis circa passiones necesse est ponere, considerata ipsarum repugnantia ad rationem: quæ quidem dupliciter esse potest. Vno modo secundum quod passio impellit ad aliquid rationi contrarium, & sic necesse est, quod passio reprimatur, & ab hoc denominatur Temperantia; alio modo, secundum quod passio retrahit ab eo, quod ratio dicitur, sicut timor periculorum, uel laborum, & sic necesse est, quod homo firmetur in eo, quod est rationis, à quo denominatur Fortitudo. Secundo penes subiectorum diuersitatem: subiecta enim proxima, & immediata uirtutum sunt potentia animæ, quæ sunt quatuor, duæ sensitiuæ, nimirum concupiscibilis, in qua est Temperantia, & irascibilis, in qua est Fortitudo: duæ sunt rationales. s. intellectus, in quo est Prudentia, & uoluntas, in qua est Iustitia. Quatuor etiam uulnera fuerunt nobis per peccatum inflata. s. ignorantia, concupiscentia infirmitas,

Affabilitas inter placiditatem, adulationem, & litigium.
 Europelia inter bomolochum, & agroychia.

Sufficientia primoratione principiorum formalium. prudentia iustitia.

Temperantia.
 Fortitudo à ratione subiectorum.
 Temperantia.
 Fortitudo prudentia iustitia.

3, ut sunt
cōtra qua
tuor vul
nera per
peccatum
inflicta.

4. quate
nus regu
lant homi
nem respe
ctu sui, &
respectu
proximi.
Prudētia.
Temperā
tia.

Fortitudo
Iustitia.
Secundū
diuersum
illarum
statum.

Vt in deo
dicuntur
exēplares
Vt in ho
mine se
cundū suā
naturam
dicuntur
politice.

Vt sunt in
homine
tendente
in diuinā
similitudi
nem, dicū
tur purga
torie.

Vt sunt af
sequentis
diuinam
similitudi
nem, dicū
tur purga
ti animi.

mitas, & malitia, contra quæ, quatuor istæ uirtutes ponuntur. Cum etiam uirtus cardinalis dicatur, quia ordinat hominem circa ea, quæ sunt ad finem, siue circa quid creatum; & homo comparetur ad seipsum, & ad alterum, uirtus cardinalis erit regulatiua respectu sui, & respectu proximi: quatenus est regulatiua respectu sui, tres habentur uirtutes, secundum actum principalem triplicis uirtutis, uidelicet rationalis circa quæ est prudentia; concupiscibilis, circa quam est temperantia; & irascibilis, circa quam est fortitudo. quatenus uero ad alterum ordinat, quia una ratione, uidelicet debiti, ordinat, una est etiam est uirtus, quæ Iustitia dicitur. Istæmet quatuor uirtutes secundum diuersum earum statum, & actuum perfectionem, diuersam etiam fortiuntur denominationem, & diuisionem, nam diuiduntur in exemplares, politicas, purgatoris, & purgati iam animi. Vt enim ad perfectionem ascendamus, Deum sequi, & imitari debemus, in quo sicut præexistunt omnium rerum rationes, sic etiam exemplaria humanarum uirtutum. istæ igitur uirtutes, quatenus in Deo existunt, dicuntur exemplares, ita quod ipsa diuina mens in Deo, dicitur Prudentia: Temperantia uero conuersio diuinæ intentionis ad seipsum. Fortitudo Dei est eius immutabilitas; eius uero Iustitia est observatio legis æternæ in suis operationibus. Et quia homo secundum suam naturam est animal politicum, hinc est, quod istæ uirtutes, quatenus in homine existunt, secundum conditionem suæ naturæ politicæ uocantur, sed quia ad hominem pertinet, ut etiam ad diuinam se eleuet quantum potest, necessarium fuit ponere quasdam uirtutes medias inter politicas, quæ sunt uirtutes humanæ, & diuinas exemplares uirtutes; & secundum diuersitatem motus, & termini distinguuntur. Quædam enim uirtutes sunt transeuntium, & in diuinam similitudinem tendentium, & dicuntur purgatorie, ita. s. quod Prudentia omnia mundana diuinorum contemplatione despiciat, omnemque animæ cogitationem in sola diuina dirigat: Temperantia uero, relinquat in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit. Fortitudinis autem est, ut anima non terreatur propter excessum à corpore, & accessum ad superna. Iustitiæ uero est, ut rota anima ad huiusmodi propositi uitam consentiat. Quædam autem uirtutes sunt iam assequentium diuinam similitudinem, quæ dicuntur purgati iam animi, ita, scilicet, quod prudentia sola diuina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, & iustitia cum diuina mente perpetuo

tuo federe societur, eam. s. imitando; quæ uirtutes sunt beatorum, & aliorum in hac uita perfectissimorum.

Cum uirtutes Cardinales sint morales, quare inter eas ponatur Prudentia, quæ non fuit inter morales annumerata, & reliquæ morales relinquantur. Cap. VI.

Prudencia, & Ars, sunt uirtutes mediæ inter intellectuales, & morales; nam quatenus earum subiectum est intellectus, sūt intellectuales; quatenus uero earum obiectum sunt contingencia, ad uirtutes morales pertinent, quia cum eis in obiecto conueniunt; sed quia non conueniunt cum eis in subiecto, quia moralium subiectum est appetitus; ob id cum distingueretur uirtutes morales, non fuerunt inter eas annumeratæ, at quando de perfectis, & præcipuis uirtutibus moralibus agitur, non tam habetur ratio subiecti, quam perfectionis uirtutis, ob quam causam. Prudentia fuit inter uirtutes cardinales annumerata, & multæ etiā uirtutes morales relictæ fuerunt, quia non sunt ita ad omnes alias uirtutes generales, & principales, sicut istæ quatuor, quæ secundum quatuor formales rationes uirtutis, ut dixi in eis principaliter repertas sumuntur; & ideo dicuntur cardinales, similitudine sumpta à cardine, in quo ostium uoluitur, & motus ostii fundatur; omnes. n. actus humanæ uitæ cōtinue uersantur, uel saltem frequentius, & crebrius circa materiam istarum quatuor, quam aliarum uirtutum: nec possunt aliæ uirtutes dici cardinales per similitudinem à cardine ostii, quia de ratione ostii est, ut per ipsum interiora domus uideantur, & ita id, quod habet rationem reducendi in aliud, dicitur ostium, & per oppositum id quod nō inducit in aliquid aliud ulterius, non habet rationem ostii; ob quam causam uirtutes Theologicæ, cum sint de ultimo fine, non habent ex parte obiecti aliquid ulterius, in quod tendatur; nec consequenter rationem ostii; sicut nec etiam eadem ratione uirtutes intellectuales, quia perficiunt uitam cōtemplatiuā, quæ nō ordinatur ad aliam uitam, sed actiua ordinatur ad ipsam: solæ ergo uirtutes morales, quæ perficiunt in uita actiua, quæ ad cōtemplatiuā ordinatur, & habent actus, qui ulterius in ultimum finem diriguntur, habent utraq; de causa rationem ostii, & cardinales dicuntur, non omnes, sed illæ quatuor, quæ tanquam generales, & præcipuas, reliquas omnes continent, & annexas habent.

Prudentia, & Ars sunt uirtutes mediæ inter intellectuales, & morales.

Quod

Quod præter virtutes Morales, sint etiam uirtutes theologicae. Cap. V I I.

Necessitas uirtutum theologicarum.

Præter Virtutes Morales, sunt etiam uirtutes Theologicae, nam bonum intellectus, & uoluntatis est duplex, Alterum est ipsemet Deus, ultimus omnium rerum finis in cuius uisione supernaturalis nostra beatitudo consistit: Alterum uero est bonum naturæ humanæ, naturaliter proportionatum, in quo naturalis hominis beatitudo consistit, & humanis uirtutibus attingi potest. Sicut ergo propter naturalem beatitudinem consequendam sunt nobis necessariae uirtutes morales acquisitæ, ita etiam propter supernaturalem beatitudinem erunt nobis necessariae uirtutes supernaturales, & diuinitus infusæ, quæ theologicae dicuntur, Tum quia Deum habent pro obiecto, & per eas recte in ipsum ordinamur; Tum quia à solo Deo nobis infunduntur; Tum etiam, quia sola diuina reuelatione in sacra scriptura traduntur. quæ uirtutes ab intellectualibus, & moralibus distinguuntur; quia obiectum Theologicarum est ipse Deus ultimus rerum finis, prout nostræ rationis cognitionem excedit: obiectum uero intellectualium, & moralium, est aliquid quod humana ratione comprehendere potest. Et tres sunt uirtutes theologicae, nam ad hoc, quod recte moueamur in finem, oportet finem esse cognitum, & desideratum: desiderium autem finis, duo exigit, fiduciam. s. & spem, obtinendi finem, non enim mouetur sapiens ad id, quod consequi non potest; & amorem finis, quia non desideratur nisi amatum, ergo, ut ad supernaturalem finem tendamus, debent nobis tres supernaturales uirtutes infundi, scilicet Fides, qua Deum cognoscamus, Spes qua ipsum nos obtenturos esse speremus, & Caritas, qua eum diligamus, & in eum quodammodo transformemur. Et licet caritas ordine perfectionis sit prima, tanquam forma, & radix uirtutum, & meritorum, ordine tamen generationis prima est fides.

Quomodo causentur in nobis uirtutes. Cap. V I I I.

Sicut uariæ fuerunt opiniones circa productionem formarum, ita etiam circa causam uirtutum: nam Platonici dixerunt, omnes scientias, & uirtutes præexistere in anima, sed ex grauitate corporis aboleri. Auicenna ex influentia

Virtutes Theologicae sunt tres.

tia intelligentiæ agentis, totaliter esse credit. Sed uerius Arist. dixit, quod secundum aptitudinem, & inchoationem, scientiæ, & uirtutes insunt nobis à natura, non autem secundum perfectionem; sic enim acquiruntur per exercitium, & laborem; quod intelligendum est de uirtutibus naturalibus, & acquisitis, quibus homo in quantum homo perficitur in ordine ad bonum naturale, quales sunt uirtutes morales: Si enim loquamur de uirtutibus, quibus homo ad supernaturalem finem ordinatur, & cuius Sactorum, & domesticus Dei efficitur, totaliter ab extrinseco principio habentur, à Deo. s. per infusionem, quales sunt uirtutes Theologicae, & non solum dantur nobis per infusionem à Deo uirtutes theologicae, sed etiam morales omnes, simul cum gratia; oportet enim causis naturalibus effectus naturales, & supernaturalibus, supernaturales respondere; ergo cum uirtutes theologicae sint principia supernaturalia, quibus ad supernaturalem finem ordinamur, debent his uirtutibus theologicis effectus supernaturales diuinitus in nobis causati assignari, quales sunt uirtutes morales infusæ, quæ ad theologicas uirtutes se habent, sicut, & acquisitæ ad principia naturalia uirtutum: alia enim supernaturalis perfectio incompleta remaneret, sicut, & perfectio naturalis, si tantum haberentur primæ uirtutes circa finem, & non illæ, quæ sunt ad finem: nam per gratiam, & uirtutes theologicas non completur, sed inchoatur, in nobis supernaturalis perfectio; ex quo sequitur, quod charitati non est proportionatus actus temperantiæ acquisitæ, sed infusæ. Et necessitas ponendi has uirtutes sumitur ex fine, non in se, sed in his, quæ sunt propter se: oportet enim animam diuine se habentem ad finem, diuine quoque se habere ad ea, quæ sunt ad finem, ut omnia sint proportionata. Sumitur etiam ex parte obiecti, quia licet uirtutibus acquisitis perficiamur circa omne obiectum, non tamen secundum omnem rationem formalem. Ordinantur quidem uirtutes acquisitæ, ut à charitate imperantur ad ultimum finem supernaturalem, sed non ut ad proportionatum, secundum se, sed tantum ex parte ordinantis, quæ etiam sunt improportionatæ charitati, utpote inferioris ordinis: quare debent cum gratia uirtutes etiam morales infundi, quæ ultimo fini, & charitati sint proportionatæ. Ex quibus sequitur, quod uirtutes morales distinguuntur specie à seipsis in quantum sunt infusæ, & acquisitæ, quia habent diuersas rationes formales obiecti; nam formale obiecti uirtutis est à ratione, quæ modum instituit: manifestum est autem, quod alterius rationis est modus qui

Quod non solum infundatur uirtutes theologicae, sed etiam morales.

Necessitas moralium infusarum.

Morales acquisitæ, & infusæ differunt specie.

qui imprimatur secundum regulam rationis humanæ, & secundum regulam diuinam; ut in sumptione ciborum, ratione humana statuitur modus, ut non noceat ualitudini, nec rationis actum impediatur: at secundum regulam diuinæ legis requiritur, quod homo per abstinentiam cibi, & potus, castiget corpus suum, & in seruitutem redigat: & etiam, quia per morales acquiras homo bene se habet in ordine ad res humanas, per infusas uerò bene se habet in ordine ad hoc, quod sit ciuis Sanctorum, & domesticus Dei.

An virtutes Morales ita sint inter se connexæ, ut qui unam habet, omnes habeat. Cap. I X.

Virtutes morales imperfectæ, quæ nil aliud sunt, quam quedam inclinationes in nobis existentes ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, siue sint in nobis à natura, siue ex assuetudine, non sunt connexæ: uidemus enim aliquem esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis. At si loquamur de perfecta uirtute morali, quæ est habitus inclinans in opus bene agendum, sic omnes uirtutes sunt connexæ. cuius duæ assignantur rationes, secundum quod uirtutes cardinales diuersimode ab aliquibus distinguuntur. Quidam enim eas distinguunt, secundum quasdam generales condiciones uirtutum, ut discretio ad prudentiam pertineat, rectitudo ad iustitiam, moderantia ad temperantiam, & firmitas animi ad fortitudinem in quacumque materia ista considerentur; ex quo manifeste apparet ratio connexionis, firmitas enim non habet laudem uirtutis, si sit sine moderatione, uel rectitudine, aut discretione; & eadem est ratio de aliis. Et hanc rationem assignauit Gregorius 22. Mora. dicens, quod uirtutes si sint distinctæ, non possunt esse perfectæ, secundum rationem uirtutis, quia nec prudentia uera est, quæ iusta, temperans, & fortis non est. Alii uero distinguunt has uirtutes, secundum materias, ex quo sumitur hæc secunda connexionis ratio, quia nulla uirtus moralis potest sine prudentia haberi: proprium enim uirtutis moralis est, rectam electionem facere, cum sit habitus electiuus ad rectam autem electionem, non solum sufficit inclinatio in debitum finem, quod est directe per habitum uirtutis moralis, sed etiam, quod aliquis directe eligat ea, quæ sunt ad finem, quod fit per prudentiam, quæ est consiliatiua, iudicatiua, & præceptiua eorum, quæ sunt

Arist. 6.
Ethic.

sunt ad finem, & non solum quælibet uirtus moralis exigit prudentiam partialem, quæ. s. est respectu talis materiæ, sed etiam totalem, quæ est respectu omnium agibilium; nam uirtus moralis puta temperantia, est habitus, secundum rectam rationem electiuus medij, in delectabilibus tactus, non prout electionem medij in talibus delectabilibus cõtingit corrumpi à tali, aut tali passione, sed simpliciter undecumque cõtingat ab electione talis medij, in electionem extremorum uitiorum declinare; Nam si temperantia inclinaret ad eligendum mediū in delectabilibus, ea solū ratione, ut ob amorem superflue delectationis non abducamur à medio, & non muniret nos contra quoscumque impetus, ex quacumque causa, prouenientes, ad abducendum nos à tali medio, puta, ex auaritia, ex timore mortis, &c. non esset uirtus, & non nisi, secundum quid aliquem temperatum efficeret; quis. n. unquam mulierem illam temperatam dicet, quæ quantum est ex amore delectationum, est ad castitatem habituata, sed propter inopiam, aut timorem uerberum, seu mortis, maceratur? Cum ergo ad uirtutem moralem spectet inclinare ad medium in propria materia, non solum excludendo extrema, secundum se, sed etiam secundum quod habent connexionem cum aliena materia, uirtus moralis exigit rectam rationem sui secundum se, & secundum comparationem ad alias materias; quod ad prudentiam totalem pertinet; sed prudentia exigit omnes uirtutes; cum. n. prudentia sit recta ratio, consiliatiua, iudicatiua, & præceptiua, eius rectitudo exigit, quod anima, tam secundum partem apprehensiuam, quam secundum appetitiuam recte, & bene se habeat circa principia rectæ rationis, quæ sunt fines agibiliū: recta. n. ratio agibiliū, quæ est prudentia, procedit sicut ex principiis, ex finibus agibiliū, ad quos aliquis recte se habet per uirtutes morales: recte autem se habere ad agibiliū fines, est omnes uirtutes morales habere; ergo prudentia sine uirtutibus moralibus haberi non potest, sicut nec scientia speculatiua, sine intellectu principiorum. Ex huius rationis declaratione manifeste patet, omnes uirtutes morales in prudentia esse connexas, & omnia argumenta Scoti contrariū sentiētis soluta esse. Virtutes autem morales acquiras possunt esse sine charitate prout in multis gentilibus fuerunt; sed tunc non dicuntur uirtutes simpliciter, sed secundum quid, cum bene ordinent hominem respectu ultimi finis in aliquo genere, sed non respectu finis ultimi simpliciter, & ob id dixit Aug. quod ubi deest agnitio ueritatis, falsa est uirtus, etiam in bonis moribus: at si uirtutes morales sumantur prout sunt operatiuæ boni in ordine ad ultimum finem supernaturalem,

S s ralem,

ralem, perfecte, & uerè habent rationem uirtutis, & nō possunt humanis actibus acquiri, sed à Deo infunduntur, & sine charitate esse non possunt, sicut nec etiā charitas sine illis; non. n. minus perfecte operatur Deus in operibus gratiæ, quam in operibus naturæ; sed in operibus naturæ non est aliquod principium in quo non adsint omnia necessaria ad ea opera perficienda; ergo cum charitas in quantum ordinat hominem ad ultimum finem, sit principium omnium bonorū operū, quæ in ultimū finē ordinari possunt, debēt simul cum charitate infundi omnes uirtutes morales, quibus homo perficit singula genera bonorum operum; ex quo patet, quod uirtutes morales infusæ, non solū habent connexionem propter prudentiam, sed etiā propter charitatē, qua per peccatū mortale amittā, omnes consequenter uirtutes morales infusæ, amittuntur. Fides autē, & Spes, possunt esse sine charitate, sed non perfecte, nec perfectæ uirtutis nomen habebunt: uirtus. n. nō solum facit bonum, sed perfecte bonum. Charitas uero è contra, non potest esse sine fide, & spe, quia charitas non solum importat Dei amorem, sed etiā amicitia, quæ reamationem, & mutuam communicationē, in præsentī per gratiam inchoatam, & in futuro per gloriam completam includit, quorum utrunque fide, & spe tenetur.

De Virtutibus in particulari.

Quid sit fides, & an sit necessarium aliquid explicite credere. Cap. X.

Fides, ut inquit Apostol. est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Pro cuius declaratione sciendum est, quod habitus est definiendus per proprium actum in ordine ad obiectum: actus autē fidei est credere, qui est actus intellectus determinati ad unum ex imperio uoluntatis; ex quo sequitur, quod actus fidei habet ordinem, tam ad obiectum uoluntatis, quod est bonū, seu finis, quam ad obiectum intellectus, quod est uerum; & quia fides cum sit uirtus Theologica, habet idem pro obiecto, & fine, necesse est, quod obiectum fidei, & finis, proportionabiliter sibi respondeant. Obiectum fidei est ueritas prima, secundum, quod ipsa non est uisa, & ea quibus propter ipsam inhæretur; & secundum hoc oportet, quod ipsa ueritas prima, se habeat

ad

ad actum fidei per modum finis, secundum rationem rei non uise, quod pertinet ad rationem rei speratæ, secundum illud Apost. Rom. 8. quod non uidemus, speramus; ueritatem enim uidere, est ipsam habere: nemo autē sperat habere id quod iam habet. habitudo igitur actus fidei ad finem, qui est obiectum uoluntatis, significatur in hoc, quod dicitur; Fides est substantia rerum sperandarum, id est prima inchoatio, & principium rerum sperandarum, quia ea speramus, quæ credimus, substantia enim solet dici prima inchoatio cuiuscumque rei, & maxime quando tota res sequens uirtute cōtinetur in primo principio, & sic fides dicitur substantia rerum sperandarum, quia uirtute continet omnes res sperandas. Habitudo autem actus fidei ad obiectum intellectus, secundum quod est obiectum fidei, designatur in hoc, quod dicitur argumentum nō apparentium, ubi argumentum sumitur pro effectu argumenti, id est pro firma adhæsiōne intellectus ad ueritatem fidei non apparentem; est ergo illorum uerborum sensus. Fides est habitus mentis, quo inchoatur uita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus: quæ est perfecta definitio. In hoc enim, quod dicitur, [argumentum] distinguitur à scientia, & intellectu, In hoc, quod dicitur [substantia sperandarum rerum] distinguitur fides theologica, à fide communiter sumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam; Et omnes aliæ definitiones sunt explicationes huius definitionis ab Apost. traditæ.

Cum teneamur habere fidē, sine fide. n. impossibile est placere Deo, necessarium quoq; nobis est aliquid explicite credere. præcepta. n. quæ implere tenemur, sūt de actibus uirtutum, sed eum actus ad obiectum referantur, & in obiecto cuiuslibet uirtutis, duo reperi possint, Vnū, q̄ est per se obiectum, & in omni actu uirtutis directe intentū, Alterum q̄ secundario, & accidentaliter spectat ad propriā rationem obiecti; præceptū intelligitur de actibus in ordine ad propriū obiectū, de aliis uero actibus, nō nisi pro loco, & tēpore. propriū autē obiectū fidei, est id quo homo beatus efficitur, secundarium uerò, sunt illa omnia, quæ in sacra scriptura continentur; quare ea, quæ per se pertinent ad obiectum fidei, tenemur explicite credere: alia uero implicite, quatenus. s. credimus, illa omnia uera esse, quæ in sacra scriptura continentur, & ab Ecclesia determinata sunt. Est tamen maxima differentia inter Christianos, & illos, qui erant

Ss 2 rem-

tempore legis naturæ, uel scriptæ, In illis enim non erat ita necessaria fides explicita sicut est in nobis; nam cum homo in receptione fidei, se habeat tanquã materia, & secundum ordinem causæ materialis, naturæ operatio incipiat ab imperfecto, deicit fidei cognitionem ab imperfecto inchoari, & tandem per Christum perfici, cuius tempus dicitur plenitudinis, & gratiæ. Omnes igitur Christiani, qui in hac temporis plenitudine sunt, cum ad annos discretionis peruenerint, tenentur scire articulos fidei, Ecclesiæ Sacramenta, Dei, & Ecclesiæ præcepta, & ea omnia, quæ specialiter proponuntur in solennitatibus ab Ecclesia institutis, & Sanctos esse inuocandos, & honorandos, eorumque imagines esse uenerandas, eisque assurgendum, & in eis Sanctos deprecandos esse, & qui hæc ignorât, quantumuis rudes sint, & rustici non excusantur; ignorans. n. ignorabitur. 1. cor. 14. nam quomodo aliàs poterunt credere, & obedire? non tamen est necessarium, quod rudes latino idiomate, & ordine hæc omnia exacte sciant.

Quid sit articulus Fidei, Symbolum. Quot sint articuli. Qui sint fidei actus, & quæ uitia illi opposita. Cap. XI.

Articulus est indiuisibilis ueritas de Deo, arctas nos ad credendũ: non. n. diuiditur articulus in alios articulos, & illò ad credendum arctamur, non quod liberè non credamus, sed quia articulũ illum determinatè, & omni ambiguitate semota credere debemus. Cum autem fides sit de aliquo non uiso, ubi est specialis ratio, & difficultas inuisibilitatis, ibi debet esse specialis articulus fidei, ubi uero aliqua, secundum eandem rationem incognita sunt, non sunt ibi diuersi articuli constituendi. Multi igitur erunt articuli, ex quibus componitur symbolum, quod nihil aliud est, quã collectio sententiarum in unum; cum enim accedẽtem ad Deũ oporteat credere, necessariũ fuit, ut ex sacra scriptura una cõpendiosa, & summaria collectio credẽdorũ fieret, quam omnes facilliter discere possent, & quamuis sint plura symbola, Apostolorũ. s. Niceni Cõciliij, & Athanasij, una tamẽ est fides, & posterius Symbolũ nil aliud est, quã prioris declaratio, pp̄ insurgentes hæreses.

Cum fides sit substantia rerum sperandarum, omnes articuli fidei, uel ad diuinitatis maiestatem in cuius uisione beatificamur; uel ad Incarnationis mysteriũ, per quod ad deitatis contemplationem perducimur, pertinebunt. De diuinitate sunt

septem

septem articuli, iuxta tria quæ de ea credenda sunt, Primum est unitas Dei, de qua est primus articulus. Secundum est, trium personarum distinctio, de quibus sunt tres articuli, Tertium est, operatio Dei ad extra, quæ est triplex, prima respicit esse naturæ, & sic est articulus creationis, secunda esse gratiæ, & sic omnia ad sanctificationem spectantia, sub uno articulo comprehenduntur, qui est, Credo Sanctam Ecclesiam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum: tertia ad esse gloriæ pertinet, & sic est articulus de Resurrectione, & uita æterna. De Incarnationis mysterio sunt alij septem articuli, Primus est de Incarnatione, seu Conceptione Christi. Secundus de eius natiuitate ex Virgine, Tertius, de passione, morte, & sepultura, Quartus, de descensu ad Inferos. Quintus, de Resurrectione. Sextus de Ascensione. Septimus de aduentu ad Iudicium. Alii duodecim articulos constituunt, sex de diuinitate, tres enim articulos de Trinitate sub uno comprehendunt, cum trium personarum sit una cognitio, nam in ratione Patris intelligitur Filius, & amborum nexus. s. Spiritus Sanctus. Articulum uerò de glorificatione in duos distinguunt, in resurrectionem. s. carnis, & gloriã animæ: articulum tandem Conceptionis, & Natiuitatis nõ diuidentes, totidem de Incarnatione articulos constituunt. Posunt etiam articuli distingui, non ratione eorum, quæ creduntur, sed iuxta numerum duodecim Apostolorum, qui illos composuerunt, & distinxerunt. Et quamuis Eucharistiæ Sacramentum singularem in se contineat difficultatem, non tamen de eo habetur distinctus articulus; nam quatenus est Sacramentum, continetur sub articulo, qui est de effectibus gratiæ sanctificantis, quatenus uero miraculose continet Christum, ad Dei omnipotentiam pertinet.

Actus fidei duplex est, interior, & exterior. interior est credere, qui quamuis sit unus, tribus tamẽ modis dicitur, nimirum credere Deum. s. esse omnipotentem, creatorem, &c. credere Deo, id est credere uera esse, quæ Deus reuelauit, & credere in Deum, quod est credendo Deum amare, & in eum ire. Actus exterior est fidem pro loco, & tempore confiteri: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et confessio non solum fit ore, sed etiam opere, ut enim inquit Hieronymus. Quotiescumque inuicimur, uitii atque peccatis, toties Deum negamus; & è contrario, quoties aliquid boni agimus, Deum confitemur. Vitia autem fidei opposita sunt, Infidelitas, Apostasia, Hæresis, & Blasphemia.

Quid sit Spes, Quid Charitas, Et qui sint Charitatis actus. Cap. XII.

Spes sumpta non ut est passio sensitiui appetitus, sed ut est uirtus theologica, est certa expectatio future beatitudinis ex meritis, & gratia proueniens; quæ est media inter præsumptionem, & desperationem, eius extrema uitia.

Charitas est amor, quo diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, quatuor enim sunt (ut inquit August.) ex ordine diligenda Vnum supra nos, quod est Deus, alterum, quod nos sumus, quantum ad animam: tertium, quod est iuxta nos, idest proximus: quartum, quod est infra nos, hoc est corpus.

Præcipuus Charitatis actus est dilectio, quæ plures alii actus interiores, & exteriores concomitantur. Actus interiores sunt gaudium, pax, & misericordia, qui enim Deum uerè diligit, de eius bono, & honore gaudet, & qui uerè diligit Deum, seipsum, & proximum, cum omnibus pacem habet, & miseriam eorum quos diligit, in corde suo compatitur. Actus Charitatis exteriores, sunt beneficentia, eleemosyna, & fraterna correctio, quæ est spiritalis eleemosyna. Vitia uerò opposita ex odio proueniunt, sunt, accidia, inuidia, discordia, contentio, schisma; rixa, bel-lam, feditio, & obduratio.

Quid sit Prudentia, & qui sint illius actus, & quæ partes, & quæ uitia illi opposita. Cap. XIII.

Quid sit.

Tres illius actus.

partes triplicis generis. Illius partes integrales octo. Earum sufficientia.

Prudentia est recta ratio agibilium, quæ finem, & eius cognitionem præsupponit, ex quo tanquam ex principio, ratione mediorum ad finem sumit; cuius sunt tres actus, primus est consiliari, quod ad inuentionem pertinet; secundus est de inuentis iudicare; tertius est præcipere, inuenta, & iudicata, operi applicando.

Cum partes sunt in triplici differentia. scilicet integrales, subiectiue, & potentiales, omnes possunt Prudentiæ assignari. Partes integrales, quæ. scilicet. necessario ad perfectum illius actum concurrunt, sunt octo; nam Macrobius ponit sex, quibus addenda est memoria cum Tullio, & Eustochia, siue solertia cum Arist. ex quibus quinque pertinent ad prudentiam, secundum id, quod est cognoscitiua. scilicet. memoria, ratio, intellectus, docilitas, & solertia: tres uerò aliæ, ad eam pertinent, secundum quod est præceptiua,

ptiua, applicando cognitionem ad opus. scilicet. prouidentia, circum-spectio, & cautio; quarum diuersitatis ratio, hinc sumitur, nam circa cognitionem, ista consideranda sunt. primo, ipsa cognitio, quæ si sit præteritorum, est memoria, si præsentium, dicitur intellectus, siue intelligentia. Secundo ipsa cognitionis acquisitio, quæ sit, uel per disciplinam, ad quod pertinet docilitas; uel per inuentionem, ad quod pertinet Eustochia, seu solertia, quæ est uera coniecturatio medii. Tertio, considerandus est usus cognitionis, secundum. scilicet. quod ex aliquibus cognitis procedit ad aliqua cognoscenda, uel iudicanda, quod ad rationem pertinet. Ratio autem ad hoc, quod recte præcipiat, tria habere debet. Primo quidem, ut ordinet aliquid aptum, & idoneum ad finem, quod ad prouidentiam pertinet. Secundo, ut negotii circumstantias attendat, quod pertinet ad circumspectionem. Tertio, ut uitet impedimenta, quod pertinet ad cautionem.

Partes subiectiue prudentiæ, sunt eius diuersæ species, & sunt quinque. scilicet. monastica, œconomica, politica, regnatiua siue legis positua, & militaris. Cum enim ad prudentiam spectet regere & præcipere, ubi est specialis ratio regiminis, & præcepti, debet etiam esse specialis species prudentiæ, & prima species prudentiæ est monastica, qua quis seipsū regit, altera est respectu multitudinis, multi enim sunt, qui bene seipsos regunt, & non bene regunt multitudinem, & hæc in plures species diuiditur, secundum plures multitudinis species; & illa est præcipua, qua communitas ciuitatis, uel regni gubernatur; & prout est in principe, seu rege, gubernante, dicitur regitiua, seu legis positua, quia condere leges, est eius principalis actus; quatenus uero est in subditis, regi obedientibus, est tertia prudentiæ species, quæ politica dicitur; quamuis enim serui, & subditi moueantur, secundum superioris imperium, non tamen omnino sicut inanimata, cum propter rationis arbitrium sint etiam domini suorum actuum; & non solum agantur, ut naturalia, sed etiam agant, propterea in ipsis est quedam rectitudo regiminis qua se ipsos dirigunt, principibus obediendo. Sed quia domus, uel familia est medium inter unam personam, & Ciuitatem, uel regnum, ideo ponitur quarta species prudentiæ, quæ est œconomica: ultima species est militaris prudentia, qua hostium insultus repelluntur; quamuis enim militiæ executio ad fortitudinem spectet, eius tamen directio ad prudentiam pertinet. Et quoad regitiuam prudentiam, notandum est, quod multiplex est regimen. Quoddam est despoticum quo reguntur ferri, & animalia,

Memoria. Intellectus. Docilitas. Eustochia seu solertia. Ratio.

prouidentia. Circumspectio. Cautio.

Illius partes subiectiue quinque. Earum sufficientia. monastica.

Regitiua, seu legis positua. politica.

œconomica. militaris. Regimen, uel est despoticum, uel paternum, & bonum uel.

quæ sunt instrumenta hominis animata, quibus non licet, neque possunt contradicere; & hoc regimē est in utilitatem ipsius regentis, quia quicquid acquirit animal, uel seruus, acquirit domino. Hoc regimen inter homines, liberos, dicitur Tyrannicum. Aliud est regimen paternum, siue liberorum, qui reguntur ad utilitatem ipsorum subditorum, & quibus aliquando licet contradicere, & diuiditur in regale, seu Monarchicum, quod est regimen unius, & politicum, quod est regimen plurium: & hoc diuiditur in Aristocraticum, quod est regimen paucorum, quādo. scilicet fit per paucos, & prudentes, ut olim Romani, expulsis regibus per duos consules, & dictatorem regebantur, & Democraticum quod est regimen plurium siue multorum. Regimen regale diuiditur in sacerdotale, & temporale, & mixtum.

Monarchia.
Aristocratia.
Democratia.
Monarchia triplex.

Illius partes potentiales tres.

Eubulia.
Synesis.
Gnomin.

Partes potentiales prudentiæ, sunt quædam uirtutes, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, siue materias, quasi non habentes totam potentiam principalis uirtutis; sicut potentia naturalis animæ, non habent totam uirtutem ipsius animæ, & sunt tres. scilicet Eubulia, Synesis, & Gnomin, nam principalis actus prudentiæ, est præcipere, ad recte autem præcipiendum, opus est de præcipiendis consiliari, & iudicare, quæ proprie ad illas tres uirtutes pertinent, ad prudentiam uero non nisi imperatiuè, & quatenus uirtutes illæ, ad eam reducuntur, sicut consiliari, & iudicare, ad præcipere. Eubulia igitur est uirtus recte consiliariua. Synesis, & Gnomin sunt uirtutes bene iudicatiuæ, de his quæ agenda sunt, sed differenter: nam synesis recte iudicat de consiliatis, secundum leges, & communia principia. Gnomin uero, est uirtus bene iudicariua, de his in quibus oportet, quandoque à communi lege discedere.

Vitia opposita.

Prudentiæ in cōmuni, opponitur imprudentia, qua homo diuertit se à regulis, quibus ratio prudentiæ rectificatur. in particulari uero opponuntur prudentiæ carnis, astutia, dolus, fraus, nimia sollicitudo, incōstātia, negligentia, præcipitatio, & inconsideratio.

Quid sit fortitudo, & quot sint illius partes.

Cap. XIII.

quid sit.

Fortitudo est uirtus, quæ timorem cohibet, & audaciam moderatur, circa pericula mortis. quia. n. aliquādo repellimur ab eo, quod est secundum rationem, propter aliquid occurrens difficile, debuit esse aliqua uirtus, quæ hoc impedimentū remoueat, & est fortitudo, quæ si sumatur pro quadam

dam firmitate animi, est generalis uirtus, uel potius cuiuslibet uirtutis conditio, at si accipiatur pro firmitate animi in sustinendis, & repellendis his in quibus firmitatē seruare difficillimum est, sic est uirtus specialis, de qua loquimur, quæ uersatur circa passionē timoris, quā cohibet, ne uoluntas à recta ratione recedat; & audaciā, quā moderatur, ne se homo periculis incōsiderate exponat. Sed quia timor mortis, & periculorū, quæ sūt circa mortē, maximus est, & sūme hominē à bono retrahit: fortitudo proprie est circa timores mortis, ne homo propter eos à uirtuosis actibus abstrahatur: alii uero timores malorū, moderantur per illas uirtutes, quæ amorem contrariorum bonorum ordinant; nam timor ex amore causatur; ut liberalitas, quæ amorē pecuniæ moderatur, moderatur etiā cōsequēter eandē amittēdi timorē. Et duo sūt fortitudinis actus, aggredi, & sustinere, & præcipuus est sustinere, qui. n. sustinet à fortiori inuadēte sustinere uidetur, & iā sētit pericula imminētia, & sustinere temporis diurnitatē importat, at quod aggreditur inuadit per modū fortioris, & pericula, ut futura percipit, & ex subito motu aggredi potest.

Duo fortitudinis actus.

Fortitudo propter specialitatē sui obiecti, non habet partes subiectiuas. i. uirtutes specie differētes, sed habet partes integrales, secundū ea quæ ad actus fortitudinis requiruntur; & potētiales, secundū ea, quæ fortitudo obseruat, circa difficilia. scilicet pericula mortis: sunt alia uirtutes circa pericula minus difficilia, quæ fortitudini adiunguntur, sicut secundariæ principali. Partes potentiales fortitudinis sunt quatuor, ut Ciceroni placet. scilicet Magnificētia, fiducia, patientia, & perseverantia. duo. n. sunt, ut diximus fortitudinis actus, aggredi, & sustinere: ad actum aggrediendi, duo requiruntur, quorū primū pertinet ad animi præparationē, & est fiducia per quam magnis, & honestis rebus animus in se multū fiduciæ cū spe collocat. Alterū pertinet ad operis executionē, ne. scilicet aliquis deficiat in illorū executione, quæ fiducialiter inchoauit, & quātū ad hoc ponitur magnificētia, quæ est rerum magnarū, & excelzarū, cū animi ampla quadā, & splendida propositione cogitatio, & executio. Ad actū fortitudinis, qui est sustinere, duo etiā requiruntur, Alterū est ne propter difficultatē imminētū malorū, animus pro tristitiā frāgatur, & à sua magnitudine decedat, & ad hoc ponitur patientia, quæ est honestatis. aut utilitatis causa, rerū arduarū, atque difficilium, uolūtaria, ac diuturna persequutio. Alterū est, ut ex diuturna difficilium passione, homo non frāgatur, ita ut desistat: & quātū ad hoc ponitur perseverantia, quæ est in ratione bene cōsiderata, stabilis, & perpetua persequutio; quæ quatuor si

Illius partes potentiales quatuor.

fiducia.

magnificētia.

patientia.

perseuerantia.

coar-

coarctentur ad propriam fortitudinis materiam. s. ad pericula mortis, sunt quasi ipsius partes integrales, sine quibus fortitudo esse non potest, at si referantur ad alias materias, in quibus est minus difficultatis, erunt uirtutes, secundum suam speciem a fortitudine distinctæ, quæ tamen ei adiungentur sicut secundariæ principali. Macrobius præter has quatuor partes, tres alias ponit. s. magnanimitatem, securitatem, & constantiam; sed Cicero magnanimitatem, & securitatem sub fiducia cõprehendit, quas Macrobius per magis specialia distinguit: nam fiducia importat spem certam hominis ad magna, Spes autem cuiuslibet rei, præsupponit appetitum in magna protensum per desiderium, quod ad magnanimitatem pertinet; firmitas uerò, & certitudo spei, haberi non potest, nisi timor contrarium impedimentum remoueat, quem excludit securitas, Constantia uerò sub magnificentia cõprehendi potest. in his enim, quæ quis magnificè facit, constantem animum habere oportet, quæ etiam ad perseverantiam pertinere potest. Andronicus posuit septem uirtutes fortitudini annexas, quæ sunt Euppsychia, Lenia, Magnanimitas, Virilitas, Perseuerantia, Magnificètia, Andragathia, & sunt eadē cum prædictis, nam Lenia idem est, quod patientia; uel tolerantia, ut enim inquit, lenia est habitus promptus tribuens ad conari qualia oportet, & sustinere, quæ ratio dicit. Euppsychia, id est bona animositas, idem est, quod securitas, dicit enim, quod est robur animæ ad ipsius opera perficiendum. Virilitas idem uiderur, quod fiducia, nam dicit, quod est habitus per se sufficiens tributus in his, quæ secundum uirtutem sunt. Magnificentiæ autem addit Andragathiam, quasi uirilem bonitatem, quæ strenuitas dici potest: ad magnificentiam enim pertinet non solum, quod homo consistat in executione magnorū operum, quod pertinet ad constantiam, sed etiam cum quadam uirili prudentia, & sollicitudine, ea exequatur, quod pertinet ad andragathiam, siue strenuitatem.

Quid sit Temperantia, & quæ sint illius partes. Cap. XV.

Quid sit. Temperantia est uirtus, per quam moderamur delectationes tactus, & tristitias ex delectabilium absentia refranamus. licet enim temperantia, secundum communitatem suæ significationis, sit uirtus generalis, quia temperiem, seu moderationem quandam importat, quæ in omni

uir-

uirtute morali reperitur, si tamen consideretur antonomasticè in quantum moderatur, & refranat concupiscibilem appetitū, ab his quæ maxime hominem alliciunt, est uirtus specialis, habens specialem materiam, sicut & fortitudo, quæ sunt concupiscentiæ, & delectationes: sed quia uirtus est circa difficile, ideo temperantia est circa maximas delectationes, quales sunt illæ, quæ sequuntur operationes maxime naturales, quibus. s. natura indiuidui per cibum, & potum, & natura speciei, per coniunctionem maris, & fæminæ conseruantur; quæ operationes ne relinquerebantur, habent essentialem quandam delectationem adiunctam, quæ delectationes si moderatè sint, non sunt malæ, utpote à natura inditæ, & dicuntur delectationes tactus, circa quas principaliter temperantia uersatur; ex consequenti tamen uersatur etiam circa sensibilia aliorum sensuum, ut circa saporem, odorem, ornatum mulieris, & huiusmodi, in quantum conferunt ad delectabilem usum rerum, quæ pertinet ad tactum, sed quia gustus propinquior est tactui, quam alii sensus, ideo temperantia magis est circa gustum, quam circa alios sensus.

Partes integrales temperantiæ, quæ ad eius perfectum actū necessariæ sunt, sunt duæ. Verecundia. s. & honestas, quia enim temperantia sibi quendam decorem uendicat, & uitia ei cõtraria, turpitudinem habent (Nam temperantia in quadam moderate rata, ac conuenienti proportione consistit, quæ est pulchritudinis ratio, & refranat ab his, quæ homini, secundum bestialem partem conueniunt, quibus homo maxime deturpatur) ideo ad temperantiam necessaria est uerecundia, qua quis turpitudinem ei contrariam refugit; & honestas qua eius pulchritudinem amat. Partes subiectiuæ sunt quatuor. s. Abstinètia, Sobrietas, Castitas, & Pudicitia. Species enim uirtutum specificantur, secundum diuersitatem materiæ, uel obiecti; delectationes autem circa quas est temperantia, uel pertinet ad nutrimentum, & ita est abstinètia, quæ est circa cibum, & sobrietas circa potum; uel pertinent ad generationem; & quoad actum generationis est castitas; quoad delectationes circumstantes, quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus, est pudicitia. Partes potentiales temperantiæ sunt multe. cum enim ad temperantiam pertineat moderari delectationes tactus, quas difficile est moderari; quæcumq; uirtus, quæ moderationem in aliqua materia, & refranationem appetitus in aliquid tendentis, operatur, dici potest pars temperantiæ, sicut uirtus ei adiuncta; quod quidem tripliciter contingit, uel in interioribus motibus animi,

uel

partes integrales sunt Verecundia, & Honestas.

partes subiectiuæ quatuor. Abstinètia Sobrietas Castitas pudicitia.

partes potentiales multe.

uel in exterioribus motibus, & a^{ct}ibus corporis, uel in exterioribus rebus. Et præter motum concupiscentiæ, quem moderatur, & refrænatur temperantia, quatuor motus inueniuntur in anima in aliquid tendentes. Primus est motus uoluntatis commotæ ex impetu passionis, quem continentia refrænatur; ex qua fit, ut homo licet immoderatas concupiscentias patiat, uoluntas tamen non uincatur. Secundus est immoderatus appetitus sciendi, quem moderatur studiositas, quæ curiositati opponitur. Tertius est motus spei, & audaciæ immoderate ad excelsa tendens, quem refrænatur humilitas. Quartus est motus iræ, tendens in uindictam, quem refrænatur clementia, & mansuetudo: quæ tamen sunt distinctæ uirtutes, licet in eundem effectum concurrant; cum enim ex passione iræ prouocetur animus, ad inferendam grauem pœnam, ad clementiam propriè pertinet imminutio pœnæ, & ad mansuetudinem impetus iræ refrænatio; quod si recta ratio non requirit imminutionem pœnarum, tunc est seueritas, quæ est uirtus, secundum quam homo est inflexibilis circa exteriorem inflictionem pœnarum, quando hoc recta ratio exigit. Circa refrænationem autem, & moderationem motuum, & actuum corporalium, est modestia, quæ quidem etiam extenditur ad interiores animi motus, cum sit uirtus moderatiua concupiscentiarum, quas non ita difficile est moderari. ubi enim est maxima difficultas, ibi opus est uirtute temperantiæ, & sic sub modestia continentur humilitas, & studiositas, quas, diximus, ad interiores animi motus pertinere. Sed quia moderatio interiorum motuum, manifestatur per exteriorem moderationem, ob id modestia exterioribus actionibus tribuitur, de qua Apost. dixit. *Modestia uestra nota sit omnibus hominibus*, & sub modestia sic sumpta, Andronicus tres uirtutes posuit. s. ornatum, bonam ordinationem, & austeritatem, quibus cum Arist. addenda est quarta. s. Eutrapelia. Ordinatio enim exteriorum motuum attenditur, & secundum conuenientiam personæ, & secundum conuenientiam ad exteriores personas, negocia, seu loca. Moderatio secundum personæ decentiam in factis, pertinet ad ornatum; in colloquiis uerò ad austeritatem; moderatio secundum conuenientiam ad exteriores personas, pertinet ad bonam ordinationem, quæ respicit conuenientiam ad diuersa negocia, & ea quæ circumstant. Moderatio tandem quo ad ludos, pertinet ad Eutrapeliam.

pro motibus cōcupiscentiæ.
Continentia.
studiositas.
humilitas
Clementia
mansuetudo.

securitas.

pro motibus corporalibus.
modestia.

Ornatus.

Bonæ ordinationis.
Austeritas
Eutrapelia.

Quid

Quid, & quotuplex sit Iustitia. Quæ sint species particularis Iustitiæ, & quæ sint illius partes integrales, & potentiales. Cap. X VI.

Iustitia est perpetua, & constans uoluntas, ius suum unicuique tribuens, id est, est habitus, secundum quem aliquis perpetua, & constanti uoluntate, ius suum unicuique tribuit, ex qua definitione sequitur, quod iustitia, cum in ratione debiti consistat, & æqualitatem importet, propriè ad alterum est; & inter eos, inter quos non est debitum, nec æqualitas, propriè non inuenitur, ut inter Deum; & homines, filios, & parentes. Sequitur etiam, quod cum homo dupliciter possit ad alium comparari, uel ad aliud singulariter consideratum, uel ad aliud in communi, secundum. s. quod est pars communitatis, ad utrumque se habebit iustitia; & ita iustitia prima sui diuisione, diuidetur in generalem, & particularem. Iustitia enim communiter accepta, secundum suam propriam rationem, hominem ad bonum commune debitum ordinat. Quatenus ergo quilibet est pars communitatis, & bonum partis, ordinatur ad bonum totius, actus cuiuslibet uirtutis, siue ordinatis hominem ad seipsum, siue ordinantis ipsum ad alias personas particulares, ad iustitiam pertinere possunt, & quantum ad hoc, iustitia dicitur uirtus generalis. Sed quia ad legem pertinet ordinare ad bonum commune, hinc est, quod hæc iustitia generalis, dicitur etiã iustitia legalis, quia. s. per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium uirtutum in bonum commune; non autem dicitur uirtus generalis per essentiam, cum sit uirtus specialis, habens speciale obiectum, bonum, scilicet commune, uel particulare debitum, secundum æqualitatem; sed per imperium, & ordinationem, quia mouet, & ordinat actus omnium aliarum uirtutum in finem suum; eo modo quo aliæ uirtutes ordinantes actus aliarum uirtutum in finem suum dicuntur generales, sicut charitas, quæ omnia in Deum ordinat; & secundum hanc ordinationem omnes aliæ uirtutes possunt dici iustitia, non per essentiam, seu prædicationem, sed per participationem, & ordinationem; & hæc generalis, seu legalis iustitia principaliter, & quasi architectonicè est in Principe; secundariè uerò, & quasi administratiuè in subditis; Et quæ admodum præter legale iustitiam, sunt aliquæ uirtutes particulares, quæ ordinant hominem in se ipso, puta temperantia, fortitudo, &c. ita etiam præter iustitiã legale, debet esse quædam particu-

Quid sit.

Respectu Dei, & parentum non est proprie iustitia.

Iustitia duplex generalis, & particularis.

ticu.

icularis iustitia, quæ hominem ordinet circa ea, quæ sunt ad alteram singularem personam, cuius materia sunt exteriores actiones & res quatenus, secundum eas, unus homo alteri coordinatur.

species iustitiæ particularis est commutativa, & distributiva.

Duæ sunt species particularis iustitiæ; iustitia, scilicet commutativa, & iustitia distributiva: nam iustitia particularis, ut dixi ordinatur ad priuatam personam, quæ comparatur ad communitatem, sicut pars ad totum; ad aliquam autem partem, duplex ordo attendi potest. Unus est partis ad partem, cui similis est ordo unius personæ priuatae ad aliam, & hunc ordinem dirigit iustitia commutativa; alter est totius ad partes, cui assimilatur ordo eius, quod est commune ad singulas personas, quem dirigit iustitia distributiva.

partes integrales declinare a malo, & facere bonum sub ratione debiti.

Partes integrales iustitiæ sunt, Declinare a malo, & facere bonum, sub ratione debiti, nam vitare malum, & facere bonum absolute ad omnem virtutem pertinet, & sic non sunt partes iustitiæ, nisi forte iustitia accipiatur prout est omnis virtus; quavis etiam iustitia hoc modo accepta, respiciat quandam specialem rationem boni, prout scilicet est debitum in ordine ad legem divinam, uel humanam. Ad iustitiam ergo specialem, quæ respicit bonum sub ratione debiti ad proximum, pertinet facere bonum sub ratione debiti, incomparatione ad proximum, & vitare malum, quod est nocivum proximo. Ad iustitiam uero generalem pertinet facere bonum debitum in ordine ad communitatem, uel ad Deum; & vitare malum oppositum, quæ dicuntur partes integrales iustitiæ: ad iustitiam enim pertinet æqualitatem constituere in his, quæ sunt ad alterum, eiusdem autem est constituere aliquid, & constitutum conservare, in his quæ sunt ad alterum; æqualitas autem constituitur facièdo bonum, id est reddendo alteri, quod ei debetur, conservatur uero declinando a malo. id est nullum nocivum proximo inferendo.

partes potentiales, seu virtutes annexæ.

Partes potentiales, seu virtutes annexæ iustitiæ, sunt, Religio, Pietas, Observantia, Veritas, Gratia, & Vindictio; has omnes Cicero iustitiæ annectit, & merito quidem, nam cum virtutes quæ alicui principali uirtuti annectuntur, in aliquo debeant cum principali uirtute cõuenire, & in aliquo a perfecta illius ratione deficere, & iustitia sit ad alterum, cui reddit, quod illi debetur, secundum æqualitatem; duplici ex capite virtutes, quæ sunt ad alium annectentur iustitiæ, quatenus scilicet deficiunt a ratione æqualitatis, uel debiti, in quibus a perfecta ratione iustitiæ deficiunt. Quædam igitur virtutes sunt, quæ debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt æquale reddere, & primo quidem,

Religio.

dem, quicquid ab homine Deo redditur, debitum est, non tamen potest esse æquale, ut scilicet tantum ei homo reddat, quantum debet; & secundum hoc adiungitur iustitiæ religio. Secundo partibus etiam non potest secundum equalitatem recompensari, respectu quorum adiungitur pietas. Tertio uirtus quoque non potest ab homine, secundum æquale præmium recompensari, ob quam causam adiungitur obseruantia. Aliæ uero uirtutes, iustitiæ annectuntur a qua ratione debiti deficiunt. Duplex enim est debitum. Alterum est legale, ad quod reddendum lege astringimur, quod proprie ad iustitiam, quæ est principalis uirtus, pertinet. Alterum est morale, quod ex honestate uirtutis debetur, quod cum deficiat a debito iustitiæ, uirtutes, quæ de illo sunt, iustitiæ annexæ dicentur, & cum debitum necessitatem importet, duo erunt gradus huius debiti morales, Alter est eius, quod sic est debitum, & necessarium, ut sine eo morum honestas conservari non possit; & hoc debitum potest attendi, aut ex parte ipsius debentis, & sic ad hoc debitum pertinet, quod homo talem se alteri exhibeat in uerbis, & factis, qualis est, & ita adiungitur iustitiæ Veritas; aut ex parte eius cui debetur, prout scilicet aliquis recompensat alicui, secundum ea, quæ fecit. quandoque quidem in bonis, & sic adiungitur iustitiæ, gratia: quandoque autem in malis, & sic adiungitur vindictio. Alter gradus debiti, est eius, quod sic est debitum, & necessarium, sicut conferens ad maiorem honestatem, sine quo tamen honestas conservari potest, quod quidem debitum attendunt libertas, affabilitas, amicitia, & huiusmodi; quas tamen Cicero in prædicta enumeratione prætermisit, quia parum habent de ratione debiti.

Pietas.

Observantia.

Veritas.

Gratia.

Vindictio.

Libertas, affabilitas.

Epichæia est pars iustitiæ non integralis, nec potentialis, sed subiectiua, de qua iustitia prædicatur, non uniuoce, tanquam genus de specie, sed analogicè; per prius enim dicitur iustitia de epichæia, quam de iustitia legali, nam leges sunt de actibus singularibus contingentibus, qui cum infinitis modis uariari possint, non potest lex aliqua institui, quæ in nullo deficiat; sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, & secundum hoc legem constituunt; quam tamen in aliquibus casibus obseruare, esset contra iustitiam, & contra commune bonum, quod lex intendit: in quibus casibus, prætermittis uerbis legis, sequi debet id, quod poscit ratio iustitiæ, & communis utilitas, & ad hoc ordinatur epichæia, quæ interpretatur equitas, secundum quam iustitia legalis dirigitur, est enim quasi superior regula huma-

De Epichæia.

humanorum actuum, cum non uerba legis, sed legislatoris intentionem respiciat.

Quod dona distinguantur à virtutibus, & sint necessaria. Cap. XV II.

Dona à virtutibus distinguuntur, in assignanda tamen distinctionis causa, non omnes cōueniunt, sed debemus eorum distinctionem accipere ex modo loquendi scripturæ, in qua nobis traduntur, non quidem sub nomine donorum, sed magis sub nomine spirituum, sic. n. dicitur, *Isa. I I. Requiescet super eum spiritus sapientia, & Intellectus, &c.* Ex quo patet, quod dona nobis insunt, secundum quod dantur ex inspiratione diuina, quæ motionem ab extrinseco importat; mobile autem debet proportionari suo motori, & quo motor est altior, tanto dignior dispositio est necessaria mobili, ut à motore bene moueatur; At uirtutes humanæ perficiunt hominem, secundum quod homo natus est moueri per rationem, in his, quæ interius, uel exterius agit; ergo oportet inesse homini altiores perfectiones, secundum quas sit dispositus ad hoc, quod diuinitus moueatur, & istæ perfectiones dicuntur dona, non solum quia infunduntur à Deo, sed etiam quia reddunt hominem bene mobilem ad ea ad quæ diuina inspiratio inclinât, unde Philosophus, in cap. de bona fortuna, inquit, quod his, qui mouentur per instinctum diuinum, non expedit consiliari, secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum, quia mouentur à meliori principio, quam sit humana ratio; Et ideo dicitur, quod dona perficiunt hominem ad altiores actus, quam sint actus uirtutum; Ex quo sequitur dona hominibus necessaria esse in his in quibus non sufficit instinctus rationis, sed est necessarius Spiritus sancti instinctus; Et quod hic Spiritus sancti instinctus sit præter uirtutes necessarius, probatur ex differentia, quæ est inter uirtutes theologicæ, & morales, nam quamuis uirtutes Theologicæ sint perfectiores moralibus, morales tamen perfectiori modo habentur, cum enim sint naturales, secundum. s. naturale lumen rationis, perfecte à Deo habentur; unumquodq; autem, quod perfecte habet naturam, aut formam aliquam, aut uirtutem, potest per se, secundum illam, operari, non tamen exclusa operatione Dei, qui in omni natura, & uoluntate interius operatur; quantum igitur ad ea, quæ sub sunt humanæ rationi, in ordine. s. ad finem homini connaturallem,

sem, homo potest operari per iudicium rationis, uirtutibus moralibus informatæ, & si in hoc homo à Deo adiunetur per specialem instinctum, hoc erit superabundantis bonitatis. At uirtutes Theologicæ, quibus homo à Deo supernaturaliter perficitur, in ordine ad finem supernaturalem, non habentur in hac uita perfecte; imperfecte. n. Deum diligimus, & cognoscimus; id autem, quod imperfecte habet naturam aliquam, uel formam, aut uirtutem, non potest per se operari nisi ab altero moueatur. Cum igitur ratio in ordine ad ultimum finem supernaturalem moueat, secundum quod est aliquam, & imperfecte informatæ, per uirtutes Theologicæ, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctio, & motio Spiritus sancti; & ita ad finem supernaturalem consequendum, præter uirtutes necessaria sunt homini dona Spiritus sancti, quæ sunt quidam habitus, quibus disponitur, ut à Deo moueatur.

Quot sint dona Spiritus sancti. Cap. XVIII.

Dona Spiritus sancti sunt septem, quorum sufficientia hinc sumitur. Cum dona sint quidam habitus perficientes hominem ad hoc, quod prompte sequatur instinctum Spiritus sancti, sicut uirtutes morales perficiunt uires appetitiuas ad obediendum rationi, & omnes uires humanæ, natae sint moueri per Dei instinctum, sicut à quadam superiori potentia, quemadmodum, & appetitiuæ per imperium rationis, in omnibus uiribus hominis, quæ possunt esse principia humanorum actuum; sicut sunt uirtutes, ita etiam erunt dona, scilicet in ratione, & in uires appetitiuæ. Ratio autem diuiditur in speculatiuam, & practicam, & in utraque consideratur apprehensio ueritatis, quæ pertinet ad inuentionem, & iudicium de ueritate; Ad apprehensionem ueritatis speculatiua ratio perficitur per Intellectum, practica per Consilium. Ad recte autem iudicandum, speculatiua quidem, per Sapientiam, practica uero per Scientiam perficitur. Appetitiua uirtus in his, quæ sunt ad alterum perficitur per Pietatem; in his autem, quæ sunt ad seipsum, contra periculorum timorem, perficitur dono Fortitudinis; contra inordinatam uero delectabilem concupiscentiam, dono Timoris.

da. hinc sumitur. Cum dona sint quidam habitus perficientes hominem ad hoc, quod prompte sequatur instinctum Spiritus sancti, sicut uirtutes morales perficiunt uires appetitiuas ad obediendum rationi, & omnes uires humanæ, natae sint moueri per Dei instinctum, sicut à quadam superiori potentia, quemadmodum, & appetitiuæ per imperium rationis, in omnibus uiribus hominis, quæ possunt esse principia humanorum actuum; sicut sunt uirtutes, ita etiam erunt dona, scilicet in ratione, & in uires appetitiuæ. Ratio autem diuiditur in speculatiuam, & practicam, & in utraque consideratur apprehensio ueritatis, quæ pertinet ad inuentionem, & iudicium de ueritate; Ad apprehensionem ueritatis speculatiua ratio perficitur per Intellectum, practica per Consilium. Ad recte autem iudicandum, speculatiua quidem, per Sapientiam, practica uero per Scientiam perficitur. Appetitiua uirtus in his, quæ sunt ad alterum perficitur per Pietatem; in his autem, quæ sunt ad seipsum, contra periculorum timorem, perficitur dono Fortitudinis; contra inordinatam uero delectabilem concupiscentiam, dono Timoris. **T** **D**

De Fructibus Spiritus sancti. Cap. XIX.

Apostolus ad Gal. 5. enumerat duodecim fructus Spiritus sancti dicens, *Fructus autem Spiritus est Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Et quia fructus dicitur id, quod ex aliquo procedit, sicut ex semine, uel radice, attendenda est distinctio horum fructuum, secundum diuersum processum Spiritus sancti in nobis: qui quidem processus attenditur, secundum hoc, ut primo mens hominis in se ipsa ordinetur; secundo ordinetur ad ea, quae sunt iuxta, Tertio ad ea, quae sunt infra. Tunc autem mens hominis bene in se ipsa disponitur, quando bene se habet in bonis, & in malis; & prima dispositio mentis humanae ad bonum, est per amorem, qui est prima affectio, & omnium affectionum radix; & ideo inter fructus spiritus primo ponitur Charitas, in qua specialiter Spiritus sanctus datur, sicut in propria similitudine, cum ipse sit amor. Ex charitatis autem amore, necessario sequitur gaudium, omnis enim amans gaudet ex coniunctione amati, & charitas Deum quem amat semper praesentem habet. Perfectio uero gaudij est pax, quantum ad duo, primo quidem quantum ad quietem ab exterioribus conturbantibus, non enim potest perfecte gaudere de bono amato, qui in eius frustione ab aliis perturbatur; & qui perfecte habet cor in uno pacatum, a nullo alio molestari potest, cum alia quasi nihil reputer, & ideo, ps. 118. dicitur, *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illi scandalum,* quia scilicet ab exterioribus non perturbatur, quin Deo fruatur. Secundo quantum ad sedationem desiderij fluctuantis, non enim perfecte gaudet de aliquo cui non sufficit id de quo gaudet; & haec duo importat Pax, ut scilicet neque ab exterioribus perturbemur, & ut desideria nostra conquiescant in uno. In malis autem bene se habet mens quantum ad duo. Primo, quidem, ut non perturbetur mens per imminetiam malorum, quod pertinet ad Patientiam; Secundo, ut non perturbetur in dilatione bonorum, quod pertinet ad Longanimitatem; nam carere bono habet rationem mali. Ad id autem, quod est iuxta hominem, bene disponitur mens hominis, Primo, quantum ad uoluntatem benefaciendi, & ad hoc pertinet Bonitas. Secundo, quantum ad beneficentiae executionem, & ad hoc pertinet Benignitas. Tertio, quatenus aequanimiter tolerantur mala ab aliis illata, & est Mansuetudo, quae cohibet iras. Quarto, quantum ad hoc, quod non solum per iram proximis non noceamus, sed

sed etiam, neque per fraudem, uel dolum, & est fides sumpta pro fidelitate. Ad id uero, quod est infra, bene disponitur homo, primo quidem quantum ad exteriores actiones, per Modestiam, quae in omnibus dictis, & factis modum seruat; quantum ad interiores concupiscentias, per Continentiam, & Castitatem, siue haec duo distinguantur per hoc, quod castitas refranat hominem ab illicitis, Continentia uero a licitis; siue per hoc, quod continens patitur concupiscentias, sed non deducitur, castus autem, neque patitur, neque deducitur.

De Interpretatione Sacrae Scripturae.

De sacramentorum scripturarum difficultate, & de requisitis ad illarum studium, & intelligentiam.

Cap. XX.

Cum praecipuum sacerdotum studium esse debeat Sacrae scripturae, & illam populo explicare debeant, non erit inutile, de illius interpretatione aliquid breuiter dicere, est enim admodum difficilis, propter quatuor praecipuas causas, Prima, quia tractat de rebus difficillimis, omnem intellectum, non solum humanum, sed etiam Angelicum excedentibus, de Deo. scilicet & diuinis mysterijs. Secunda est propter prophetica locutionem. Tertia, propter multiplices sensus. Quarta, propter metaphoricam, & figuratam locutionem. Sed quia est cibus omnium, & continet ea, quae omnibus ad salutem necessaria sunt; ista quae sunt omnibus necessaria in quibusdam locis facillime explicat, ut ab omnibus intelligi possint; in aliis uero locis, eadem tanta obscuritate obuoluit, ut sine supernaturali lumine intelligi non possint, & nihil obscure tractat in uno loco, quin facillime in alio explicet. imo, ut nullus hoc caelesti diuinarum scripturarum cibo priuetur, aut excusari possit, nec etiam rudes, & ignari, qui literas nesciunt, tota scriptura redacta est ad Symbolum, ut inquit S. Aug. lib. 1. de Symbolo, cap. 1. In omni igitur copia Scripturarum sanctarum (ut inquit idem August. de Verbis Domini ser. 111.) pascimur apertis, & exercemur obscuris, qui etiam in psal. 140. dicit, Si nusquam aperta esset, non te pasceret, si nusquam occulta, non te exerceret. Quod summa Dei prouidentia factum est, ob tres maxime causas. Prima, ne detur sanctum canibus, & ne proiciantur margaritae ante porcos. 2. ad excitandum hominum

T t a Ru.

studium. 3. propter duplicem nostram humiliationem, quærum altera est dum uidemus eam nos plene intelligere non posse, ne plus uelimus sapere, quam oporteat sapere, qui enim scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Altera est, ut eius intelligentiam idiotæ à Doctis querant, & docti à doctioribus; ob quas causas noluit Deus facillima, & difficiliora separatim poni, sed promiscue, ne etiam scripturarum libri sint omnibus communes.

**De requi-
sitis ad il-
lius stu-
dium.**

Cum igitur Sacra scriptura sit difficilis, maxime laborandum est pro uero, & legitimo illius sensu, ut non ad libitum interprete-
tur, sed eo ducente, & illustrante spiritu, quo scripta fuit; nã ut inquit Aug in ps. 10. Eadem scriptura cum bene intelligitur, facundat pectora piorum, atq; fidelium, cum autem male intelligitur, pluit super peccatores laqueos. Pro faciliiori autem illius intelligentia dantur à Sanctis, & Doctoribus, aliquæ regulæ; sed quia illius intelligentia à Deo habenda est, qui suauiter disponens eam debitis mediis largitur, antequam ad regulas descendamus, aliqua præmittemus ueluti præambula, quibus ad illam intelligendam disponimur. Primum est, puritas mentis, quia ut dicitur, Sap. 1. *In animam maleuolam non intrabit sapientia.* Secundum frequens oratio, Iac. 1. *Si quis indiget sapientia postulet à Deo.* Tertium humilitas, Matt. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* & hæc humilitas requiritur quo ad quatuor. 1. ut non contemnatur humilis modus loquendi quem habet scriptura. 2. ne contemnantur aliorum expositiones. 3. ut non erubescat, quis confiteri se nescire, & non intelligere. 4. ut nullus erubescat discere ab alio, etiam malo, etiam indoctiore. S. Aug. de se dicit (& habetur 24. q. 3. c. Si habes.) Senex à puero, Episcopus tot annorum, à collega non dum anniculo, paratus sum edoceri. Abbas Arsenius uir doctus, interrogauit aliquando senem quendam Egyptium, ut ab eo instrueretur, cui alius, hoc uidens, dixit, Abba Arseni, quomodo tu qui tanta eruditione in latina, & græca lingua edoctus es, rusticum istum de cogitationibus tuis interrogas. Respondit Arsenius, latinam quidem, & græcam linguam quantum ad seculum pertinet, apprehendi, sed alphabetum rustici huius, nec dum discere potui. Quartum habere codices emendatos. Quintum diligentia in indagando, & inquirendo, quæ inquisitio fit diligenter legendo Sacram scripturam. ea lecta uidere quomodo alii, & præcipue Sancti illam exponant, & etiam

& etiam cõtemplari, & uidere an quid aliud occurrat, quod sit catholica fidei consonum; & in hoc cauenda est temeritas, ne falsa aut dubia tanquam uera, & certa affirmentur, aut propria communi præferatur sententia. Quatuor etiam sunt in hac inquisitione, sicut, & in cæteris studiis cauenda, quæ studii profectum impediunt, cauenda est curiositas, ut non impendatur magna opera in his, quæ non sunt magnæ utilitatis, Instabilitas, ne studium sit incertum, & uagum, legendo modo unum librum, modo alium. Rixandi, disputandi, & contradicendi libido. Nimia uelocitas in transcurrando, quia transcurrens non potest intelligere latentes sensus. Sextum est assiduitas in studendo. Septimum, ne intelligentia, & sapientia accepta priuari mereamur, uel ne sit ad maiorem nostram damnationem, opere adimplenda sunt, quæ didicimus, & Deo ingrati esse non debemus; *Seruus enim sciens uoluntatem domini sui, & non fecerit secundum eam plagis raputabit multis.* Luc. 12.

*De sensibus Sacrae scripturae, & ex quo sumatur efficax
argumentum. Cap. XXI.*

Sacra Scriptura sub eadem litera multos habet sensus, qui omnes reducuntur ad duos, literalem. s. & mysticum, seu spiritualem, est enim diuinitus ad hoc ordinata, ut per eam nobis ueritas ad salutem necessaria manifestetur; manifestatio autem, seu expressio alicuius ueritatis, dupliciter fieri potest, uerbis, & rebus; in quantum. s. uerba significant res, & una res potest esse signum alterius rei; & utroque modo Deus per Sacram scripturam nobis ueritatem exprimit, cum enim sit auctor rerum omnium, res uerbis significatas potest ordinare ad significandas alias res; Veritas, quam nobis Sacra scriptura explicat uerbis, pertinet ad sensum literalem; illa autem, quam nobis explicat rebus significatis sensu literali, pertinet ad sensum spiritualem. Sensus literalis est ille, quem Spiritus sanctus primo intendit, & est duplex, proprius, & metaphoricus; proprius est quando uerba accipiuntur, secundum propriam, & germanam significationem, quod tunc est, quando sic accepta, nihil sequitur falsi, aut absurdi; hoc enim casu uerba metaphoricè sumerentur, & sensus literalis non est ille, quem immediate significant uerba, sed quem significant res, iste enim est primo a Spiritu Sancto intentus, huiusmodi sunt parabola, metaphora, & multa figurata locutiones, quibus scriptura est plena, ut cum

**Duplex
sensus li-
teralis, &
mysticus,
seu spiri-
tualis.**

**sensus li-
teralis
quis.**

Sensus mi-
sticus qd,
& quoru-
plur

Christus se uitem, & Apostolos palmites uocat. Sensus mysticus est secundarius, fundatus super literali, & est ille quem significant res significatæ per sensum literalem. Et diuiditur ab Eucherio in Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum. Et licet Aug. lib. de Utilitate credendi, cap. 3. & Hier. in 12. quæst. ad Hedibiam aliquantulum uariant, & inter se, & ab Eucherio, in horum sensuum diuisione, & explicatione; communior tamē est diuisio Eucherii, cuius diuisionis ratio est, quia sicut sensus literalis quem sonant uerba, ordinatur ad duo, ad credendum, scilicet, & operandum, ita etiam sensus mysticus ipsarum rerū, Si ad recte operandum, est sensus moralis, qui alio nomine dicitur tropologicus; qui non solum, accipitur ex rebus ueteris testamenti, sed etiam noui, quæ enim à Christo gesta sunt, eorū quæ nos agere debemus sunt signa. Si ad recte credendum, distinguendum est secundum ordinem credibilium, ut enim inquit Dion. c. 4. Cæl. Hier. Satus Ecclesiæ medius est inter statū Synagogæ, & Ecclesiæ triumphantis; nam uetus testamentum fuit figura noui, & uetus & nouum, sunt figura cælestium, Si ergo res ueteris testamenti interpretentur, secundum quod significabant ea, quæ sunt noui testamenti, est sensus allegoricus, uel typicus: si autem ea, quæ sunt ueteris, & noui testamenti interpretentur de Ecclesia triumphanti, est sensus anagogicus, ad quos pertinet id, quod dicit S. Aug. 1. super Gen. ad literam, In omnibus libris Sanctis oportet intueri, quæ ibi æterna intuentur, quæ ibi facta narrantur, quæ futura prænunciatur, quæ agenda præcipiuntur. Primum pertinet ad sensum anagogicum, secundum ad literalem, Tertium, ad allegoricum, Quartum, ad moralem. de quibus Eucherius, in lib. spiritualium formularum dat exemplum Aquæ, nam aquæ nomen, literaliter significat aquam, quæ terram alluit, & interluit. Sicut Gen. 1. Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida. Ipsa aqua tropologicè significat tribulationes quas pati debemus, ps. 65. Transiimus per aquam, & ignem, & eduxisti nos in refrigerium. Esa. 43. Cum transferis per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Significat etiam sapientiam, prou. 18. Aqua profunda ex ore uiri, & torrens redundans fons sapientiæ. & etiam hæreses, prou. 9. Aquæ furtiue dulciores sunt. & mundi prosperitates, Io. 4. Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum. Allegoricæ aqua significat Baptismum, Ezech. 36. Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. Significat etiam populos iuxta illud, Apoc. 17. Aqua multa, populi multi. Esa. 32. Beati, qui semina-

tis su-

Tropolo-
gicus.

Allegori-
cus.

Anagogi-
cus.

tis super omnes aquas. Significat etiam gratiam Spiritus sancti, Io. 8. Si quis sitit ueniat ad me, & bibat, & fluent de uentre eius flumina aquæ uiuæ. Anagogice aqua exponitur de æterna Beatitudine, Ier. 2. Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ. Apoc. 7. Deducet eos ad uitæ fontes aquarum. & etiam de Angelis, ps. 148. Aquæ quæ sunt per cælos sunt laudent nomen Domini. Hæc Eucherius.

Ista sensuum uarietas nullam generat confusionem, sed pertinet ad fecunditatem Sacræ Scripturæ, quæ agro fertili comparatur, nam omnes sensus spirituales, fundantur super literali, & ex eo nascuntur, non enim liberum est cuique, interpretari scripturam ad libitum. Quamuis autem non omnis litera, seu sententia Sacræ Scripturæ, habeat omnes sensus, ut dicemus, omnis tamen, & quælibet, habet sensum literalem. Nec obstat, quod aliqui dixerunt multa esse in Sacra Scriptura, quæ non possunt literaliter intelligi, sed mystice sunt exponenda, quia isti laborarunt in æqui uoco, putantes sensum literalem parabolarum, & metaphorarum quibus impossibilia significantur, esse illum quem sonant uerba, & sensum per res ipsas significatum esse mysticum; nam sensus literalis est ille quem primo, & immediate Spiritus sanctus intendit; certum autem est, quod non intendit per parabolam uitis, significare, quod Christus sit ipsa uitis, & nos ueri palmites; nec per parabolam, Iud. 9. de arboribus congregatis, ut supra se regem constituerent, quod uere congregatæ sint, & locutæ, & quod iuerint ad oliuam, uitem, & ficum, & illis recusantibus regimen, perrexerint ad rhamnum; sed res ipsæ sumuntur loco nominum, & ille est sensus literalis, qui rebus illis significatur; quod idem etiam est in scriptoribus prophetis, quando utuntur metaphoris, non enim sensus literalis fabularum Hisopi est illè, quem sonant uerba, quod illa animalia loquantur, & illa dicant, & faciant, sed quem illis similitudinibus, & figmentis intendebat, & significabat. quando autem dicitur sensum mysticum esse illum, qui significatur rebus, intelligitur secundario, supposito sensu literali, illo enim casu significatio rerum, pertinet ad sensum literalem, qui in omnibus scripturæ locis reperitur, & est fundamentum sensus mystici, eique non potest subesse falsum, & ex illo solo sumitur efficax argumentum ad probandum res fidei. Est ulterius notandum, quod non solum eadem litera potest habere plures sensus mysticos, sed etiam plures literales, cum enim nomina, & uerba sæpe habeant plures significationes, & secundum uarias figuras coniungantur, reddunt propositiones habentes plures sensus, & licet

se nsu uo-
rietas non
ad confu-
sionē, sed
ad fecun-
ditatē per-
tinet.
semper ha-
bet sensū
literalem.
Quis ser-
uus litera-
lis in me-
taphoris.

Eiusdem
literæ pos-
sunt esse
plures sen-
sus litera-
les.

in scripturis prophanis unius sententiæ non sit nisi unus sensus literalis, quia illarum auctor est intellectus humanus, qui non potest simul plura per se intendere, nisi quatenus sunt subordinata; in scripturis tamen diuinis omnes sensus, qui alicui literæ, seu propositioni tribui possunt, salua ueritate fidei, & circumstantia literæ, sunt literales, quia omnes sunt intenti à Spiritu sancto. Nec ob id redditur scripturæ sensus incertus, aut inualidatur argumentum ab ea sumptum, quod non nisi ex literalis sensu concludit; nam litera habens plures sensus, seu expositiones, quincupliciter potest se ad illas habere; primo, quod sit secundum alias scripturæ auctoritates. 2. quia (ut diximus) non omnia habentur expressè in sacris literis, sed multa habentur traditionibus, & Ecclesiæ determinationibus, quod sit his conformis, & istæ duæ expositiones sunt indubitatè tenendæ. 3. potest expositio esse diuersa à prædictis, sed conformis doctrinæ Sanctorum, (non enim omnia in Ecclesia habentur tanquam de fide, & determinata) & tunc quo plures habet sanctos, cõmuniter eo probabilior est, ut diximus, c. 18. præcedentis libri. 4. potest esse non cõformis prædictis, sed nec etiam cõtraria, & ista expositio habenda est tanquam suspecta. 5. potest esse repugnans aliis scripturæ auctoritatibus, aut doctrinæ Ecclesiæ, & ista expositio est penitus reiicienda tanquam hæretica, sicut etiã reiicienda est tanquam erronea si sit cõtra cõmunè Sanctorum doctrinã, & tanquam temeraria si sit contra communem scholasticorum sententiam.

De argumentis ex scriptura.

Non inualidatur etiam ob istos multiplices sensus argumentum fidei, imo maxime decoratur, & ampliatur, ut idem hic contingat, quod in scientiis, in quibus non solum est medium demonstrationis ad aliquam conclusionem probandam, sed sunt etiam pro eadem cõclusionem multa media topica, & probabilia; Si istæ auctoritates propter multiplices sensus non efficaciter probant, ille tamen sensus efficaciter probatur alio scripturæ loco, qui non habeat nisi illum literalem sensum, si sit de dogmate fidei in scriptura tradito. Sed dices cum quilibet sensus uerus, siue literalis, siue mysticus, sit à Spiritu Sancto intentus, quare ex illo loco Scripturæ, qui habet plures sensus literales, non sumitur sufficiens argumentum, nec ex sensu literalis, nec mystico. Et confirmatur, quia sensus mysticus ueteris testamenti, licet sit secundarius, tanquam in literalis fundatus, fuit tamen à Spiritu sancto principaliter intentus, unde Apostolus 1. Cor. 9. adducens illud, *Non alligabis os boni trituranti.* subiungit. *Nunquid de bobus cura est Deo?* ergo uidetur, quod præcipuum

argumentum sit potius sumendum ex sensu mystico, quam literalis ueteris testamenti. Ad quod respondetur Spiritum sanctum noluisse nos obligare ad tenendam omnem ueritatem tanquam de fide; & cū fides liget intellectum magis quàm demonstratio, & non solum non liceat contrarium credere, sed nec etiã de eo dubitare, Deus suauiter disponens uoluit, ut id quod de fide tenendum est, proportionetur conclusioni scientificæ, cuius scientia non habetur nisi ex medio demonstratio, quod est proprium, & illius causa, licet ex aliis etiam mediis habeatur illius cognitio; sed non ita certa, & euidentis. Eodem modo, ut aliquid teneatur tanquam de fide, uoluit esse medium proprium, & id teneri uirtute illius medij, quod ut proprium ita ardet intellectum, ut non possit, nisi cauillando, & manifeste ueritati cõtrariando, deuiare; huius autem medij proprietates non est illius rei causa per se, ut in demonstratione, sed quod ita Deus reuelauit, per auctoritatem scripturæ illi solum legitimum sensum habentis, uel per traditionem, aut Ecclesiæ id tenentis auctoritatè. & ita licet ex illis scripturæ locis, qui habent plures sensus literales, & ex sensibus mysticis non sumatur sufficiens argumentum fidei, non ob id sunt superflui, aut infirmatur fides, sed illam illustrant, & confirmant, sicut in scientiis media topica conclusionem scientificam; quod in mysteriis fidei magis necessarium fuit, quia uidemus nunc per speculum, & in ænigmate, & non habemus euidentiam causæ sicut in demonstratione; & propterea ad fidei confirmationem. *Multifariam multisque modis olim loquens Deus in Prophetis nouissime locutus est nobis in Filio.* Hebr. 1. Ista igitur multiplicitas sensuum, nullam affert confusionem, & fidei ambiguitatem, sed ad fidei illustrationem, & fidelium studium, & exercitium pertinet.

Est autem hic notandum, quod quando dicimus ex sensu mystico, uel ex loco habente plures sensus literales, non sumi sufficiens argumentum fidei, intelligitur de illo sensu præcise, ut est illius loci, nam si ille sensus fuerit alibi in scriptura explicatus, ut sensus illius loci, sumetur ex eo sufficiens argumentum fidei, quia uirtute huius explicationis factus est proprius, nec propterea ruunt alii sensus, aut ille sensus est literalis, & non mysticus, ut aliqui uoluerunt, qui sensus expositos à scriptura dixerunt esse literales, non distinguentes respectum cuius sit literalis: nam ut est proprii loci, est mysticus, ut est scripturæ illum exponentis est literalis. V. G. Exod. 12. de agno paschali dicit Deus, *Nec os illius confringetis.* Ioann. 19. explicatur hoc prædictum fuisse de Christo. 2. Reg. 7. dicit Deus

Deus de Salomone, *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium,* & Apost. Heb. 1. explicat hoc dictum de Christo. Ista ad literam dicta sunt de agno paschali, & de Salomone, & de illis primo uerificantur. de Christo uero mysticè; quatenus agnus, & Salomō erant figura Christi; Euangelica autem, & Apostolica expositio, non facit quod illi sensus illorum locorum non sint mystici, nā eis conuenit definitio sensus mystici; sed quod ex illis sumatur sufficiens argumentum, ac si essent literales. Et ut melius intel ligatur distinctio inter sensum mysticum, & literalem, notandū est, quod aliqua Christi figura, ut Salomon, tripliciter potest cō siderari, & cōsequenter tripliciter etiam potest de ea loqui, primo in quantum est quædam res præcise in se considerata, & nō ut est figura. 2. solum in quantum est figura. 3. utroque modo in quantum est res quædam, & figura, iuxta primum modum dicuntur quædam de Salomone, quæ ipsi soli conueniunt, & nullo modo Christo, ut quod fecerit templa idolorum, 3. Reg. 11. & ista literaliter tantum de eo accipiuntur. Iuxta secundum modum, quædam dicuntur de Christo in persona Salomonis, quæ nullo modo possunt intelligi de Salomone, ut pl. 71. *Dominabitur à mari, usque ad mare, & à flumine, usque ad terminos orbis terrarum.* Et ista literaliter, & non mysticè intelliguntur de Christo, quia literaliter non possunt intelligi de Salomone, (non enim sensui literali potest subesse falsum) & sensus mysticus præsupponit literalem, & in eo fundatur. Iuxta tertiam considerationem quædam dicuntur, quæ, & de Salomone, & de Christo uerificantur, ut illud, *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium,* existentes enim in gratia sunt filii Dei per adoptionem, Et ista quatenus uerificantur de Salomone pertinent ad sensum literalem, quatenus intelliguntur etiam de Christo in persona Salomonis pertinent ad sensum mysticum. Est ulterius notandum, quod nō quæcunque multiplicitas sensuum literalium, tollit efficaciam argumenti, nam si diuersitas sensuum sit talis, quod omnes sensus in aliquo conueniant, quatenus conueniunt, ex illo loco sumitur argumentum fidei: exemplum sit de septuaginta hebdomadibus, Dan. 9. de quibus est difficultas apud hebræos, & latinos, quando cæperint, & præcise terminauerint, omnes tamen conueniunt, quod iamdiu terminatæ fuerunt, quatenus ergo secundum omnes expositiones transactæ sunt, efficacissimum argumentum ex illis sumitur, ad probandum tempus aduentus Messia iamdiu esse præteritum.

Cum duo sint sensus Sacræ scripturæ, literalis, & mysticus, qui

qui (ut diximus) diuiditur in Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum, non quælibet litera habet hos omnes quatuor sensus, licet quælibet habeat literalem, quod optime, & aptissima etiam comparatione explicuit Abbas Serenus apud Cassianum, Colla. 8. cap. 3. dicens Scripturarum diuinarum au dori-
tas, de his in quibus nos uoluit erudire, quædam tam lucide etiam his, qui acumen ingenii minime possident, euidenter effata est, ut non solum nulla occultioris sensus obscuritate uelentur, sed nec ullo quidem patrocínio interpretationis indigeant in superficie uocis ac literæ suos intellectus, ac sententias proferentia; quædam uero ita confecta, & quibusdam obscurata mysteriis edidit, ut in eorum discussione, & intellectu immensum nobis exercitii campum, ac sollicitudinis reseruent; Ideoq; satis proprie scriptura diuina agro optimo, ac fertili comparatur, qui cum multa gignat, ac proferat, quæ ad hominum uictū sine aliqua ignis concoctione proficiant, quædā nisi prius flamma calore mitigata, atq; mollita omnem asperitatem suæ deposuerint cruditatis, uel in congrua erunt uisibus humanis, uel nocua; nonnulla uero ita in utrunque apta nascuntur, ut nec incerta sua cruditate displiceant, uel offendant, & tamen ignis calore lenita, salubriora reddantur. plura quoq; ad escam irrationabilium iumentorum, & animalium mitium, uel ferarum, seu uolatilium oriūtur usum, cibis hominum minime pro futura, quæ etiam in sua asperitate manentia, absq; ulla ignis confectio-
nalem iumentis conferunt saturitatem. quam similitudinem exemplis, scripturæ applicat. Exemplum primi sit illud, Deut. 6. *Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. ubi præter literalem, nullus alius est quærendus sensus. Cæremonialia, & legalia ueteris legis, nisi de Christo intelligantur, arida sunt, & infructuosa. Metaphoræ, & parabola si secundum solum corticem uerborum accipiuntur, sunt nociuæ; quædam sunt ualde utilia, & secundum literam, & secundum mysticam intelligentiam, ut est illud si quis te percusserit in dexteram maxillam præbe ei, & alteram; pro simplicioribus, & ueluti iumentis est simplex puraq; narratio historie.*

Duo igitur hic sunt uitanda extrema. Primum ne tantum insistatur sensui mystico, & figurato, ut omittatur uerus, & proprius literalis, qui modus exponendi Sacras scripturas est hæreticorum, qui in suis erroribus obstinati, cum conuincuntur expressis scripturæ testimoniis, relicto uero sensu literalis, ad figuram

Non quælibet litera habet omnes sensus.

Duo extrema cauenda.

Differentia Dei secundum literalem, & mysticum. De figura tripliciter loqui potest.

guratum, uel mysticum sensum confugiunt, in quo S. Hier. in epist. ad Pammachium, dicit Origenem errasse, qui sic Paradisum terrestrè allegorizauit, ut historiae ueritatem auferret, dū pro arboribus Angelos, pro fluminibus uirtutes cœlestes intelligit, & tunicas pelliceas Adc, & Euæ corpora humana interpretatur, quasi ante peccatum sine corpore uixerint. Alterum extremum est eorum, qui simpliciter, & proprie accipiunt ea, quæ sunt figuratè accipienda; in quo errarunt Papias, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, & Lactantius, qui ea, quæ dicuntur Apocalypsis, 20. de noua Hierusalem, & mille annis quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo, hic in terris implenda existimauerunt, quorum errorem repræhendunt Hieron. in præf. lib. 18. in Esa. & in cap. 36. Ezech. & Aug. lib. 20. de Ciu. Dei, cap. 7. Cum autem fundamentum sensuum mysticorū sit sensus literalis, ille prius fideliter est habendus, & iuxta illum ita accipiendi sunt sensus mystici, ut apte conueniant, & ex eo oriri uideantur, & si de sensu literali sit controuersia cum hæreticis, uel si ad aliquod dogma fidei pertinet, prius stabiliendus, & exponendus est, & postea ad mysticos ita est transeundum, ut ab hæreticorum expositionibus maxime recedatur. Notandum est ex S. Greg. lib. 3. Moral. cap. 16. quem sequitur Angelomus in 2. Reg. c. 11. quod aliquando res, quæ per historiam est uirtus, per significationem est culpa, & è contra res gesta, quæ in se est mala, & causa dænationis, scripta, per significationem, est prophetia uirtutis; quod probant factio Dauid, qui in salario deambulās uidit Bethsabæ uxorem Vriæ, & illam concupiuit, cum eaq; adulterium commisit, & ut in uxorem duceret, occidit Vriam: Vbi quid per factū istud scelestius Dauid, & quid mundius Vriæ dici potest? & tamen per mysterium, quid sanctius Dauid, quid Vriæ infidelius inuenitur? nam ille per uitæ culpam, propheticè significat Christum, & iste per uitæ innocentiā, in prophetia exprimit culpam iudeorum; quod adeo explicant, & deducunt ex nominum interpretationibus, & circumstantiis facti, ut Christi mysterium, & iudeorum perfidia, & reprobatio, uideantur descripta ipsa adulterii, & homicidii narratione. Ex qua S. Gregorii doctrina aliqui concionatores licentiam sumpserunt non sine audientium scādalo, ea quæ à sceleratis hominibus impie facta sunt, & quæ etiam de diabolo sunt dicta, mystice Christo applicare, quod non sine horrore auditur. quibus dico, quod de hoc forte non reperietur apud Sanctos aliud exemplum, & in hoc exemplo mystica expositio est desumpta ex interpretationibus nominū.

de-

delatione literarum, & circumstantiis honestis, & ita illam deducunt, ut non possit esse occasio scandali: abstineant ergo Concionatores ab istis comparationibus, & similitudinibus, quæ sine horrore audiri non possunt. uel ita explicent, ut detestetur peccatū, & significet cōparationē nō fieri secūdū actū peccati, sed secūdū nominū interpretationes, & alias circūstātiās nō malas, more apū, quæ ex herbis uenenosis extrahunt mel. Nec est, quod in sui defensionem dicat, quod Christus se ipsum comparauit uermi, *Ego sum uermis, & non homo opprobrium hominum; & abiectio plebis.* pl. 2. 1. nam aliud est cōparare Christum, & diuina rebus uilibus, aliud Sathana, aut operi eius. *Quæ. n. conuentio est Christi ad belialē aut quæ participatio lucis ad tenebras?* 2. cor. 6. Contemplantur ipsi, & pro se ex his deducant istas comparationes, sed non proponant populo, quod ei magis nocere, quam prodesse potest.

Est ultimo circa sensus mysticos norandū, in quo etiā aliquādo Cōcionatores labuntur, quod sunt proprii Sacræ scripturæ, quæ ut inquit S. Greg. 2. 2. Moral. omnes sciētiās, atq; doctrinas, ipso etiā locutionis suæ more trāscēdit, quia uno eodemq; sermone, dū narrat gestum prodit mysteriū. Cuius etiā S. Th. quodlib. 7. q. 6. reddit rationē, quia spiritualis sensus Sacræ scripturæ accipitur ex hoc, quod res cursū suū peragētes, significat aliquid aliud, quod per spirituale sensū accipitur, sic autem ordinare res in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, ad illū solū pertinet, qui sua prouidentia res gubernat, qui est solus Deus; sicut. n. homo potest adhibere ad aliquid significandum, aliquas uoces, uel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationē aliquorū, ipsū cursū rerū suæ prouidentia subiectarū; Significare autē aliquid per uerba, uel per similitudines fictas ad aliquid significandū tātū ordinatas, non facit nisi sensū literale, ut patet ex dictis, ergo in nulla sciētia humana industria inuēta proprie loquendo potest inueniri nisi sensus literalis, Ex quo sequitur grauiter errare illos, qui fabulis poetarū, & gestis romanorum tribuunt sensus mysticos, & iuxta eos explicat mysteria Christianæ Religionis, prophanis illis scripturis tribuētes, quod est propriū Sacræ scripturæ; possūt quidē ex illorū scriptis, similitudinibus & factis, deduci ea, quæ pertinet ad Christū, & Christianam religionē: nō tamē quasi eorū sensus, sed quia nobis qui sumus lumine fidei illustrati, omnia cooperantur in bonū, & quæ deducuntur, arguendo à minori ad maius, uel è contra deducuntur; uel ita explicentur, ut audiētes intelligant, illa nullo modo adduci, ut figuras Christi, aut Ecclesiæ, sed ut exēpla à nobis assumpta.

De

Res quæ per historiam est uirtus per significationem est culpa, & è contra res gesta, quæ in se est mala, & causa dænationis, scripta, per significationem, est prophetia uirtutis; quod probant factio Dauid, qui in salario deambulās uidit Bethsabæ uxorem Vriæ, & illam concupiuit, cum eaq; adulterium commisit, & ut in uxorem duceret, occidit Vriam: Vbi quid per factū istud scelestius Dauid, & quid mundius Vriæ dici potest? & tamen per mysterium, quid sanctius Dauid, quid Vriæ infidelius inuenitur? nam ille per uitæ culpam, propheticè significat Christum, & iste per uitæ innocentiā, in prophetia exprimit culpam iudeorum; quod adeo explicant, & deducunt ex nominum interpretationibus, & circumstantiis facti, ut Christi mysterium, & iudeorum perfidia, & reprobatio, uideantur descripta ipsa adulterii, & homicidii narratione. Ex qua S. Gregorii doctrina aliqui concionatores licentiam sumpserunt non sine audientium scādalo, ea quæ à sceleratis hominibus impie facta sunt, & quæ etiam de diabolo sunt dicta, mystice Christo applicare, quod non sine horrore auditur. quibus dico, quod de hoc forte non reperietur apud Sanctos aliud exemplum, & in hoc exemplo mystica expositio est desumpta ex interpretationibus nominū.

Sensus mystici sunt proprii sacrae scripturæ.

De regulis Ticonii pro uero sensu Sacræ scripturæ.
Cap. X X I I.

Aug. ex Ti-
conio se-
ptem re-
gulas ad-
ducit.

VT facilius habeatur uerus Sacræ scripturæ literalis sensus, Sancti quædam regulas tradiderunt, & S. August. lib. 3. de Doct. christ. cap. 30. refert septem regulas ex quodam Ticonio, & easdem refert Nic. de Lira in prologo super Genesim, ex Isidoro de Summo bono, c. 20. quas dicunt esse necessarias, & ueluti clauēs, per quas intellectus scripturæ in multis aperitur, & nos illas adducemus aliasq; addemus. Prima est de Domino Iesu Christo, & eius corpore mystico, quod est Ecclesia, quia propter connexionem capitis ad corpus, Sacra scriptura sub uno contextu, quasi sub eadem persona, aliquando loquitur de utroque, de uno transiens ad aliud V. G. Esa. 61. *Induit me uestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatum monilibus suis.* quod hic dicitur, *quasi sponsum, &c.* intelligitur de Christo, & quod subditur, *quasi sponsam,* intelligitur de ipsa Ecclesia, Similiter, Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua uino.* Cum dicitur, *Osculetur me, &c.* est uerbum sponsæ. s. Ecclesiæ desiderantis frui amplexu spōsi, & quod subditur, *quia meliora sunt ubera tua uino.* est uerbum sponsi commendantis sponsam. Vnde in talibus sic connexis, ratione prædicta, debet prudens lector attendere, quid conueniat capiti, & quid corpori. Secunda regula est de Corpore Domini uero & simulato. Ecclesia enim est corpus Domini mysticum, & quasi sægna nondum tracta ad littus, & ideo habet malos permixtos cum bonis, usque ad iudicium, in quo isti ab illis separabuntur; & propterea in Scriptura aliquando mali commendantur, cum bonis quibus sunt permixti, Osee 11. *Puer Israel, & dileximus eum.* è conuerso aliquando boni vituperantur cum malis. Esa. 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Aliquando etiam in eodem contextu exprimitur, quid ad bonos, & quid ad malos, Sicut cant. 1. *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem, sicut tabernacula cedar, sicut pelles Salomonis.* Sunt uerba sponsæ, quæ ratione malorum in Ecclesia contentorum dicitur, *Nigra sum,* sed ratione bonorum subdit, *Sed formosa.* Et quod subditur quasi pro exemplo, *Sicut tabernacula cedar,* ad malos refertur, Cedar enim fuit filius Ismaelis, Gen. 25. à quo descenderunt

sara-

saraceni: Quod autem subditur, *sicut pelles Salomonis,* refertur ad bonos, per Salomonem enim hic intelligitur ipse Deus, secundum expositores catholicos, & hebræos, & ideo pelles eius dicuntur quibus operiebatur tabernaculum, in quo boni colebant Deum. Tertia, est de Spiritu, & litera. de sensu. s. literali, & mystico, de quibus sensibus satis locuti sumus in cap. præcedenti. Quarta est de Specie, & Genere, siue de parte ac toto, cum de uno transit ad aliud, & è conuerso; sicut Esa. 13. primo loquitur contra babylonem specialiter, cum dicitur, *Onus babylonis, &c.* & transit ad intelligendum uerbum de toto mundo generaliter, per hoc quod sumitur, *A summitate celi Dominus, & uasa furoris eius; ut disperdat omnem terram.* postea reuertitur ad loquendum contra babylonem specialiter, cum dicitur, *Ecce ego suscitabo super uos medos, & qui argentum non quarant,* quia Darius medus cum Cyro nepote suo cepit babyloniam, & interfecit Balthasar regem Babylonis, ut habetur, Dan. 5. Quinta regula est de temporibus, nam scriptura aliquando ponit unum tempus pro alio, quod contingit quinque modis, Primo, per Synedochem, quando ponitur pars temporis pro toto. Sicut in Euangelio dicitur Christus iacuisse tribus diebus in sepulchro, & tamen prima dies, & tertia non fuerunt integræ. 2. propter minutias temporis, quæ aliquando in scriptura computantur, & aliquando omittuntur, & ita Sacra scriptura loquens de aliquo numero annorum in pluribus locis, aliquando in uno loco ponit plures annos, minutias prædictas computando, in alio uero loco ponit pauciores, dictas minutias omitrendo. Tertio modo contingit ex eo, quod computatio annorum incipit in uno loco à priori termino, in alio à posteriori, sicut Gen. 5. dicitur fuit Abraham semen tuum futurum peregrinum quadringentis annis. & Exod. 12. de ista peregrinatione dicitur, quod mansio filiorum Israel in terra Aegypti fuit quadringentorum triginta annorum, quia computatio huius maioris numeri, incipit à tempore quo dictum fuit Abraham Gen. 12. Egrede de terra tua, &c. computatio autem minoris numeri incipit à natiuitate Isaac, qui fuit triginta annis post egressum Abraham de Aran. Quarto modo contingit, eo quod scriptura sacra loquitur de futuro per modum præteriti, sicut Esa. 9. *Paruulus natus est nobis, &c.* & hoc est ad denotandum certitudinem prophetiæ, cuius euentus de futuro est ita certus sicut si iam præterisset. & hoc propter certitudinem diuinæ præscientiæ, ex qua fit reuelatio ipsi Propheta. iste tamen modus loquendi nõ habet

locum

locum nisi in prophetia prædestinationis, siue absolute præannunciationis, quando aliquod futurum contingens reuelatur prophete, eo modo quo est in Dei præscientia, quæ infallibiliter futura prædicat sicut præsentia, & præterita. In prophetia uero comminationis non habet locum, quæ est quando aliqua pœna reuelatur prophete infligenda populo, uel alicui personæ, non secundum quod est in Dei præscientia, sed secundum ordinem causarum secundarum, secundum. s. hominum demerita, ut est prophetia Ione 3. *Adhuc quadraginta dies, & ninives subuertetur*, hanc enim subuersionem meruerunt peccata illius ciuitatis; sed quia talis causa est mutabilis, ideo effectus aliquando non sequitur, sicut in proposito. Quinto eo quod ponitur determinatum pro infinito. Psal. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, sgabellum pedum tuorum*, ubi donec accipitur pro semper, non enim quando inimici eius, erunt in die iudicij positi sub pedibus eius, desinet Christus federe ad dexteram Patris. Et Matt. 1. de Ioseph dicitur. *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*. Vbi donec significat nunquam illam cognouit, ut diffuse probat S. Hier. contra Heluidium. Sexta regula est de recapitulatione, & anticipatione, In Sacra enim scriptura non semper eodem ordine gesta, & facta scribuntur quo fiunt; & quando præponuntur posteriora, dicitur anticipatio, quando autem fit e conuerso, dicitur recapitulatio sicut Gen. 10. de filiis Noe dicitur, Ab his diuisa sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, & paulo inferius, Hi sunt filij Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, &c. & postea, cap. 11. dicitur, Erat autem terra labij unius, & sermorum eorundem, ex quo patet, quod illud, quod prædicatur de diuisione linguarum, dicitur per anticipationem. Similiter in Genesi, postquam Moyses in cap. 1. descripsit creationem cœli, & terræ, & distinctionem, & ornatum partium mundi, in ca. 2. per recapitulationem dicit. *Istæ sunt generationes cœli, & terræ in die quo creatæ sunt*. Et aliud etiam adducemus exemplum. Esa. cap. 38. Isaias primo promittit Ezechij sanitatem, & in confirmatione ei promittit signum in sole, postea dicitur, quod reuersus est sol 10. lineis per gradus quos descenderat. & quod Ezechias sanatus est, & ponitur illius oratio in gratiarum actionem, postquam dicitur, quod iussit Isaias, ut tollerent massam de ficis, & cathaplasma rent super uulnus, & sanaretur, Et ultimo ponitur, quod Ezechias petiit signum, quæ tamen certum est non fuisse gesta

uulnus

istò

isto ordine, nam ante promissionem signi, fuit illius petitio, ante sanitatem, fuit medicamentum, & postea gratiarum actio. Septima regula est de diabolo, & eius corpore, secundum enim, quod dicit S. Gregor. hom. 10. Certe iniquorum omnium, diabolus caput est, & huius capitis membra sunt omnes iniqui, & ideo propter connexionem capitis ad membra, scriptura loquens de uno, in eodem contextu transit ad loquendum de alio, sicut Esa. 14. loquens de rege Babylonis, qui erat diabolus membrum, transit ad loquendum de principe demonum, cum subditur ibidem. *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris?* & Ezech. 28. loquens de principe Tiri, transit ad loquendum de diabolo cum subditur, *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti*.

De aliis regulis, & in quo sit exercendum, & ostendendum acumen ingenii in sacrarum literalem expositione. Cap. XXIII.

Ræter has possumus etiam alias adducere regulas, & ^{aliæ regulæ.}
P Octaua sit de unitate diuinæ essentiæ, & personarum Trinitate, Ratione unitatis essentiæ, dicitur unus Deus; sed quia in identitate essentiæ sunt tres persone, sæpe scriptura ponit in Deo colloctionem, missionem, & alia quæ ad distinctionem, & pluralitatem pertinent, de quo superius ubi de Trinitate ex ueteri testamento. Nona est de Christo Deo & homine, nam ut Dei filius dicitur æqualis Patri, & Deus; ut homo dicitur minor Patre, quam regulam tradit, & multis scripturæ testimoniis explicat S. August. lib. primo de Trinitate, cap. 11. & 12. ob cuius ignorantiam Arius grauerè errauit, & Christum purum hominem esse dixit. Decima est de natura, & gratia, de gratia, & libero arbitrio. Cum enim natura humana fuerit in Adam corrupta, & uiribus naturæ non possumus aliquid facere, quod sit dignum uita æterna, nec etiam uitare omne peccatum mortale, quod possumus diuina gratia, qua in Christo uiuificamur; iuxta naturam dixit Apostol. Eph. 2. *Eramus natura filii iræ, & Christus Ioann. 15. Sine me nihil potestis facere.* & psal. 13. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* A ratione gratiæ sumus filii Dei, Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.* Rom. 8. *Sumus filii Dei, si autem filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Io. 15. *Qui manet in me,*

Vv & ego

Et ego in eo, hic fert fructum multum. Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Cum simus liberi arbitrii, & gratia nō illud tollat, sed sanet, & adiuuet, idem opus bonum tribuitur libero arbitrio, ut operanti, & cooperanti, gratiæ, ut mouēti, & adiuuanti; ratione liberi arbitrii Deus dicit nobis, Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.* Ezech. 18. *Conuertimini, & agite penitentiam, Ratione gratiæ nos dicimus Deo,* Hier. 31. *Conuerte me, & conuertar, postquam enim conuertisti me egi penitentiam.* Undecima, causa assignata, & imprecatio mali, aliquando nec causā, nec imprecationem significant, sed solam consecutionem. Io. 15. *Sed ut implicatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Io. 19. *Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur, os non comminutis ex eo.* Iudæi oderunt Christum, & milites non frangerunt eius crura, non tamen, hac de causa, ut adimplerentur scripturæ, quæ hæc prædixerunt, sed ex his, quæ fecerunt, consecuta est adimpletio prophetiarum. Psal. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ non inuocauerunt nomen tuum.* Vbi inquit S. August. ista prophetia est, non optatio; non maleuolentiæ uoto ista dicuntur, sed spiritu præuisa prædicuntur, sicut de Iuda traditore, quæ mala fuerat illi pro suis meritis euentura, ita prophetata sunt, quasi optata sint; quemadmodum enim Propheta nō imperat Christo, quamuis modo imperatio pronunciet, quod dicit, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna,* ita non optat, sed prophetat, qui dicit, *Effunde iram tuam, &c.*

Quod in scriptura nihil falsi reperitur.

Dictū aliter quam res se habeat, refert, ut dictum fuit, & non ut res se habeat.

Duodecima est, quando Sacra scriptura refert dictū alterius qui in suo dicto errauit, non debet referre, ut rei ueritas se habeat, sed ut ille dixit. Certū est, quod in Sacra scriptura nullum reperitur mendacium, sicut nec etiam aliquid, quod nō sit rectum, iustum, & sanctum; cum hoc tamen ipsa refert peccata, scelera, & blasphemias aliorum, quod non derogat illius puritati, & sanctitati, quia ista non sunt à scriptura. Eodem modo quando dicitur nihil falsi reperi in scriptura, intelligitur ut est à scriptura, seu sacro scriptore narratū; falsū autē in ea reperiretur si corrigendo dictum alterius, id referret, ut dictū illius, prout rei ueritas se habet, & non ut ille dixit. ob quā causam scriptura quando refert aliorum dicta, etiam Sāctorū, qui lapsu memoriæ uel non bene ab eis ueritate narrata, à ueritate deuiarūt, illa refert ut ipsi dixerunt; Ob cuius ignorātiā aliqui in expositione scripturæ maxime laborarunt, ut illam à mendacio defenderent,

cum

cum tamen ex eo summæ ueritatis argumentū colligere debuissent. Et ut ad exempla descendamus. Iud. 11. Iephte misit ad Regem filiorum Ammon, qui mouerat bellum contra filios Israel, pro recuperatione terræ ab eis ablata, ut ei diceretur filios Israel illā possedisse per trecentos annos. & tamē ut ex Sacra scriptura ibi deducit Nic. de Lira, illam non possederāt, nisi per annos ducentos sexaginta septem. 1. Mach. 8. Iudas de Romanis dicit, *Et committunt uni homini magistratum suum, per singulos annos dominari uniuersæ terræ suæ, & omnes obediunt uni,* Et tamen certū est ex eorum historiis, quod principatum non uni, sed duobus consulis committebant. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei, c. 15. respondet, unius tantum consulis mentionē fieri, quia in more apud Romanos positum erat, ut alternis diebus Consules, imperarent, & ita licet essent duo Consules, uni tamen commissa esse Respublica uidebatur, id quod institutū est ab ipso primo exortu consularis dignitatis, ne uidelicet (ut ait Linius, lib. 2.) si duo simul Consules impetrarent Regibus exactis, non remoras, sed duplicatus terror uideretur. Sed hoc sine ullo fundamento dicit, Conuenerunt quidem inter se duo primi Consules, ut uicissim alternis diebus secum ducerent lictores cum fascibus, ne uideretur duplicatus terror, ut quidam dicunt, sed simul tamē imperabant, & ob id duo facti sunt, ut si unus foret malus, alter eius maliciam coerceret. Quare facilius, & uerius respondeatur, quod scriptura, aut scriptor facer, non dicit Romanos commisisse magistratum suum uni homini, sed refert id fuisse dictum Iudæ Machabeo, & Iudæm sic audiuisse, qui autem illi narrauit modum gubernandi Romanorum, deceptus fuit forte ex hoc, quod tunc Consules non ducebant simul, sed alternis uicibus lictores cum fascibus; & non est mirum, quod Iudæi ita distantes non plene cognouerint modum regiminis Romanæ Reipublicæ. Act. 7. S. Stephanus dicit, quod Patriarchæ translari sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem. At Abraham emit sepulchrum in hebron, ab Ephron filium seor, quadringētis siclis argenti. Gen. 23. Iacob uero emit in Sichem partem agri in qua fixerat tabernacula à filiis Emor patris Sichem centum agnis, Gen. 33. Iacob sepultus fuit in sepulchro, quod emit Abraham ab Ephron. Gen. ult. Ioseph autē sepultus est in Sichem in parte agri, quæ emerat Iacob à filiis Emor patris Sichem, Iosue ult. de aliis uero Patriarchis ex scriptura non habetur ubi fuerint sepulti. Quare S. Stephanus uidetur defecisse in quatuor. 1. quia non

Exempla.

omnes Patriarcha sepulti sūt in sepulchro empto à filiis Emor, Iacob. n. nō sūt ibi sepultus. 2. quia ab Emor, nō Abrahā, sed Iacob emit sepulchrum. 3. sepulchrū emptū ab Emor, nō sūt emptū pretio argēti, sed centū agnis. 4. dicit Emor fuisse filiū Sichem, & Gen. 33. & Iosue ultimo dicitur Emor fuisse patrem Sichem. Lira, in horum concordantia maxime laborat, & dicit duas à Stephano narrari historias satis intricate; Beda, & Rabanus dicunt Stephanum duas narrationes coniunxisse, & non ram ordinem circumstantis historię, quam causam de qua agebatur intendisse, quibus uerbis (ut inquit Canus lib. 2. c. 16.) verecunde ac modeste significarunt Stephanū in lōga, & subita narratione, nonnulla cōfudisse, & miscuisse, & in quibusdā etiā quæ ad rem parū, aut nihil attinebant, memoria lapsū fuisse; nā causā de qua potissime agebatur, erat intentus: Lucas autem historię ueritatē retinere uolēs, ne iota quidē immutauit, sed rē ut à Stephano narrata erat exposuit. Et nos ab omni lapsu, non Stephanū, sed Euāgelistā uindicare debemus. Nec obstat, q̄ Stephanus erat plenus Spiritu sancto, qui loquebatur in eo, nā aliter locutus est Spiritus sanctus per scriptores sacros, & Apostolos, aliter per alios s̄ctos, & Ecclesię Doctores, imo, & per ipsā Ecclesiā, nā scriptoribus sacris, ita fuit assitens, & per eos locutus est, ut nec in minimo scribendo errare potuerint. Aliis autē S̄ctis, & Doctores, assitit more humano, & illos, ut homines errare permittit, quādo uel nō diligēter studēdo ueritatē inquirūt, uel extēpore loquūtur. Ecclesię etiā determinationibus in fallibiliter assitit, ut determinādo errare non possit; q̄ autē in aliis Sūmi Pōtīfices, & Cōcilia legitima errent, non est inconueniēs, ut diximus sup. De ipsis etiā Apostolis quando non scribebant Scripturam sacrā, nō uidetur ita certū, q̄ habuerint priuilegiū Sacrorū scriptorū, ut in nullo quāntūuis minimo potuerint errare, illud quidem habuerunt in doctrina, quam Ecclesię tradiderunt, siue fuerit scripta, siue traditione relicta. in his autem quæ parum, aut nihil pertinebant, non uidetur absurdum dicere, quod potuerint errare: ut de maiori, uel minori honore exhibendo Synagogę, quæ mortua, non fuit statim mortifera, sed erat cum honore sepelienda, & per aliquod tēpus erant permittenda legalia, cum. n. fuerint à Deo, non erant statim prohibenda, sicut sathanici idololatrię ritus. nam Paulus Gal. 2. dicit se de hoc repræhendisse Petrum, & in faciem ei restituisse quia repræhensibilis erat. non est igitur incōueniens si dicatur Stephanum ita fuisse plenum Spiritu sancto, qui per illius os lo-

que-

quebatur, ut in Concilio positus, falsis testibus accusatus, & coactus ex lōgo narrationis desumpto principio, statim uenire, antequam impediretur loqui, ad suum principale intentum, ut illis ostenderet, quod nec Moyse, nec Domino seruire unquā uoluerunt, sed semper Spiritui sancto resisterunt. quod fuerit lapsus memoria in his, quæ parum ad principale intentum faciebant. Et Spiritus sanctus suauiter disponens, ad nostram utilitatem permisit Sanctos, & Doctores Ecclesię, ut Aug. Hier. Tho. in aliquibus, ut homines errare, & ut non miremur si aliquādo Doctores sancti errarunt, aut ne propria affectione nimis eis tribuamus, quasi errare non potuerint, errare permisit ipsūmet Petrum Apostolum, & Stephanum, ut diximus, quod non derogat fidei, cum habeamus Sacram Scripturam, & Apostolicam Sedem, ueritatis, & fidei magistrā. Est autem hoc loco diligēter notandū ne ista regula amplietur ad dāna adū S̄ctorū facta, aut dicta, quę scriptura cōmemorat, & prima fronte uidentur mēdacia, & à Sacris Doctores, ut mystice, aut propheticę facta, uel dicta sine ullo mendacio interpretantur, ut est illud, Gen. 22. q̄ dixit Abrahā pueris suis expediate hic, ego, & puer postquā adorauerimus reuertemur ad uos. & illud Gen. 27. de Iacob quando dixit Patri se esse filium eius primogenitum Esau, & factum matris ne pater palpando eum agnosceret.

Decima tertia est, quod pro certissima regula teneatur Ecclesię intelligentia. Si hæc haberi non potest, exponatur, ut illā exponunt Sancti, & Theologi; quoad grauitatem autem peccati eorum, quæ Scriptura, & Sancti repræhēdunt, ut peccata, sequēda est interpretatio sūmistarū. & nihil temerē de proprio est affirmādū, quia nullibi periculosius erratur, & omnes hæreses ex mala sacrę scripturę interpretatione sunt ortę; ignorātia, & temeritas ad nouam interpretationē inducunt, & superbia in proprio errore confirmat. de sanctis Basilio, & Gregorio Nazianzeno legitur, q̄ Athenis in omni disciplinarū genere eruditi ad studia sacrarū literarū se cōuerterunt, in quibus simul se in cōuobio tredecim annos exercuerunt, illarū sententiam, non ex proprio ingenio, sed ex maiorum ratione, & auctoritate interpretantes. Cum autē proprium sanctorū studiū fuerit habere uerū sacrę scripturę sensum, ad uirtutes hortari, & uitia detestari, ut caueantur, non distinxerunt quando peccatum sit mortale, & quando ueniale, sed simpliciter, & absolute omnia detestari sunt, cum etiam uenialia sint cauenda, & maxima detestatione digna, & illa præcipue, quę facilius ad mortalia inducunt,

Vv 3 & quo-

Quod sancti, & doctores possunt errare.

Duplex
Theolo-
gorum stu-
dium.

Et quoad hoc Spiritus sanctus nobis Theologos dedit, quorū duplex est studium. Primum dogmata fidei explicare, & defendere, contra fidei hostes, Gentiles, Iudæos, & Hæreticos; quorū explicationem sumunt à Sâctis, & Sacris Ecclesiæ Doctores; sed quia fidei hostes, sicut ad propriam ipsorum damnationem Sacram scripturam perperam interpretantur, ita etiam, & Sanctorum dicta, propterea deus Diues in miserationibus Ecclesiæ suæ dedit Theologos, qui suis distinctionibus, catholicam ueritatem, & Sanctorum dicta explicant, & tuentur. Et hoc faciunt in suis quæstionibus, & controuersis; & sicut est periculosum studium sacræ scripturæ sine Sanctorum expositione, ita etiam periculosum est non intelligere Sanctorum dicta, iuxta interpretationem Theologorum. Alterum Theologorum studium est ad particulares conscientiarum casus descendere, & inter lepram, & lepram distinguere, & hoc faciunt in suis summis. Ob huius regulæ ignorantiam, audiui aliquos Concionatores in hoc grauiter errantes, qui omnes portantes uestes fericas etiam iuxta decentiam status sui, dixerunt peccare mortaliter, similiter, & omnes mulieres se ornantes, etiam in illis casibus in quibus Summistæ dicunt non esse peccatum, uel si est, esse solum ueniale. Unus etiam summus Concionator, qui concionando, à iuuenili, usq; ad decrepitam fere peruenit ætatem, in maxima auditorum frequentia, inter quos sui etiam ego, in concione dixit, quod uxores, & famuli, clanculo, etiam inuitis, & contradicentibus maritis, & dominis, possunt accipere de eorū bonis, & dare pauperibus in eleemosynam; si nihil aliud dixisset potuisset sane interpretari, sed adduxit omnes casus in quibus Summistæ dicunt uxores posse facere eleemosynam, & extra illos non posse, & dixit etiam extra illos casus absolutè, & simpliciter posse, & illas, & famulos, & ancillas; addidit [& dichino quello che si uogliano, le somme, sommerge, sommuccie, & sommaccie.] Et probauit factò Abigail 1. Reg. 25. quæ in scio Nabal eius uiro, oneravit asinos, & tulit panes, uinum, carnem, & huiusmodi, Dauid; sed non considerauit, quod propter circumstantias ibi descriptas ille casus est à Summistis comprehensus: probauit etiam, quia id Deus sepe confirmauit miraculis, nam horrea euacuata ab uxoribus, & famulis, miraculose impleuit, & cum aliqui famuli clanculo portarēt panem pauperibus, & domino petenti, dicerent se habere rosas, aut lapides, panis conuersus est in rosas, aut lapides prout ipsi dixerunt. Sed nos loquimur de illis quos scriptura, Lex, & Doctores, docent,

& non

Qualitas,
& graui-
tas pecca-
ti, & quid
in consci-
entia liceat
ex summi-
stis haberi
dum est.

& non de illis quos mouet, & cum quibus operatur Spiritus sanctus, qui nullis tenetur legibus, sed illius lex, est eius uoluntas, quæ semper est sanctissima, cum sit ipsamet essentia bonitatis: certum autem est, quod non omnia facta sanctorum sūt imitanda, nisi ab illis, qui eodem mouentur spiritu, qui ubi uult spirat, ut diximus 2. p. lib. 4. cap. 14. Illa autem uerba in contemptū summistarum, sunt scandalosa, & ille modus loquendi est hæreticorum. nam sicut uerus sensus scripturæ quoad dogmata habetur à Sanctis, ita etiam uerus illius sensus, quo ad particulares casus conscientiarum, habendus est à Summistis, ut diximus.

Decima quarta regula sit; Acumen ingenii in exponendis sacris scripturis, non exerceatur, nec ostendatur in nouitate expositionis, & doctrinæ, sed supposita communi expositione, in illius confirmatione, in contrariorum solutione, & in inuestiganda plenitudine doctrinæ per sufficientem diuisionem, sic. n. facto solidissimo communis sanctorum expositionis fundamento, nullum erit errandi periculum, & amplissimus offertur campus sine periculo, exercèdi ingenium, Et ut exemplum adducamus de inuestiganda plenitudine doctrinæ, quæ ex multis scripturæ locis colligitur, non enim omnia, quæ ad eandem doctrinam pertinent, Spiritus sâctus in eodem loco docet, ut sic exerceamur, & unum esse totius Sacræ scripturæ auctorem, Deum. s. ex hoc etiam cognoscamus. Psal. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum.* quem locum aliqui hæretici ita exponunt, ut peccata nobis uere non remittantur, sed eorum remissio sit, nobis non imputari, ita ut semper in nobis sint, sed tecta, & non imputata, & dicamur iusti, non iustitia nobis inhærente, sed quia Deus nobis suam iustitiam imputat. Veritas catholica est, quod peccata pœnitentibus, uere remittantur, de quo etiam est articulus fidei, & omnibus modis, quibus hæc ueritas significari potest, inuenitur in Sacra scriptura expressa. nam peccatum in se, consideratum habet tres inseparabiles proprietates, per quarum remotionem scriptura ostendit peccata uere deleri. Primo peccatum inhæret animæ, & quatenus inhæret dicitur, quod Deus illud longe facit à nobis. psal. 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras.* Mich. 7. *Deponet iniquitates nostras, & prouiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Sed quomodo illa Deus longe facit à nobis? tollendo. Ioa. 1. *Eccè agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* per quæ significatur peccata ita remitti, ut non remaneant. Cum peccatum inhæreat, cau-

In sacra
scriptura
inuestigā-
da, & col-
ligenda est
plenitudo
doctrinæ.

Quod pec-
cata uere
remittan-
tur omni-
bus modis
quibus
hoc osten-
di potest,
in scriptu-
ra ostendi-
tur.

sat in anima quosdam effectus positivos, & quosdā priuatiuos, & loquimur modo de formalibus illius effectibus, & nō de pœnis illis debitis, Effectus positivi sūt quatuor, Primus est offensa, & ratione offensa dicuntur peccata remitti. ps. 31. *Beati quorū remissa sunt iniquitates.* Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Secundus est macula, & ratione maculæ dicitur Deus lauare, & dealbare animam, psal. 50. *Lauabis me, & super nix dealbabor.* Isa. 1. *Lauamini, mundi estote, & c. Si fuerint peccata uestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Tertius est obstaculum separans a Deo, & impediens radios diuini luminis, sicut, & nubes aspectum, & radios solis, & huius respectu dicitur Deus resolvere peccata nostra, ut nubem, quæ resoluta non manet. Esa. 44. *Deleui, ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Quartus est uinculum retinens animam, ut sic ligata non possit in Deum tendere, & huius ratione dicitur peccatum conteri, & dirumpi. Hier. 30. *Conteram iugum de collo tuo, & uincula eius dirumpam.* Alii effectus peccati sunt priuatiui, & sunt tres, Primus, quia priuat iustitia, & facit peccatorē iniustū, & huius ratione dicitur Deus nos iustificare, & sanctificare, 1. Cor. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Io. 17. *Pater sanctifica illos in ueritate, sermo tuus ueritas.* quia Sanctificamur uerbo Dei, quod cum sit ueritas, uere efficit, quod significat. Secundus, priuat Dei amicitia, & efficit Dei inimicum, ob quam causam peccator dicitur resitui, & recipi in Dei amicitiam. Ioan. 15. *Iam non dicam uos seruos, sed amicos.* Tertius, priuat Dei filiationem, & facit peccatorem filium ire, & diaboli; ratione cuius peccator per remissionem peccatorum dicitur fieri Dei filius, nō nomine, sed uere, per adoptionem. 1. Io. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, & simus.* Hæc autem in nobis Deus sua gratia efficit, non ex parte, sed totaliter, ita ut peccatum a quo mundamur, & liberamur nullo modo remaneat in anima, cum gratia. 2. Cor. 6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ conuenticio Christi ad belial?* Dicuntur autem peccata reſta; non quasi sub regmēto maneant, cū uere sint deleta, & amplius non sint, sed quia aliqua etiā rationē remanent, quatenus remanēt, dicuntur tegi, & nō imputari; remanent primo, quoad obligationē satisfaciendi; & facta satisfactione, adhuc etiā remanet quoad memoriā, & ut sic remanēt infestant, & ad peccādum inclinant, ps. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* & propterea semper in hac uita debemus detestari peccata remissa, & pro illis

Quare dicantur reſta.

illis pœnitentiam agere, Eccl. 5. *De propiciato peccato noli esse sine metu.* ps. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* & quoad memoriā, non solum remanent in hac uita, sed etiam in alia; non tamen eadem ratione, nam in hac uita, eorum semper recordari debemus, ut illa detestemur, & pro illis pœnitentiam agamus. in alia uero semper erunt in memoria beatorum, non ad eorum confusionem, & pœnam, sed ad magnificandam Dei misericordiam, & ad perpetuas gratias agendum, iuxta illud ps. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Hanc plenitudinē doctrinæ Spiritus sãci, possumus etiã cõsiderare in expositionibus sanctorū, quæ cū sint diuersæ nos ignari unã eligimus, & alias facile impugnamus, cū potius cõsiderare deberemus Spiritum sanctū, qui sacris Doctoribus assistit, diuersis diuersa Sacramenta, diuersosq; Sacræ scripturæ sensus aperire, qui omnes ad eandē ueritatem illustrandam, ita pertinent, ut non a multis, sed ab uno Spiritu, qui in multis locutus est, eos traditos esse dubitari non possit. Exemplum sit de primo Charitatis præcepto. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus uiribus tuis.* quorum uerborum quatuor sunt præcipuæ expositiones, Prima est August. in serm. 1. Dom. quinquag. quod per *cor*, intelligatur intellectus, per *animam* uoluntas, per *mentem*, memoria. Secunda est Gregor. Niceni, quod per *cor*, intelligatur anima uegetabilis; per *animam*, anima sensitua; per *mentem*, intellectua. Tertia est Sancti Thomæ, 2. 2. q. 44. quod per *cor*, intelligatur uoluntas, per *mentem*, intellectus, per *animam*, uis appetitiua inferior, per *fortitudinem*, seu *uires*, uis executiua exterior. Quarta est eiusdem Sancti Thomæ. Opusc. 4. quod per *cor*, intelligatur intentio; per *animam*, uoluntas; per *mentem*, intellectus; per *fortitudinem*, conatus ad operandum, & perseuerandum; quæ ita sunt diuersæ, ut nullam uideantur habere inter se connexionem, & tamen omnes pertinent ad explicationem præcepti charitatis, diuersis rationibus; nam uis præcepti consistit in hoc, q̄ Deus super omnia diligatur, cū sit omnium rerū finis; qualiter autē diligendus sit super omnia, quadrupliciter potest exponi. 1. ratione cõformitatis amãtis ad amatū, nã amãs trãformatur in rem amatam, & hinc sumitur expositio S. Aug. 2. ratione quantitatis amoris, & ad hoc spectat expositio S. Greg. 3. ratione effectus amoris, quia amor otiosus esse non potest, & ad hoc pertinet prima expositio S. Th. 4. ratione perfectionis operis, & hinc sumi-

Plenitudo doctrinæ in diuersis etiã sanctorum expositionibus attendenda est.

De diuersis expositionibus primi præcepti charitatis.

sumitur secunda expositio. S. Tho. Nam in amore hæc quatuor considerantur, transformatio. s. amantis in rem amatam, quod ei essentialiter conuenit, quantitas amoris, eius effectus, qui est operari, & perfectio operis. quæ omnia eiusdem præcepti uerbis iuxta has quatuor expositiones significantur. Ut autem horum rationem reddamus, & primo expositionis. S. Aug. notandum est, quod homo est creatus ad imaginem, & similitudinē Dei, quæ imago est secundum animam; nam sicut in Deo est una essentia, & tres personæ, hoc ordine, quod ex Patre nascitur Filius, & ex Patre, & Filio procedit Spiritus sanctus, ita etiam est una anima, cuius sunt tres potentia, intellectus, uoluntas, & memoria, hoc ordine, quod ex intellectu est uoluntas, & ex intellectu, & uoluntate memoria, saltem, quoad illarum actus; hæc sanctissimæ Trinitatis imago, cum fuisset primi Adæ peccato deformata, uirtute secundi Adæ, est in nobis reparata, nam intellectus, uoluntas, & memoria per peccatum a Deo ualde auersa fuerunt, & per Charitatem, quam uirtute passionis Christi habemus, ad Deum conuertuntur, & hoc significatur cum dicitur ex toto corde, id est, intellectu; ex tota anima, id est, uoluntate; & ex tota mente, id est, memoria, ita ut tota ratio nostra sit Deo subiecta, & in eius contemplatione defixa, & uoluntas illum solum amet, & cætera propter illum, & ad omnem illius natum, sit conuersa; & memoria, intellectum, & uoluntatem, Deo semper unita retineat, adeo ut homo nihil unquam magis ex animo cupiat, quam Deum contemplari, & amare; & omnia eius mandata, quam perfectissime adimplere; hac ratione recuperamus imaginem Dei, quæ fuit in nobis obsoleta, & deformis efficitur; est enim Deus quodammodo forma animæ rationalis, quam ei ueluti quodam sigillo per charitatem imprimit. quæ Deo similes efficitur; nam intellectus contemplando Deum, efficitur quodammodo diuinus, intellectus enim intelligendo, ut dicit Philosophus efficitur res intellecta, & uoluntas amando Deum, transformatur quodammodo in ipsum Deum, nam hæc est proprietas amoris transformare amantem in rem amatam, & memoria dum obiectum intellectui, & uoluntati conseruat, & obicit, indissolubilem quodammodo unionem intellectus, & uoluntatis cum Deo efficit. Secundo dilectio Dei super omnia potest explicari ratione quantitatis amoris, quia illum magis diligere debemus, quam nos ipsos, nostra, & cætera omnia; imo omnia eius comparatione, continere, & ut stercora arbitrari debemus; quod sic ostenditur, in nobis enim sunt tres

pār-

partes, seu gradus nostri esse. s. uegetatiua, sensitua, & rationalis; & omnia quæ quærimus propter aliquam istarum quærimus, & cum omnia sint propter hominem, & ad hominem referantur, ratione harum potentiarum, seu graduum ipsius esse hominis, referuntur. Ut igitur Deum perfecte, & super omnia diligamus, debemus illum diligere magis, quam nos ipsos, & sic eum diligendo, magis diligemus, quam quæcumque alia, & hoc significatur cum dicitur, secundum expositionem Gregorii Niceni, Ex toto corde, id est, ex tota anima uegetatiua, ex tota anima, id est, ex tota anima sensitua, & ex tota mente, id est, ex tota anima rationali. Tertio ista Dei dilectio super omnia potest explicari ratione effectus amoris, qui est mouere, & operari, non enim potest esse ociosus, & hinc sumitur prima expositio. S. Tho. nam dilectio est actus uoluntatis, quæ hic significatur per cor, sicut enim cor est principium omnium motuum corporalium, ita etiam uoluntas, & maxime quantum ad intentionem ultimi finis, qui est obiectum charitatis, charitate informata est principium omnium motuum spiritualium. Tria autem sunt principia actuum, quæ mouentur à uoluntate. s. intellectus, qui significatur per mentem; uis appetitiua interior, quæ significatur per animam, & uis executiua exterior, quæ significatur per fortitudinem, seu uires. præcipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde, & quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente, & quod appetitus noster reguletur, secundum Deum, quod est ex tota anima, & quod exterior actus obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, seu ex totis uiribus diligere Deum. Quarto potest dilectionis perfectio explicari ratione perfectionis operis, sicut enim perfecte Deum amare debemus, ita etiam perfecte propter eum operari; ad perfectionem autem operis quatuor requiruntur. Primo, bona intentio. 2. quod opus sit bonum. 3. quod intellectus non erret. 4. quod fortiter, & perseveranter efficiatur. quæ omnia in hoc præcepto significantur, iuxta quartam expositionem. S. Tho. nam per cor, intelligitur intentio, quæ est tanta uirtutis, quod omnia opera ad se trahit, adeo ut omnia bona mala intentione facta, mala reddantur. Luc. II. Si oculus tuus, id est, intentio, nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit, propterea debemus Deum ex toto corde diligere, ita ut tota nostra intentio in omnibus nostris operationibus sit Deus, iuxta illud. I. cor. X. Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite. Sed non sufficit bona intentio, mala enim bona

bona intentione facta, non efficiuntur bona; non enim sunt facienda mala, ut ueniant bona, Rom. 3. propterea requiritur, quod opus sit bonum; tunc autem est bonum, quando uoluntas nostra conformatur uoluntati diuinæ, & id solum uult, & eligit, quod postulamus quotidie dicentes, *Fiat uoluntas tua*. & hoc significatur cum dicitur, ex tota anima, ubi per animam intelligitur uoluntas, sicut etiam, Heb. 10. *quod si subtraxerit se non placebit anima mea*. Et licet opus sit bonum, & intentio bona, adhuc requiritur ex parte intellectus, non solum quod non inuitamur prudentiæ nostræ, Prou. 3. & quod sit redactus in captiuitatem in obsequium Christi, 2. cor. 10. ita ut fideliter credat, sed etiam, quod sit purus, & mundus à malis cogitationibus, Isa. 1. *Aufer te malum cogitationum uestrarum*, & hoc significatur cum dicitur ex tota mente. Neque etiam hoc sufficit, sed adhuc requiritur, quod tota fortitudine, & totis uiribus, bonis operibus insistamus, & non sit delictum sicut, & gratia, sed hoc sit longe maior; si enim sunt aliqui adeo peruersi, qui ad maiorem eorum damnationem, fortitudinem suam ad peccandum conuertunt, & in hoc suam potentiam manifestant, contra quos dicitur, Isa. 5. *Ueb qui potentes estis ad bibendum uinum*; quanto magis, qui diuino lumine illustrati, & in numero filiorum Dei ascripti, & ad æternam hereditatem sunt uocati, toto corde ad Deum conuerti, totisque uiribus illi seruire debent? S. Aug. & Greg. nullam mentionem fecerant fortitudinis, seu uirium, sed solum. S. Thom. nec ob id censendi sunt diminuti, nam considerantur charitatem ea sola ratione, ut est amor Dei, & immediate respicit Deum, & non descenderunt ad eius effectum, qui est operari propter Deum, respectum cuius est fortitudo, quod fecit S. Thom. Imo etiam ipsa Sacra scriptura, cum in multis locis hoc præceptum reperat, rō ponit in omnibus locis, omnia prædicta uerba, nam Deut. 6. non ponitur ex tota mente, quod ponitur. Matt. 22. ubi omittitur ex tota fortitudine, hoc autem non fit quasi id sit superfluum, sed quia ex aliis intelligitur, & ad denotandum, quod tota perfectio Charitatis, quæ in illis omnibus consistit, in quolibet eorum reperitur, sed ad maiorem declarationem distinguuntur.

plenitudo doctrinæ accipienda etiam est ex diuersis rationibus à diuersis assignatis.

Hæc eadem plenitudo doctrinæ potest considerari in rationibus alicuius ueritatis catholicæ à uariis Doctoribus diuersimode assignatis, si omnes colligantur, & debito ordine disponantur, quod nos fecimus lib. primo, huius 3. p. c. 9. ubi explicuimus rationes necessitatis doctrinæ reuelatæ. & ibidem in cap. præcedenti habetur aliud exemplum, ex Sacra scriptura.

ostendente omni ex parte uanitatem deorum gentium. Ex quo sequitur unum maxime notandum, Sactorum, & Sacrorum Doctorum dicta non esse reprobanda, sed pie interpretanda, nisi euidentem contineant falsitatem, ut lane interpretari non possint, nam aliquando ubi primo aspectu uidetur errasse, ibi later occulta ueritas, quæ nos deduximus in c. 17. præced. lib. ex eo, quod dixit S. Aug. proprium Euangelii esse, quod sub eo existentes non puniuntur filii propter peccata parentum, quod uidetur falsum.

maxime notandū.

Quod ex Theologia habeatur uera philosophia; & qua ratione in opinionum diuersitate, facile possit haberi ueritas. Cap. XXIII.

Proest etiam acumen ingenii, in exponendis sacris literis, & mysteriis fidei, exerceri, & ostendi, uocando ancillas ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, Prou. 9. id est adducendo rationes philosophicas, & philosophi dicta, ad maiorem explicationem, & confirmationem, maxime contra infideles; quod nos sæpe fecimus, & dum in hoc me exercui, ueram sæpe didici philosophiam, non enim uera philosophia est illa, quam tradit Aristoteles, sed quam ratio naturalis docet, quam sæpe Arist. non est assequutus, & certius ex Theologia habetur, quæ ex Aristotelica doctrina; illa enim philosophica sententia, quæ est conformior mysteriis fidei, & qua fidei mysteria faciliora redduntur, proculdubio est uera, Et sicut philosophia est maxime utilis, imo necessaria theologiæ, ita etiam est causa multorum in theologia errorum, si falsa principia, falsæque in philosophia habeantur opiniones, & eis de mysteriis fidei iudicare uelimus. Non erit autem inutile, si post regulas interpretandi Sacram scripturam, aliquas etiam subiuerimus regulas, quibus Philosophia non sit nobis in Theologia errandi occasio, & Philosophia, & Theologia inuicem illustrentur, & in sententiarum diuersitate, ueritas facile inueniatur. Prima regula maxime obseruanda, quæ ego iam factus Theologorum minimus, seruari, & seruo, & utilissimam sæpe inueni, est ista. Cū de philosophica quæstione tractatur, non solum considerandum est, quid alii tenuerint, etiã ipse Arist. etiã propriæ scholæ magister, sed antequam aliqua eligatur sententia, conuertendi sunt metis oculi, ad absolutam Dei potentiam, & ad mysteria fidei, & illa est eligenda sententia, quæ est Theologiæ conformior; quæ postea rationi etiã conformior inuenietur, & uera. Et ut aliquod exemplum adducam, magna est in philosophia quæstio,

Prima regula.

inter

inter Thomistas, & Scotistas, de materia prima, an sit simpliciter pura potentia, & nullum propriū habeat actum, an uero habeat proprium actum existentie, & sit in potentia ad quemlibet actū completum, seu specificum; Thomistæ, primum, Scotistæ, secundum tenent. Qui dicunt illam nullum ex se habere actum, dicunt consequenter materiam primam per absolutam Dei potentiam non posse per se existere sine forma, quia implicat; Alii dicunt nullam esse implicationem, quia habet proprium actum existentie. Hinc ego modo, ut Theologus certius sumo philosophandi principium, Nihil est negandum absolutæ Dei omnipotentia, nisi quod euentissimam continet implicationem, quia id non est factibile, nec intelligibile; at materiam primam intelligere cum proprio actu existentie, nulla est implicatio; & si creditur, quod non habeat proprium actum, non est, quia implicet & repugnet illam cum eo intelligere, sed propter dictum Aristotelis, quod interpretationem patitur, & propter quasdam rationes facile solubiles; ex quo concludo, etiam si Aristoteles id millies dixisset, Deus sua omnipotentia facere posset, quod materia omni denudata forma, per se existat, non enim Dei omnipotentia arctanda est dicto Aristotelis, aut propria sententia; Hoc solidissimo iacto fundamento, moueor ad confirmationem illius, quam elegi sententia, & inuenio potius implicare, etiam secundum Arist. materiam primam sine proprio actu existentie intelligere; quia considerata secundum se, & per intellectum ab omni forma abstracta. 1. est extra nihil. 2. est substantia, & Arist. in multis locis diuidit substantiam in materiam, formam & compositum. 3. est subiectum mutationum substantialium. 4. habet reales actus, nam realiter informatur. 5. est inchoatum principium entis. 6. est pars intrinseca componens compositum substantiale. 7. est causa. 8. in omni mutatione substantiali perseverat eadem numero sub utroque extremo. 9. est ingenerabilis, & incorruptibilis; quæ omnia ei per se conueniunt etiam secundum Arist. ut intelligitur mente abstracta denudata, & separata à quacumque forma. Præterea. 10. materia, tamquam subiectum, est prior ordine generationis, quam forma, id autem, quod est prius, non potest existere beneficio eius, quod est posterius ipso. 11. secundum naturam prius est materiam esse, quam ut recipiat formas, & prius est formam recipi in materia, & cum ea uniri, quam ut forma possit ei aliquam existentiam impartiri. 12. cum potentia non possit esse per se, nisi sit alicuius, quod sit in potentia, potentia materiae præsupponet in ipsa

ipsa actum, sed hæc potentia ad formam non est à forma, ergo nec actualis existentia in qua fundatur ista potentia; Et sicut, licet detur purum bonum, non tamen ob id datur purum malum, quia omne malum fundatur in bono, ita licet detur purus actus, non ob id potest dari pura potentia, quia omnis potentia fundatur in actu. 13. materia prima habet diuersam productionem à formis, nam formæ producuntur per generationem ab agente naturali, materia uero per creationem immediate à Deo procedit. 14. si materia acciperet suam existentiam à formis, oporteret eam propter uariam formarum generationem, & corruptionem, infinities corrumpi, & generari, tunc enim res corrumpitur, cum suam existentiam amittit. Vnde ipsemet S. Th. qui aliquando contrarium tenuit. de Ver. q. 3. ar. 5 ad 3. asserit materiam primam posse per se considerari sine forma, & sic consideratam habere in Deo per se similitudinem.

Et ut in eodem ferè exemplo persistamus, dubitatur etiam in philosophia an materia prima habeat quantitatem sibi coeuan ingenerabilem, & incorruptibilem; Et an in rerum corruptione fiat resolutio usque in materiam primam, adeo quod nullum prorsus accidens corrupti remaneat in genito, nec etiam ipsa quantitas, sed omnia corrumpantur ad corruptionem compositi, & quæ uidentur eadem, non sint illa eadem, sed similia in eodem instanti corruptionis producta. Qui dicunt materiam primam non habere proprium actum existentie, consequenter dicunt quantitatis, & omnium accidentium immediatum subiectum, esse compositum substantiale, & eo corrupto corrumpi eius quantitatem, & omnia alia accidentia, adeo quod resolutio fiat, usque ad materiam primam. Sed antequam in his duabus questionibus me determinem, iuxta prædictam regulam, Theologiam consulo, an in ea possit esse aliquis illarum locus, & inuenio illas applicandas esse corpori Christi mortuo, de quo dicendum est, quod fuit illud idem, quod uixit, non solum ratione identitatis suppositi, sed etiam ratione identitatis accidentium, quia remanserunt eadem prorsus numero, dimensiones, eadem cicatrices, alia multa accidentia, eadem prorsus numero membra materialiter, adeo quod in separatione animæ à corpore, & uera Christi morte, non fuit facta corruptio omnium accidentium, & resolutio usque ad materiam primam, cum similibus productione: Et quod sunt etiam applicandæ Sanctorum reliquiis, eorum. scilicet corporibus, membris, & ossibus, quæ summa ueneratione in Ecclesia seruantur, & adorantur, tanquam illa eadem

eadem materialiter numero, quæ erant dum uiuerent, & non similia, sed illa ipsa. Cum autem non sint multiplicanda miracula sine necessitate, & hoc facile possit secundum naturalem rationem defendi, non dico in Christi, & Sactorum corporibus miraculose eadem membra, & accidentia remansisse, sed generaliter loquens, illas philosophicas sententias eligo, quæ docent quantitatem esse coeuiam materiæ, & in rerum corruptione non fieri resolutionem, usque in materiam primam: & fixo in eis pede, hoc mysterium fidei lumine illustratus, illas postea, & naturali rationi, & Aristotelicæ etiam doctrinæ conformiores, imo ueras inuenio. Arist. enim in multis locis asserit quantitatem se tenere ex parte materiæ, & esse propriam illius affectionem. 2. phys. inquit infinitatem quantitatis provenire ex materia, eius autem determinationem à forma. 4. phys. ipsam materiam appellat indefinitum, & interuallum, & 7. Meta. tex. 8. expresse innuit quantitatem non composito, sed materiæ primo inesse, tanquam in proprio subiecto, quod etiam ibidem S. Th. textum illum exponens, fatetur. 2. de Gen. & cor. tex. 6. loquens Arist. de primis corporibus, quæ sunt aliorum corporum principia. s. de elementis, inquit elementorum principium esse materiam, & in materia esse qualitates contrarias, & post has tertio loco esse ipsa elementa. 1. de Gen. & cor. tex. 24. & 2. de Gen. tex. 25. docet Arist. accidentia, quæ sunt communia generato, & corrupto, manere in utroque. Sed ut cognoscamus, quod etiã rationes naturales sunt pro sententiis mysteriis fidei conformioribus, quia uerum non contrariatur uero, rationibus agamus, & primo de quantitate. 1. materia prima in se considerata, abstracta à quacunque forma, est substantia, & habet propriam existentiam, ut probauimus, ergo debet habere proprias passiones inseparabiles ab eius essentia fluentes, sicut, & quilibet substantia, quæ sunt quantitas, & potentia. 2. materia sic in se considerata. 1. subiicitur agenti naturali, quod ut quantum non potest agere nisi in quantum; nec ualet si dicatur, quod agit in compositum, quia hoc est per accidens, cum materia non sit sine forma substantiali, nam subiectum per se, est materia, & forma educitur de potentia materiæ, forma uero præexistens potius impedit, & resistit. 2. ex natura sua, est subiectum omnium formarum, & plures simul in eadem parte recipere non potest, ergo ex se debet habere partes, quas non habet nisi ratione quantitatis; nec ualet si dicatur, quod est diuisa per diuisiones præcedentium compositorum, nam considerata ab-

stra-

abstracta à quacunque forma, est subiectum omnium formarum. 3. respectu etiam cuiuslibet formæ substantialis, quatenus ex natura sua est illius subiectum, debet ex se habere quantitatem, sine qua non potest esse illius subiectum, cum non possit recipi nisi in materia quanta, tum ratione sui, tum ratione suarum operationum, quæ etiam in diuersis partibus exercentur; conditio autem subiecti se tenet ex parte subiecti, & non ex parte formæ. 5. forma non dat materiæ, ut sit materia, & subiectum, sed illam esse subiectum præsupponit, ergo præsupponit etiam id sine quo non potest esse subiectum formæ, quod est quantitas. 6. qualitates primæ inherunt materiæ primæ, & præcedunt formas substantiales, & alteratio quæ fit secundum eas, fit in materia prima tanquam in proximo, & immediato subiecto, quod alteratur, & disponitur ad formam substantialem, ut citauimus ex Arist. 2. de Gen. & cor. tex. 6. & probatur ratione, nam quando aqua calefit, calor non potest educi de potentia aquæ, cum ei contrarietur, & ad eius corruptionem tendat; at istæ qualitates præsupponunt quantitatem tanquam subiectum quo. 7. si quantitas non est propria passio materiæ, illi coeua, sed materia, secundum se est indiuisibilis, & quantitas ei à forma tribuitur, quæ secundum se est indiuisibilis, diuisibile reciperetur in indiuisibili, ut in subiecto, & indiuisibile produceret diuisibile. 8. forma substantialis ex se est indiuisibilis, & fit quanta, & diuisibilis ratione subiecti in quo recipitur, quod est materia, ut est apud philosophos notissimum; si autem forma tribueret quantitatem materiæ, non esset diuisibilis propter materiam, sed è contra, materia esset diuisibilis propter formam; quia ei quantitas à forma tribueretur, & quantitas se potius teneret ex parte formæ, quia illam secum fert. 9. si quantitas non est immediate in materia, sed in toto composito, scilicet, in materia, & forma, ergo quantitas hominis erit in materia, & in anima rationali, tanquam in subiecto; ergo anima rationalis necessario erit quanta, & diuisibilis, quod est falsissimum; & consequentia patet, quia licet anima rationalis non quanta, & indiuisibilis, possit esse in subiecto quanto, quia nec in se, nec in fieri, nec in esse, nec in operari dependet à tali subiecto, nullo tamen modo fieri potest, ut in ea subiectiue sit quantitas, & ipsa non sit quanta, sicut non potest fieri, quod in aliquo sit albedo, & ipsum non sit album; effectus enim formalis non potest separari à sua forma.

Quod autem etiã illa philosophica sententia, mysteriis fidei con-

Xx tor-

formior, quod. s. in rerum corruptione non fiat resolutio, vsque ad materiam primam, sit rationi naturali conformior, & uera, probatur; Et quod saltem remaneat quantitas, sequitur ex præcedenti sententia, satis probata; quod autem præter quantitatem remaneant etiam aliqua qualitates, probatur primo, quia qualitates, quæ sunt dispositiones formæ introducendæ, inhæret primo, & immediatè ipsi materiæ, & non composito, ut probauimus ex Arist. & ratione. 2. dispositiones introducuntur ab agente, non solùm, ut corrumpatur compositum, & forma in materia existens, sed etiã, ut tanquam dispositiones attingant introductionem formæ; si autem corrumpentur ad corruptionem compositi, quomodo possent producere formam? 3. ad quid introducuntur tot dispositiones in materia, si illæ omnes adueniente forma corrumpuntur, & forma secum nouas dispositiones affert? & quomodo potest intelligi, quod dispositiones illæ tanto tempore elaboratæ, penitus corrumpantur adueniente forma, cuius sunt dispositiones, & quod in instanti, similes producantur? & sumantur dispositiones ad formam animalis, ante quam formantur tot organa, & tot membra, & unum quodque habet suam propriam temperiem; quomodo potest intelligi, quod in instanti introductionis animæ, corrumpantur omnia organa, & membra, & omnes eorum temperies, vsque ad materiam primam, & in eodem instanti iterum formetur ab anima sicut prius erant? cum natura nihil agat frustra, si illa membra non debebant perseuerare cum anima, ad quid fuerunt formata? 4. probatur ex simplicium, herbarum, & lapidum mixtionibus, in quibus eorum formæ non manent, & tamen remanent earum uirtutes, & qualitates inducentes eosdem effectus; Si dicant corrumpi, & produci similes, peto à quo producantur, nullum. n. apparet agens. 5. quando V. G. moritur Petrus, in eius caduere apparent eadem quantitas, eadem figura, eadem nigredo, eadem cicatrices, eadem signa, quæ uiuens habebat, adeo quod, qui ignorant illum esse mortuum, ex sola inspectione cognoscunt illud esse cadaver petri. Sed dicunt sensum decipi, & non esse eadem, sed similia producta. Certe superfluum est argumentari contra hanc sententiã; dicunt quod quando generatur animal, omnia membra formata pro infusione, seu educatione animæ de potentia materiæ in instanti animationis corrumpuntur cum omnibus qualitatibus præinductis, ut nihil remaneat nisi nuda materia, & similia in eodem instanti producuntur. Et quando moritur animal, ut Petrus, in instanti separationis animæ totum corpus resoluitur in materiam primam, & nihil illius

rema-

remanet, nec membra, nec quantitas, nec aliquod accidens, sed in eodem instanti similia producuntur: hanc sententiã explicuisse, satis cofutasse est; ego certe illam non intelligo, sed sicut probauimus dispositiones remanere, probemus etiã accidentia corrupti, membra, figuram, signa, & alia accidentia cadaveris petri, non similia, sed illa eadè esse, quæ Petrus uiuens, habebat. primo, sicut ratio corrigit sensum circa sensibilia comunia, & etiam circa propria, quando est læsa potentia, uel illa non percipit indebita approximatione; ita etiam sensus corrigit rationem, quando aliquid indicat, quod sit contra experienciã sensuum; nam nostra cognitio, ut sæpe inquit Arist. ortum habet à sensibus; & natura ex sensibilibus insensibilia, & occulta nobis manifestat; & ubi sensus, & ratio discrepant, dicendum est rationem errare, & standum est iudicio sensuum, ut docet Arist. lib. 3. de Gen. Anim. c. 10. ubi dicit, Habemus, quod si quando satis cognita habebuntur, tunc sensui magis erit, quam rationi credendum; rationi etiam fides adhibenda est, si quæ demonstrantur, conueniant cum iis, quæ sensu percipiuntur rebus. Et Themist. in 8. Phys. tex. 22. inquit rationem querere ubi sensus fidem facit, ridiculum est. Sed sensus iudicat esse eadem, & hoc, indebita approximatione existens & per debitum medium, & non habens læsam potentiã. 2. mutatio naturalis accidentium sensibilibum, debet esse sensibilis, quomodo ergo fit corruptio tot sensibilibum accidentium, & similibum generatio in instanti separationis animæ, si à potètia indebita approximatione existente nullomodo percipiuntur? 3. membra cadaveris habent esse quoddam naturale, quod multas, & varias dispositiones requirit; Sed est impossibile, quod natura in instanti, tot, & tantas dispositiones inducat ad efficiendum tot, & tam varia membra; nam istæ dispositiones sunt secundum qualitates contrarias & consequenter fiunt per motum, & non sunt instantaneæ. Nec ualet, quod dicunt Herueus, & Capreolus, quod natura posuit tantum temporis ad generandum animal, & ad inducendam tantam quantitatem, quia animal generatur ex multo minori materia, & ad perfectam quantitatem perducitur per multas additiones, & alterationes alimenti, at cadaver generatur ex tanta materia quanta erat in animali, & etiã quia imperfecta citius generatur, quam perfecta. Nam ex hoc, quod cadaver fit ex tota materia, solùm sequitur, quod sine additione poterit fieri cadaver ita magnum; sed cum nihil Petri remanserit nisi pura, & nuda materia, & membra cadaveris sint mixta, & multas dispositiones secundum contrarias qualitates requirant, ista membra non potuerunt in instan-

Xx 2 tiex

ti ex pura materia formari. 3. Si illa membra in morte Petri fuerunt resoluta, usq; in materiam primam, ad quid fuerunt statim similia de nouo producta? ad quid forma cadaveris illa exigit, ut illis corruptis alia similia propter eam efficiantur? nam illa membra materialiter sumpta, sunt membra operationum vitalium, at in cadauere nullam habent operationem, nullum habent usum, Deus autem, & natura nihil agunt frustra.

Sed cōsideremus rationes, seu modos quibus afferunt hæc similia accidentia de nouo produci. Capreolus 2. s. d. 15. q. 1. dicit, quod anima determinat cadauer ad illa, non effectiue, sed ordinabiliter, quia tali formæ nata est succedere talis forma cadaveris immediate, & accidentia etiam præcedentia determinant ordinabiliter. At si Petro ex alto cadens confringantur omnia membra, uel comburatur, certe non reintegrantur membra, ergo nec anima requirit, quod ei succedat forma cum similibus membris, nec forma succedens illa requirit. Caiet. de ente, & essent. c. vlt. q. 17. dicit, quod illa figura, illa mēbra, ille color, & illæ cicatrices, non producuntur ab aliquo agente, sed cōsequuntur in cadauere ex necessitate materiæ, quia agens naturale non potest tam cito dispositiones per tot transmutationes radicas totaliter corrumpere, & ideo similes dispositiones sequuntur, sed quia nō sunt facientes pro forma geniti, ad corruptionē properatur. Sed si illa uiuentis mēbra, & accidentia, totaliter corrumpuntur, & fit resolutio usq; in materiā primā, ut quid propter eorū radicationē necesse est similia de nouo produci? 2. ista horū membrorū, & accidentium radicatio, si aliquid operatur, hoc solū operatur, ut corrupto cōposito nō statim corrumpantur omnia eius accidentia, & non ut illis corruptis, statim similia producātur. 3. secūdū ipsos subiectū inhæSIONIS omnium accidentium est cōpositū, ergo accidentiū radicatio est in cōposito, ergo ad corruptionē cōpositi, corrumpitur accidens, & eius radicatio, & per consequens propter eius radicationem nō poterit produci simile. Si dicat istam radicationem esse in materia, & propterea produci similia accidentia, sibi contradicere; nam ista radicatio, uel est aliquid, uel nihil, si nihil propter eam nihil potest produci, uel cōsequi, si aliquid, ergo aliquid corrupti remanet in genito præter materiā primā, ipsa. s. accidentium radicatio, & tamen dicit nihil prorsus remanere. 4. maior est radicatio in materia formæ, quam accidentium, nā secūdū ipsū omnium accidentiū inhæsiuū subiectū est cōpositū, forma autē substantialis immediate inhæret materiæ, ergo si ratione radica-

ratio.

tionis debet statim produci accidens simile accidenti corrupto; multo magis debet produci esse substantiale simile præcedenti corrupto, ut sicut accidentia, quæ uidentur eadē numero, non sunt eadē; ita animal in infirmitate, quæ uidetur idē, nō sit idem, sed corrumpatur, & simile insensibiliter generetur. 5. si propter tantam radicationem similia accidentia in cadauere produciuntur, ergo accidentia facile delebilia, ut characteres facti atramento, ita corrumpuntur, ut similia in cadauere non possint produci, cum nullam ferē habeant radicationem, & tamen apparent in cadauere. Sed nolo multiplicare argumenta, cum solum adducere, quæ ipsi concedunt, & dicunt, sit efficacissima eorum cōfutatō; quæ partim sequuntur ex illo primo fundamento, quod materia prima nō habet proprium actū existētiæ, partim sunt aduēntia, & absurdioribus, soluitur quæ sequuntur absurda. Si autē Theologia, & fidei dogmatibus ista applicentur, nisi magis adhuc errare, & maioribus ignorantia tenebris obuolui uelimus, illas quas impugnauimus philosophicas sententias, ut falsas reicere debemus, & dicere, quod Deus per absolutam potentiam, potest facere, quod materia prima, per se sine ulla forma substantiali existat; quod Corpus Christi mortuum, & omnia eius mēbra, dimensiones, & cicatrices, fuerūt illa prorsus eadē materialiter numero, quæ fuerunt informata eius anima rationali; & quæ etiā corpora, mēbra, & ossa Sāctorū, quæ ut sacra eorū reliquiæ cōseruantur, uenerantur, & adorantur, sūt illa prorsus eadem numero materialiter, quæ habuerunt cum uiuerent; nam separata anima, remanet quantitas, & remanent etiam multa alia accidentia, quæ se tenent ex parte materiæ.

Sed ut alias regulas addamus, simulq; ostendamus quantum referat ueram philosophicam tenere sententiam; & quod falsa multas, & magnas etiā in Theologia, affert difficultates, si Theologie lumine nō corrigatur; & quā facile Theologico præfertim lumine detegantur philosophici errores, & uera philosophia reuocetur in eisdem persistentes sententiis ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum transeamus; de quo certum est, quod sacratissimum Christi Corpus tandiu remanet sub illis speciebus uel sacramenti, quandiu remanent propria panis, seu uini accidentia, quandiu autem hæc remaneant, nō ex quantitate, quæ est accidēs cōmune, & sepe perseverās, tāquā ingenerabilis, & incorruptibilis, sed ex propriis qualitatibus accipiendū est; ex quantitate uero tunc solū accipi potest, nō ratione ipsius quantitatis, sed ratione propriæ radicationis, quæ fit diuino in minima

ita ut diuidatur minimum naturale, quo diuiso, corrumpitur propria qualitates, & corrüperetur formâ substantialis, si adesset. Vnde S.Th. cum 3. p. q. 76. ar. 8. in miraculosis speciebus carnis, totum iudicium reduxisset ad dimensiones, & dixisset, quod remanentibus dimensionibus, quæ sunt fundamenta aliorum accidentium, remanet uere Corpus Christi, in quæst. sequ. ar. 4. id corrigit, & vult ex solis propriis qualitatibus hoc esse sumendum; ex quantitate uero, quatenus diuiditur minimum naturale, dicens, siue etiam ratione quantitatis, puta si puluerizetur panis, uel uinum in tam minutas partes diuidatur, ut iam non remaneat species panis, aut uini. Quando autem ex propriis qualitatibus panis, seu uini, nullum potest fieri iudicium, ut in miraculosis speciebus carnis, uel sanguinis, factis ex speciebus panis, uel uini; si species illæ miraculose sunt transeuntes, & iterum paulo post apparent species panis, sub illis perseverat Corpus Christi uel Sacramenti; ratione. scilicet. priorum accidentium panis, seu uini, quæ illis miraculosis speciebus fuerunt velata. Si autem illæ species miraculose sunt permanentes, ut in diuersis locis reperiuntur, & seruantur multæ, factæ etiam ante ducentos, & quingentos annos, & amplius; quando sub illis sacratissimum Christi Corpus perseverare dignatur, quomodo sub illis remaneat, duæ sunt sententiæ. Prima Aegidii propositione 23. & 24. & aliorum, quod miraculose remanet, ex diuina dispensatione. Secunda Thomistarum ex d. ar. 8. q. 76. quod remanet uel Sacramenti, remanentibus eisdem dimensionibus, nam illis remanentibus, sub illis miraculosis speciebus latenter remanet propria panis, seu uini accidentia. Ex his duabus sententiis, sequenda est prima, tum quia communior, tum quia posterior fundatur in prædictis falsis philosophicis sententiis, de pura potentia materiæ, de corruptione quantitatis, & de resolutione, usque in materiam primam. Quod autem sit præeligenda prior sententia, probatur etiam ex alia quam deducemus regula, pro explicatione diuinorum mysteriorum; nam Deus aliquando Sacrum mysterium, seu miraculosum effectum nobis ostendit, rationes autem, causam, & modum, nobis ad exercitium contemplanda, & explicanda relinquit. Et regula tunc obseruanda est, ut non multiplicentur miracula, sine necessitate, sed quæ causam naturali tribui possunt, diuinæ prouidentia, & uirtuti, per causam naturalem operanti, & non miraculo tribuantur; & quæ uni miraculo tribui possunt, non tribuantur duobus. Cuius regulæ ratio est, quia Deus suauiter operatur, attingens à fine, usque ad finem fortiter

Secunda
regula.

riter, & disponens omnia suauiter. Et sicut non deficit in necessariis, ita etiam non abundat in superfluis. Et dum non seruetur hæc regula, dupliciter contingit errare, nam aliqui, ut difficultates fugiant, facile omnia tribuunt miraculo; alii è contra dum nolunt ascribere miraculo, id quod est uere miraculum, naturam peruertunt; & destruunt. Vt in exemplo proposito, nam qui dicunt sub miraculosis speciebus permanentibus remanere Corpus Christi uel Sacramenti, per hoc, quod remanentibus eisdem dimensionibus, sub illis remanent propria panis, seu uini accidentia, ideo dicunt, ne præter euidens miraculum specierum carnis, asserant aliud miraculum, quod. scilicet. miraculose, & diuina dispensatione, sub illis perseveret Corpus Christi, sed uel Sacramenti. At dum sic nolunt admittere hoc nouum miraculum, ne multiplicent miracula, ipsi illa multiplicant, & in Theologia, & in Philosophia ad multa inconuenientia deducuntur, nam quod per tot annos perseverent propria panis accidentia, est maximum miraculum; quod possimus cognoscere an illæ dimensiones, sint illæ eadem, quæ ante ducentos, & quingentos annos fuerunt panis; dato, quod quantitas sit corruptibilis, est nobis naturaliter impossibile; quod ex dimensionibus, quæ sunt accidentia communia, possint colligi accidentia propria alicuius substantiæ, latentia sub manifestis speciebus, & proprietatibus alterius incompatibilis substantiæ, contra omnem sensuum experientiam, & iudicium, est philosophiæ repugnans; quod quantitas corrumpatur ad corruptionem compositi, non est in philosophia certum, sed opinio, & ut ostendimus falsa; sed fati est, quod sit opinio, ad hoc, quod non possit adduci pro certa ratione diuinorum mysteriorum; Dicere etiam, quod perseveret uel Sacramenti ratione priorum accidentium panis, est in Theologia parum consonans, nam cum Sacramentum sit in genere signi, mutaretur materia Sacramenti, propria enim panis accidentia sub permanentibus speciebus carnis, cum sint nobis penitus imperceptibilia, non poterunt esse nobis signum, sicut erant, & sunt quando apparent sub propria specie. Concludamus igitur, quod ex his duabus sententiis uerior est illa, quæ dicit Corpus Christi remanere non ratione specierum panis, sed miraculose ex dispensatione diuina, cum omnes tollat difficultates, quæ non solum est Aegidii, sed etiam aliorum, & communior, quatenus miraculo tribuunt, imo est consona doctrinæ S. Tho. d. art. 4. q. 77. ubi corrigit id, quod dixit in art. 8. q. præcedentis de dimensionibus, ut diximus.

Tertia regula.

Quarta regula.

pro Theologicis sententiis.

Ex quibus alia etiam deducitur regula ad cognoscendum, quæ sententia sit uerior, & tenenda, ubi est opinionum diuersitas; Nam sicut dicit Arist. 4. phys. text. 7. de definitione; quod debet habere tres proprietates, prima, ut proposita dubia soluantur, & ueritas passionis, & proprietates non auferantur, sed per eam competere uideantur. 3. ut causa difficultatis, & dubiorum, ita aperiarit, ut clara omnia relinquatur. Ita etiam proportionaliter dicendum est de uera pro alicuius difficultatis solutione, sententia; quæ est illa per quam propositum dubium ita soluitur, ut rei proprietates non auferantur, sed per eam confirmetur, difficultates emergentes tollantur, & omnia clara relinquuntur. Quod autem istas proprietates habeat, alia cognoscitur regula, resoluendo. s. & componendo; resoluendo si ab effectibus procedamus ad causas proximas, & a causis proximis, ad primam, quæ est omnium ceterarum causarum, & effectuum, radix, & fundamentum. Quod autem illa sit prima causa, cognoscitur componendo, deducendo. s. omnia quæ nata sunt sequi, & si omnia quæ deducuntur sunt clara, tanquam ex propria radice, & causa deducta, & nullum sequitur absurdum, illa fuit uera causa, si minus, non fuit uera, sed alia est querenda; ut in adducto exemplo, dum queritur primum omnium accidentium immediatum subiectum, si sit in composito, & non admittis, quod materia prima, sit alicuius accidentis immediatum subiectum, quia non habet propriam existentiam, cum sit pura potentia, deducis in philosophia, ut neget sensum, & dicas membra, & accidentia cadaveris non esse illa, quæ fuerunt uiuentis, & ad alia inconuenientia adducta; & si ad Theologiam ascendendo in eadem persistis sententia, in maiora (ut diximus) deuenies inconuenientia; quæ omnia absurda tolluntur, & omnia quæ deducuntur luce clariora remanent, si dicatur materiam primam habere propriam existentiam, & esse aliquorum accidentium proprium & immediatum subiectum, ergo per hanc regulam omnes illæ sententiæ de particularibus questionibus ex illa prima causa dependentibus sunt ueræ, quæ præsupponunt materiam primam habere propriam existentiam. Eadem regula inseruit etiam pro Theologicis sententiis in quibus resolutio faciendâ est donec deueniatur ad auctoritatem, uel scripturæ, uel Ecclesiæ, uel Sanctorum; & an ille ad quem ultimo deuenitur sit legitimus sensus, habendum est compositione, seu deductione eorum omnium, quæ ex illo sensu sequuntur uel sequi possent, iuxta ea, quæ diximus. Hac regula usus est Arist. in prædicamento ad aliquid ad inueniendum correlatiuum, & Post. c. 5. ad inueniendum primum, & immediatum subiectum passionis.

De

De Sacra scripturæ eloquentia, & figuris. Cap. XXV.

De eloquentia Sacrorum scriptorum lib. 4. de Doct. Christ. cap. 6. inquit Aug. Vbi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, uerum etiam nihil eloquentius mihi uideri potest; Et audeo dicere omnes, qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse; Sicut est. n. quædam eloquentia, quæ magis etate iuuenile decet, & est quæ senile, nec iam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis; ita est quædam, quæ uiros summa autoritate dignissimos, planeque diuinos decet; hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia; nec alios ipsa; ipsis. n. congruit; alios autem, quanto uidetur humilior, tanto acrius, non uerostrate, sed soliditate, trahit edit. Vbi uero non eos intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem qualis est, ubi intelligo. Illud magis admiro, & stupeo, quod ista nostra eloquentia ita usi sunt, per alteram quædam eloquentiam suam, ut nec eis deesset, nec emerit in eis, quia eam nec improbari ab aliis, nec ostendi oportebat, quorum alterum fieret, si uisaretur, alterum putari posset, si facile agnosceretur. Et in quibus fortis locis agnoscitur a doctis, tales res dicuntur, ut uerba quibus dicuntur, non a dicente adhibita, sed ipsis rebus uelut sponte subiuncta, uideatur; quasi sapientiam de domo sua. i. pectore sapientis procedere intelligas, & tanquam inseparabile famulam, etiam non uocatam, sequi eloquentiam. Hec ille. Et cum ibidem lib. 3. c. 29. S. Aug. dicat ad Sacra scripturæ intelligentiam maxime conferre figurarum cognitionem, non erit inutile aliquas figuras ex Cassiodoro collectas adducere, ita tamen, quod nihil de proprio dica, fateor. n. ignorantiam meam, nunquam dedi operam Rethoricæ, aut eloquentiæ, & alias linguas penitus ignoro; & in hoc sequar Sanctum Pagninum uirum doctissimum, qui in suis Isagogis ad literas Sacras, illas adducit ex Cassiodoro super psalmos ab eo collectas licet id non dicat, sed multas reliquit, & ego ex eodem Cassiodoro 30 alias collegi; reliquas adducant qui illas norunt.

¶ Allegoria. i. inuersio, est quando aliud dicitur, & aliud significatur, ps. 31. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus in chamo, & freno maxillas eorum costringe, qui non approximant ad te. frenum ad equos pertinet, chamo ad mulum, quibus cohibetur, ut ad arbitrium sedetis incedant; maxillæ uero sunt adminicula animalium quibus esca manditur, ut corporis uita percipitur, dicit ergo allegoriam, maxillas inobediētibus debere costringi. i. copias ueritales parcius

Allegoria.

Amphibologia.

cius dari, ut ieiunorum necessitate conclusi, creatoris subdatur imperio. 2. Amphibologia. i. dictio ambigua, dubiam faciens pendere sententiam, ps. 20. *Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* consilium enim est aliquid, aut faciendi, aut non faciendi ratio deliberata. Iudæi in Christum ausi sunt declinare mala, quæ sibi credebant, Romanis ulciscantibus, euenire, si Christum regem suscepissent; cogitauerunt consilium dicendo, expedit unum pro omnibus mori quod non potuerunt stabilire. i. ad uotum perducere, nam nescientes uera dixerunt, oportuit enim unum pro omnibus mori, sed malo uoto dixerunt, & ideo de tali facto subituri sunt poenam.

Anacephaleosis.

3. Anacephaleosis, idest recapitulatio, quæ fit quando ea, quæ superius dicta sunt, latius, breuiter in memoriam postea reuocantur, ps. 113. post speciales beneficiorum, & benedictionum enumerationes, generalem omnium timentium Deum benedictionem concludit, *Benedixit omnibus, qui timent Dominum, prae illis cum maioribus.*

Anadiplosis.

4. Anadiplosis, idest, congeminatione dictionis, quæ fit, aut in uersu, psal. 23. *Attollite portas principes uestras, &c. Attollite portas principes uestras, &c.* aut in dictione, ut ps. 24. *Etenim uniuersi, qui sustinent te non confundentur, confundantur omnes iniqua agentes.* Et ista figura dicitur etiam Epizeuxis,

Epizeuxis Epébasis.

& differt ab alia, quæ dicitur Epembasis, idest, iteratio, quia per Epembasim sermo post aliqua uerba congeminat, psal. 130. *Dominus custodit te. Dominus protectio tua.* At per Anadiplosim fit congeminatio dictionis nullo alio interiacente.

Anaphora.

5. Anaphora, idest relatio, & est quædo idem uerbum per principia uersuum repetitur. ps. 117. *Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam, &c. Dicat nunc Dominus Aaron, &c. Dicant nunc, qui timent Dominum, &c. Melius est sperare in Domino, quam confidere in homine. Melius est sperare in Domino, quam sperare in Principibus.* psal. 128. *Sæpe expugnaverunt me à iuuentute mea, &c. Sæpe expugnaverunt me, &c.*

Anastrophe.

6. Anastrophe, idest, inuersio, seu peruersio, quædo promimus ordine conuerso sententiam, ps. 23. *Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo, prius misericordiam elargitur, nostris peccatis parcens, deinde benedictionis munera donat.* 7. Antiphrasis, est quando sermo est per contrarium intelligendus, ut lucus, quod non luceat; parce, quod non parcat; piscina quæ non habet pisces. Iob 2. *Si non in faciem benedixerit tibi, idest, maledixerit.* 3. Reg. 21. *Benedixit Naboth Deum, & Regem,*

Antiphrasis.

idest maledixit, de qua etiam inferius, ubi de Ironia. 8. Antipropon.

Antipropon.

est quando pro homine ingrato, ponitur persona gratissima,

tissima, compositum ex anti, cõtra, & prolopon, persona, ps. 78. *Quia commederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.* pro gente, quæ peccauerat, gratissimi Patriarchæ nomen obiectum est, ut recordatio sanctissimi uiri, populi delicta mitigaret. 9. Antiptosis, quando casus pro casu ponitur, ps. 34. *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam, quasi lugens, &c.* mutati sunt nominum casus, pro ablatiuis positi sũt accusatiui, dicimus enim complacuisse nos proximo, & fratri, sicut, & Io. 14. *Sermonem quem audistis non est meus.* 10. Antilagoge, idest, contradictio, ps. 11. *Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* 11. Antistathmisis, idest, recompensatio, quando iuxta factis recipit, qui se, aut re cta, aut praua conuersatione traclauerit. ps. 125. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent, &c.* 12. Antonomasia, idest, uice nominis posita, quando sic aliud nomen ponitur, ut tamen illud, quod necessarium fuerit sentiatur, ps. 67. *Rex uirtutum dilecti, dilecti, & speciei domus, &c.* Dilecti nomine intelligitur Filius, de quo pater. Mat. 3. *Hic est filius meus dilectus.* 13. Apochinu, idest, à communi, quando dicta superius, ad inferiora respondent. ps. 31. *Sperantes autem in Domino misericordia circundabit. Latamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. gloriamini. suos esse subiectos Domino, seruitiumq; ipsius lætitiã uestram, & honorem credite, dum uos inde noueritis ad æternæ beatitudinis præmia peruenire, ps. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine, &c. Altaria tua Domine uirtutum, &c.* scilicet, quam dilecta. ps. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo, in generatione, & generationem annuntiabo ueritatem tuam in ore meo. Quoniam dixisti, &c.* totũ illud respicit ad id, quod ait, *Quoniam dixisti.* 14. Apopsiosis, idest, dictio, cuius finis reticetur, ut aut terreatur, aut ad desiderium prouocetur auditor. ps. 17. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, filii alieni mentiti sunt mihi.* 15. Apostrophe, idest, conuersio, quoties ad diuersas personas uerba conuertimus, ps. 19. *Tribuat tibi secundum cor tuum, &c. Lætabor in salutari tuo, &c. Impleat Dominus omnes petitiones tuas, Nunc cognoui, &c.* 16. Astismos, latine urbana dictio, uenustatis, aut facetiæ causa posita, ps. 98. *Dominus regnauit, irascantur populi, idest, nihil ultra nocituri, quod ad irrisionem uideretur potius pertinere.* 17. Auxesis, idest, augmentum, est figura, quæ ascendendo quædam nomina per membra singula, rerum angumenta congeminat. ps. 3. *Tu Domine susceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum, psal. 18. Iudicia Domini uera, iustificata in semetipsa,**

Antiptosis.

Antilagoge. Antistathmisis.

Antonomasia.

Apochina.

Apopsiosis.

Apostrophe.

Astismos.

Auxesis.

semctipfa, Desiderabilia super aurum, & lapidem preciosum, & dulciora super mel, & sauum . Pl. 73. Incenderunt igni sanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui, dixerunt in corde suo, &c. 18.

Bracchyologia. Bracchyologia, idest, breuis locutio, cum plura paucis amplectimur. *pl. 49. Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos.* his duobus significat uniuersa primi temporis sacrificia, modis omnibus excludenda esse. *pl. 86. Sicut latantium omnium nostrum habitatio est in te. 19. Cacozelon, idest, mala affectio, quoties ingenium iudicio caret, & spe boni fallitur, precipitata uelocitas. pl. 105. & concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso, &c. 20. Cata antilexis, latine ad uerbum dicitur, quando rem que queritur, uno uerbo intimamus, *pl. 139. Caput circuitus eorum.* quo uerbo in explicabiles impiorum designat errores, idest, caput eorum circuitus, qui nunquam ad rectam uiam peruenit. *pl. 144. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis;* qui cum non possit laudibus comprehendere, singulis tamen sermonibus indicatur. *Magnus nimis, magnitudinis eius non est finis. 21. Cata xpenon, latine per laudem . pl. 19. Diligam te Domine fortitudo mea Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, pl. 67. Deus qui habitare facit unius moris in domo, qui educit uinctos in fortitudine, &c. 22. Catachresis, idest, abusus, quoties aliena rerum nomina, non habentibus, accommodantur. *pl. 43. Exurge, quare obdormis Domine, exurge, &c. pl. 74. Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti. 23. Characterismos, idest, informatio, descriptio; est figura, qua rem presentem, siue absentem, spiritualibus oculis subministrat; quod & in laude, & in uituperio fieri solet. *pl. 20. Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. pl. 44. Assitit Regina a dextris tuis in uestitu deaurato, &c. 24. Cenomema, idest, communicatio consilii. pl. 10. In Domino confido, quomodo dicitis anime mea transmigra in montem sicut passer? 25. Climax, idest, scala, est figura quando positus quibusdam gradibus, siue in laudibus, siue in uituperatione, semper accrescit, postremo uerbo in primo comate existente, in sequenti iterato. *Rom. 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes non confundit. pl. 105. Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum. pl. 143. Non est ruina maceria, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum. 26.*****

Diaphoresis. Diaphoresis, idest, differentia, est figura per quam fit personarum differentia, ut inter iustum, & impium, *pl. 36. Mutuatur peccator, & non soluet, iustus autem miseretur, & retribuet, Quoniam benedictes ei*

*tes ei possidebunt terram, maledicentes autem ei disperibunt. 27. Diaporesis latine dubitatio, cum habemus animu ambiguum, si possit inueniri, quod queritur, & cum querimus quid potissimum facere debeamus. pl. 29. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? pl. 138. Quo ibo a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam? 28. Diatyposis. i. formatio, dispositio, expræssio; figura est, ubi rebus, personisue subiectis, & formæ ipsæ, & habitus exprimitur. *pl. 30. Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & uenter meus. 29. Eclipsis. i. defectus, quoties pleno intellectui uerba aliqua subtrahuntur, ut queratur. pl. 75. Quia neq; ab oriente, neq; ab occidente, neq; a desertis montibus, est addendum, deest Deus, ut te non possit agnoscere, cum eum constet ubiq; esse presentem. pl. 89. Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula. l. punitionis. 30. Emphasis. i. exaggeratio, est figura, qua latens aliquid ex aliquo dicto eruitur; cuius duæ sunt species, altera qua significat plusquam dicit, etiam id, quod non dicit. *pl. 24. Secundum misericordiam tuam memeto mei tu, propter bonitatem tuam Domine dicendo, propter bonitatem tuam, facit intelligi, non propter meritum meum. Altera, qua significat id, quod dicit. pl. 26. Si consistat aduersum me castra, non timebit cor meum, &c. 31. Energia. i. Euidetia manifestatio, cum res ita describitur, ut cerni uideatur. *pl. 33. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. pl. 36. Vidi impium superexaltatum, &c. 32. Aenigma. i. obscura sententia, que pertinet ad allegoriam, aliud. n. dicit, & aliud significat. *Iud. 14. De comedente exiit cibum, & de forti egressa est dulcedo. pl. 96. Motes sicut cera fluxerunt, &c. 33. Epanodos. i. repetitio rerum, qua iunctim dictæ sunt. *pl. 113. Mare uidit, & fugit, &c. Quid est tibi mare, quod fugisti? & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? 34. Epëbais est figura enumerationis studio uerba repetens, ut rei de qua loquitur procuratur argumetum. *pl. 3. Multi insurgunt aduersum me, Multi dicunt anime mea, &c. pl. 21. In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, &c. 35. Epexergasia. i. diligentia, est figura, qua fit; quoties uni causæ, duas probationes apponimus. *pl. 36. In diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt, & inimici Domini facti honorificati fuerint deficient, &c. 36. Ephexegesis. i. expositio prioris dicti. *pl. 7. Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis. pl. 20. Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam, & magnum decorem impones super eum. ps. 29. Dominus factus est adiutor meus, conuertisti planctum meum in gaudium mihi. pl. 36. Reuela Domino uiam tuam, & ipse faciet, & educet tanquam lumen, &c. 37. Epicherema. i. conamen, ratio, approbatio, qua fit quoties rem de qua agitur per*********

per exemplum aliquod probare contendimus. ps. 26. *Dominus illuminatio mea, et salus mea, &c. Dñ appropriat super me nocetes, &c.*

Epidiorthosis. 38. Epidiorthosis. i. correctio. i. superioris rei cognitio. ps. 61. *Salus mea, refugium meum non movebor amplius, in quo significat se aliquando motum.* 39. Epimone. i. perseverantia, assiduitas, quæ figura fit, quando similia dicta crebra repetitione geminantur, ps. 12. *Usq; quo Domine obliuisceris me in finem, usq; quo exaltabitur inimicus meus, &c.* pl. 28. *Afferte Domino, &c. Afferte Domino gloria, &c.* 40. Epinalapsis. i. repetitio, figura, quæ fit quando dictio in principio uersus posita, iterum in fine uersus repetitur, ps. 82. *Deus, qui similis tibi? ne tacens, neq; comescaris Deus.* 41. Epiphomena. i. acclamatio, figura est, quæ post narratas res, breuiter cum acclamatione prorumpit, post omnia desinens in exaggeratissimam summitatē. ps. 22. postquā dixit, *Dominus regit me, &c.* in fine concludit, *Vt inhabitem in domo domini, &c.* ps. 30. *In te Domine speraui, & in fine, Viriliter agite, & confortetur cor uestrum.* ps. 134. *Laudate nomrn Domini, &c. & postea, Omnia quaecumq; uoluit fecit, &c.* 42. Epitochasmos. i. super effusio, signa qua succinte ea, quæ sunt fusius dicenda perstringit. ps. 22. *Dominus regit me, &c.* in quo breuiter dixit, quod in subsequētibus latius enumerauit. ps. 69. *Deus in adiutorium meum intende, &c.* 43. Epizeusis. i. combinatio, uel cōiugatio, figura, quæ fit quoties in vno uersu, sermonem sine aliqua interpositione geminamus. ps. 108. *Et tu Domine, Domine fac mecum, &c.* ps. 139. *Domine Domine virtus salutis mee.* 44. Erotema, & Erotesis. i. interrogatio, est figura quando fit interrogatio, & interrogationi apta responsio. ps. 2. *Quare fremuerunt gentes?* ps. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.* ps. 118. *In quo corrigit adolescenter uiam suam? in custodiendo sermones tuos.* 45. Etopæia est figura, quæ fit, quoties introducimus aliquem ad loquendum. ps. 80. *In tribulatione inuocasti me, &c.* 46. Aetiologia. i. causæ redditio, quando præmissæ rei, decora subiūgitur ratio. ps. 15. *Propter hoc latatum est cor meū, &c. Quoniam non dereliques animam meam in inferno, &c.* ps. 94. *Præoccepimus faciem eius in cōfessione, &c. Quoniam Deus magnus est, &c.* 47. Exallage, Hypallage. i. permutatio. psal. 2. *Tunc loquetur ad eos, &c.* deinde mutat personam, *Ego autē constitutus sū Rex, &c.* ps. 13. *Dominus de Cælo prospexit super filios hominum, ut uideat si est intelligens, aut requirens Deum.* id est, ut uidere faciat. Gen. 22. *Nunc coguoni quoniā tu times Deum.* id est, te cognoscere feci. 48. Exergasia, quoties aliquid breuiter proponitur, & subtilius, ac latius explicatur. ps. 47. quod dixit. *Mons Syon addit Latera aquilonis ciuitas*

ciuitas regis Magni. 49. Exetasmos. i. exquisitio, quæstio, figura cum res plures diuisas cum interrogatione exquirentes, singulis, quæ conueniunt applicamus. ps. 23. *Quis ascendet in Montem Domini, &c. Innocens manibus, &c.* ps. 14. *Domine quis habitabit, &c. Qui ambulat sine macula, &c.*

Hypallage. i. submutatio, de qua superius in Exallage. 50. Hyperbaton. i. transgressio, transcessio, figura quæ fit cum suspensus uerborum ordo, inferius explicatur. ps. 36. *Noli emulari in malignantibus, &c. Quoniam tanquam fenum uelociter arescent.* 51. Hyperbole. i. excessus, est figura per quam solent aliqua in magnitudinem exaggerationis extendi, cum dictio excedens fidē, ponitur augendi, uel minuendi gratia. ps. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* psal. 106. *Ascendunt usq; ad cælos, & descendens usq; ad abyssos.* 52. Hyperthesis. i. superpositio, superlatio, cum aliquam rem opinione omnium notam, sententia nostra superare contendimus, ps. 17. *Et ascendit, & uolauit super pennas uentorum.* ps. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* 53. Hypozeuxis. i. sub coniunctio, figura, quæ fit, quando diuersa uerba singulis apta clausulis apponuntur. ps. 1. *Beatus uir qui non abiit in consilio impiorum, & in uia peccatorum non sletit, & in cathedra pestilentie non sedit.* psal. 143. *Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus.* 54. Hyrmos, conuenientia, uel uinculum, figura est, quando series orationis, tenorem suum seruat usq; ad ultimum, ubi nec persona alia, nec causa mutatur. ps. 13. *Deus in nomine tuo, &c.* psal. 132. *Ecce quam bonum, &c.* 55. Homoeteuton. i. similiter finitum, similiter desinens, cum similibus literis plures dictiones terminantur. ps. 84. *Benedixisti Domine terram tuam auertisti, &c. remissisti, &c. mitigasti, &c.* 56. Homoesis. i. similitudo cum ex similitudine cogniti deuenimus in cognitionem incogniti, siue per quam minus notæ rei, ex similitudine eius, quæ magis nota est, demonstratio declaratur. ps. 122. *Ecce sicut oculi seruatorum, &c. & sicut oculi ancilla, &c.* 57. Homoeptoton. i. similitum casuum aut similitum cadēs, dicitur etiam Homoptoton, cum in similes sonos diuersa exeunt uerba. ps. 97. *Cantate, exultate, & psallite.* 58. Icon, latine imaginatio, ps. 16. *Custodi me Domine, ut pupillam oculi, pupillæ se oculi comparauit.* 59. Idea, cum speciem rei futuræ uelut oculis offerentes, motum animi concitamus. ps. 9. *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam, sedisti super tronum qui iudicas iustitiam.* 60. Ironia, simulatio, figura cum aliquid per contrarium dicitur, & illusionem. ps. 21. *Speraui in Domino,*

Exetasmos.

Hypallage.
Hyperbaton.
Hyperbole.

Hyperthesis.

Hypozeuxis.

Hyrmos.

Homoeteuton.

Homoesis.

Homoeptoton.

Homoptoton.

Icon.

Idea.

Ironia.

cripiat

cripiat eum, &c. Differt ab antiphrasi, quia Ironia pronuntiatio-
ne indicat, quid uelit intelligi, ut cum dicimus homini mala
facienti, res bonas facis. Antiphrasis uero, ut contraria signifi-
cet, non uoce pronuntiantis efficitur, sed aut uerba habet sua,
quorum origo est contraria, ut lucus, bellum, piscina, aut adiun-
ctis uerbis facimus, ut à contrario intelligatur, quod loquimur
ut si dicamus, caue illum, quia bonus homo est. 61. Ironia, id est
æquale, figura quando res aliquæ parilitate similes, adhibita
laude, uel detractio inunguntur. ps. 91. *Iustus, ut palma flore-
bit, ut cedrus libani multiplicabitur.* 62. Leptologia. i. subtilis locu-
tio, quædo res singula minutatim, & subtiliter indicatur. ps. 51.
*Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui
æquitatem, dilexisti omnia uerba, &c.* 63. Metabole. i. mutatio. i. ite-
ratio unius rei sub uarietate uerborum. ps. 5. *Verba mea auribus
percipe Domine, intellige clamorem meum, intende uoci, &c.* quod to-
tum ad unam respicit petitionem. ps. 68. *Non me demergat, &c.*
64. Metaphora. i. translatio, cum mutatur uerbum, aut nomen
ex eo loco, ubi proprium est, in eum iniquo, aut propriū deest,
aut translatum, proprio melius. ps. 31. *Veritatem in diluuium aqua-
rium multarum, ad eum non approximabunt.* ps. 146. *Qui alligat contri-
tiones eorum.* 65. Metastasis. i. transmutatio, translatio, dum
culpam nostram in alium transferre conamur. ps. 140. *Non de-
clines cor meum in uerba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccat-
is.* 66. Metonymia. i. transnominatio, quæ fit quoties intelle-
ctum rei, diuersis modis, uerbis alienis, ac translatis indica-
mus. ps. 2. *Qui habitat in caelis iridebit eos, &c.* Gen. 19. *Nunc co-
gnoui.* id est te feci cognoscere, quod timeas Deum. Est etiam Me-
tonymia quando per id, quod continet, hoc quod continetur
edicitur. ps. 46. *Et uocauit terram.* id est homines. ps. 65. *Iubilate
Deo omnis terra.* ps. 104. *Letata est Aegyptus, &c.* 67. Metriasmos
id est, mediocritas, quæ fit quoties rem magnam mediocri rela-
tione proferimus. ps. 30. *Factus sum tanquam uas perditum.* ps. 34.
Ego autem cum mihi molesti essent inducibam me cilicio, humiliabam, &c.
68. Parabola. i. Comparatio. i. rerum dissimilium comparatio. ps. 1.
*Et erit tanquam lignum, quod
plantatum est, &c.* ps. 16. *sub umbra alarum tuarum, &c.* 69. Para-
digma. i. exemplum. i. narratio per exemplum, hortans aliquem
aut deterrens. ps. 1. hortans. *Beatus uir, &c.* & erit sicut lignum, &c.
deterrens. *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, &c.* 70. Pa-
radoxa. i. inopinabilia, præter opinionem, exitus inopinatus, cū
aliud proponitur, aliud explicatur. ps. 17. *Deus meus impolluta
uis*

uius. Aggressus est dicere, quid exortatum, subiūxit ei exi-
tum inoppinatum. *Impolluta uia eius.* ps. 83. *Domine Deus uirtutum
beatus homo, qui sperat in te.* ps. 90. *Quoniam tu es Domine spes mea,
altissimum posuisti refugium tuum.* 71. Paranomasia. i. agnominati-
o, uel denominatio. ps. 144. *Miserator, & misericors Dominus,* ps.
118. *Bonus es tu.* Paraprosodia. i. præter expectationem, idem
quod paradoxa. 72. Parenthesis. i. insertio, interpositio, figu-
ra quoties remota de medio sententia, integer sermo perdurat
ps. 16. *Ut non loquatur os meum opera hominum (propter uerba labio-
rum tuorum) ego custodini uias duras.* 73. Parison. i. æquale, quan-
do duæ res è diuerso ponuntur, sed una magis, eligitur. ps. 83.
*Quia melior est dies una in atribus tuis super millia: Elegi abiectus esse in
domo Dei mei, magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* 74. Pa-
roemia. i. prouerbiū, quod multorum ore frequentatur. ps. 115.
Omnis homo mendax. Act. 9. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.*
Pempasis superius Epempasis. 75. Percunctatio. i. quæ alterius
personæ non patitur expectare responsū. ps. 49. *Peccatori autem di-
xit Deus, quare tu enarras iustitias meas, per os tuum.* 76. Periphrasis. i.
per circuitū. ps. 71. *Et dominabitur à mari, usque ad mare, usque ad termi-
nos orbis terrarum.* ps. 106. *A solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari.*
77. Peusis, & Apocrius. i. interrogatio, Vbi interrogatio fit, & re-
sponso sequitur. ps. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatū
est super nos lumen uultus tui, &c.* 78. Pleonasmos. i. super abundā-
tia. ps. 73. *Incenderunt igni sanctuarium tuum.* ps. 141. *Uoce mea ad Da-
minum clamaui.* 79. Polysyntheton. i. structura multis nexa con-
iunctionibus. ps. 4. *Dominus conseruet eum, & uiuificet eum, & bea-
tum faciat eum, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* 80. Pro-
cataleptis. i. preoccupatio, dicitur etiam proleptis. psal. 50.
*Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Quasi. n. in uenturo iudi-
cio constitutus, delictorum suorum aspectus terribilissimos pertine-
scit.* 81. Prophonefis. i. exclamatio, quæ fit quoties inter alia quæ
loquimur, ad Deū subitō, uel ad quempiā, uerba conuertimus.
ps. 4. *Veniat mors super illos, &c.* Ego autē ad Deū clamaui. 82. Proso-
popeia personæ factiua, cū persona aliqua fingitur, ut cū inani-
matū loquitur ad animatū, uel è cōtra. ps. 92. *Elenaerunt flumina
uocē suā.* 83. Prothesios parallage cū altera præpositio, pro alte-
ra ponitur. ps. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* i. per te. 84. Sa-
racasmos. i. hostis irrisio, quæ usque ad palmam penetrat, cum
manifesta ueritate conuincit. psal. 93. *Vidnam, & aduenam
interfecerunt, & pupillos occiderunt, & dixerunt non uidebit Dominus,
nec intelliget Deus Iacob?* psal. 145. *Simulacra gentium argentum,*
Y y & au-

Parano-
masia.
parapro-
sodia.
parenthe-
sis.

parison.

parocma.

pempasis.
percuncta-
tio.periphras-
is.peusis.
Apocrius.
pleonasm-
os.polysyn-
theton.
procata-
leptis.

Proleptis.

prophone-
fis.prosope-
peia.prothe-
sios paral-
lage.
Saracaf-
mos.

sardifmos & aurum, &c. 85. Sardifmos figura, quæ linguarum per mixtione formatur. pl. 41. *Memor ero tui de terra Iordanis, & hermonii à monte modico, Abyssus Abyssum inuocat, in uoce castaractarum tuarum, Iordanis, hermodii, sunt nomina hæbreæ, Abyssus, & cataraetarum græca.* 86. Schesifonomaton. i. multitudo multorum nominum conjugatorum, diuersis uerbis unam rem significantium. pl. 105. *Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.* 87. Somatopeia. i. corporis factiua. i. attributio, figura; quando rebus in corporeis, corpora tribuuntur. pl. 84. *Iustitia, & pax osculata sunt, Misericordia, & veritas, obuiauerunt sibi.* 88. Syllepsis. i. conceptio, comprehensio, quæ fit cum pluribus dictio singulari numero coniungitur. pl. 1. *Quod plantatum est secus riuos aquarum, idest, unum ex riuus; fit etiam quando casus discrepantes in unam significantiam congregamus.* pl. 8. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum.* 89. Synathrifmos. i. congeries, congregatio, figura, quando plures res in unum, aut plurima crimina colliguntur. pl. 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt ueritates, &c.* pl. 22. *Domini regit me, &c.* 90. Synchrisis, comparatio, dum comparatione quadam iustiore causam nostram, quam aduersarij demonstramus. pl. 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini.* pl. 21. *In quorum manibus iniquitates sunt, &c.* Ego autem in innocentia mea, &c. 91. Synchorefis. i. concessio, quoties aliqua importune desiderantibus, conceduntur, quæ ad utilitatẽ eorum pertinere non possunt. pl. 77. *Et manducauerunt, & saturati sunt, & desiderium eorum attulit eis, &c.* *Adhuc esce eorum, &c.* 92. Synadicalmos, quando sibi, aut personæ, aut causæ, siue ex contratio, siue ex simili, comparantur. pl. 12. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne, &c.* pl. 51. *Præualuit in iuuentute sua, ego autem sicut oliua, &c.* 93. Synecdoche, figura à parte ad totum, uel à toto pars intelligitur. Exod. 1. *Omnes animæ, quæ egressæ sunt, &c.* psal. 9. *Narrabo omnia mirabilia tua à toto partem.* 94. Tipanosis. i. humiliatio, quæ fit quoties magnitudo mirabilis, rebus humilimis comparatur. pl. 21. *Ego sum uermis, & non homo.* pl. 89. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies externa, quæ præterit.* pl. 101. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, &c.* 95. Tautologia. i. eiusdem sermonis iteratio, ut *Benedicendo Benedicam. Multiplicando, multiplicabo semen tuum.* 96. Zeugma. i. coniunctio quando multa pendentia, aut uno uerbo, aut una sententia concluduntur. pl. 14. *Qui facit hæc, non commouebitur in æternum.*

Quod

Quod sit premium bonorum, & malorum operum. Cap. XXVI.

Summa, scopus, & finis huius nostri tractatus, imo totius Sacræ scripturæ, & catholicæ doctrinæ, est, declinare à malo, & facere bonum. Bonorum autem operum premium, est ipsemet Deus, qui Moisi dixit, *Ego ero merces tua magnanimis*, in cuius beatifica uisione, beatitudo nostra consistit. Maiorum uero operum premium, seu pœna, est æterna beatificæ Dei uisionis priuatio, & perpetua malorum omnium in inferno perpessio, à quibus nos Deus per infinitam suam misericordiã liberet, nobisq; concedat, ut in hoc mundo ita semper uiuamus, ut in altero sine fine cum ipso regnemus. Et ista pro nunc dicta, sufficiant, saluo meliori iudicio, & præcipue S. Matris Ecclesiæ, ad Christi Domini laudem, & honorem, & eius etiam Matris, & semper Virginis Mariæ, B. Mariæ Magdalenz. S. Catharinæ, & omnium Sanctorum, qui Christum, uerum Deum, & hominem, & eius Patrem, & Spiritum Sanctum ab utroq; procedentem, coeternos, & consubstantiales unum Deum, pro me, nunc, & in hora mortis orare dignentur.

FINIS.

Yy 2 AD.

ADDITIO DE ABSOLVTIO-
NIBVS VIGORE IVBILEI, ET
DE NON BENEDICEN-
dis secundis nuptiis.

Licet satis probauerimus p.p. lib. 3. c. 27. & lib. 4. c. 6. per
generalem concessionem absoluendi ab omnibus pecca-
tis censuris, & pœnis, etiam in Bulla Cœnæ Domini re-
seruatis; quæ fit in iubileis; non compræhendi hæresim,
nec irregularitatem, nisi de illis fiat specialis mentio id tamen
modo magis adhuc confirmamus per Bullam iubilei Non. Kal.
Decembris annis 1589. a S. D. N. Sixto V. emanatam pro tran-
quillitate, & conseruatione Regni Franciæ, quæ decretum, &
perpetuam declarationem facit. Cum enim concessisset am-
plissimam facultatem absoluendi ab omnibus peccatis, censu-
ris, & pœnis, etiam reseruatis in Bulla cœnæ Domini, illam fa-
cultatem ampliat etiam ad hæreticos, non tamen specialiter de-
claratos, seu. condemnatos. Ne quis autem putaret propter
hanc ampliationem, quæ in aliis generalibus concessionibus,
nullo modo intelligitur, quod etiam extenderetur ad excom-
municationes à iudice in præiudicium tertii, & ad irregularita-
tem, id expresse declarat, non solum pro illo iubileo, sed etiam
pro aliis omnibus, in futurum concedendis, & illius uerba sūt.
*Ac declarantes, tam easdem presentes, quam alias quascumque super con-
cessione similium facultatum, & Indulgentiarum, à nobis hæctenus
editas, & in futurum quomodolibet edendas Christi fidelibus ipsis, quo
ad absolutionem in foro conscientie, & penitentiali tantum, non au-
tem in foro fori, siue contentioso, consequendam, & ad hunc effectum dum-
taxat, ac sine alicuius præiudicio: nec proinde eis, qui ab aliquo Iudice ex
communicati, suspensi, uel interdicti: seu in sententias, censuras, & pœnas
huiusmodi incidisse declarati, uel publice denunciati fuerint, nisi intra tem-
pus huiusmodi iubilei, aut satisfaciant iis propter quæ sententiæ, censurae,
& pœnæ ipsæ in eos latæ, seu promulgatæ fuerint, aut cum partibus con-
cordent, suffragari quinimo eos, nisi, ut præmittitur satisfecerint, uel con-
cordauerint, postmodum absq; alia citatione, monitione, uel declaratione,
eo ipso in easdem sententias, censuras, & pœnas, reincidisse, & reincide-
re: Ac præterea nullo modo cum aliquo, super quacunque incapacitate,
inhabilitate, aut irregularitate, publica, uel occulta, neq; etiam in foro con-
scientiæ, dispensari posse: nec non irritum, & inane, si secus super his à
quoquam, quauis auctoritate, scienter uel ignoranter, contigerit atten-
tari.*

Cum

Cum tom. 1. 2. p. lib. 4. c. 22. sine probatione dixerim peccare
benedicētes secundas nuptias, etiā altero tantū existēte benedi-
ctō; & aliqui in contrariū tenuerint, posse benedici non benedi-
ctū. & etiam utrunque, quando contrahitur cū uirgine, rogatus
id modo probo, ex c. Vir. de sec. Nupt. ubi dicitur, Vir, & mulier
ad bigamiam transiens, non debet benedici; nō dici transeūtes,
quia sufficit alter, & eiusdē c. rubrica habet, Si unus ex coniugi-
bus fuit benedictus, nō debēt cōiuges de nouo benedici, & ex c.
Capellanū, eod. tit. ubi est sermo de sola muliere, nulla facta mē-
tione de uiro: & notā etiā ibi peccatū, & pœnā benedicētis, quia
suspēsus ab officio, & beneficio, debet mitti ad Apostolicā Sedē.
Ira etiā tenēt Abb. Dir. Ang. Ros. Suppl. Nau. & alij. Cuius triplex
est ratio. Prima, quia benedictio unius, in alterum diffunditur;
iuxta illud. 1. cor. 7. *Sanctificatus est uir infidelis, per mulierē fidēlē, &
sanctificata est mulier infidelis, per uirum fidēlem.* Et ista ratio rāgitur
in d. c. Vir. ubi altero existēte benedictō, uocantur ambo benedi-
cti, ut ibidē etiā notat Abbas. Secunda est defectus significa-
tionis, nā Christus unicā habet sponsam, quæ est Ecclesia; & Ec-
clesia unicum habet spōsum, qui est Christus, & significatur per
primas nuptias. ista ratio est S. Tho. 4. s. d. 42. licet dicat eam mi-
litare quando secundæ nuptiæ sunt ex parte uiri, & ex parte mu-
lieris, uel ex parte mulieris tantū, non autem si uirgo contrahat
cum illo, qui habuit aliam uxorem, quia saluatur etiam aliquo
modo significatio, nā Christus, & si habeat unam sponsā, habet
tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia. & propter
ea in hoc casu dicit esse benedicendas secundas nuptias, quem
sequuntur eius discipuli. sed hoc falsum esse cōstat. Primo, quia
etiam in hoc casu ob defectum eiusdē significationis contrahi-
tur irregularitas. 2. quia si ratio exceptionis. S. Tho. teneret,
probaret cōtra ipsum, & tunc maxime essent benedicendæ, quan-
do ille, qui non habuit aliam vxorē, cōtrahit eū ea, quæ habuit
plures uiros. nam uir significat Christum, & mulier Ecclesiam,
& in uidua, quæ habuit plures uiros intelliguntur plures per-
sonæ. 3. quia aliæ etiam duæ rationes militant in hoc casu.
Tertia ratio est, quia Ecclesia non instituit benedictionē pro al-
tero tantum coniuge, sed communem utrique, & non est mu-
tanda eius forma benedictionis, ut sit pro altero tantum, tum
propter rationes dictas, tum etiam quia iste casus est adeo fre-
quens, & quotidianus, ut non sit censendus propter raritatem,
omissus, uel non cogitatus quasi illo occurrēte suppleri debeat.
Et confirmatur ex S. Amb. citato à Magistro 4. s. d. 42. qui dicit,

Primæ nuptiæ tantum à Domino sunt institutæ, secundæ uero sunt permiffæ, & primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ uero etiam in præfenti carent gloria.

Quare tantum abest, quod contraria consuetudo, etiam benedicendi tantum non benedictum, possit in aliqua particulari Ecclesia introduci, quod introducta est potius ab Ordinario, & Synodo corrigenda, ut Sacris Canonibus, rationi, Missalis dispositioni, & uniuersali Ecclesiæ consuetudini parum consona, licet multi partim ex ignorantia, partim ex spe (quod absit) habendi eleemosynam illas benedicant, qui docendi, & corrigendi sunt.

F I N I S.

Cum licentia Superiorum.

Auctor

Auct or Lectori S.

VM viderim Manuale meum gratum fuisse, si mihi Deus tempus, & sanitatem concesserit, illud forte corrigam, ut sit etiam compendium huius tractatus de Officio Sacerdotis. Rudioribus consulam; & quæ hic desunt ibi addam; Cum enim cursim Tractatum istum, simul, eodemq; tempore, composuerim, & typis mandauerim, ut quibusdam, occasione cuiusdam habitæ cum illis disputationis, satisfacerem; memor illius dicti, Qui cito dat, bis datur; non dubito quin multa ad illius illustrationem sint addenda, & aliqua etiam forte mutanda. Expectabo tamen prius iudicium, quod fiet, de isto meo tractatu, ab illis præcipue, qui suas à multis annis iam elaboratas, edituri sunt Summas; & quæ currens dixi, sedens postea confirmabo, aut corrigam, prout opus fuerit. Quare non contentus isto tractatu, accipe etiam nouum Manuale meum, quod ad prioris distinctionem, & extinctionem, compendium huius inscribetur; cum illud in lucem editum audieris; quod rudioribus sufficiet. Et Deum pro me ora, ut illi soli seruiam, & placere studeam; quod à te etiam, atq; etiam peto. Vale.

I N D E X
 CAPITVLORVM
 TOMI SECVNDI.
 LIBRI QVINTI,
 SECVNDÆ PARTIS.

Q Vid sit Avaritia, & quæ illius filia, & quæ sint contra illa præcepta. Cap. primum. pag. 1.
 De ludo, & de peccatis, quæ in eo committuntur, de ludentibus super fortuito euentu, & de dantibus pecunias, quando eis nascuntur filia, ut aucte reddantur pro illarum dote, si vixerint. cap. 2. pag. 3.
 De Deposito, Pignore, Commodato, & Locatione. cap. 3. pag. 11.

INDEX

De Vſura.

- Q**uid, & quotuplex ſit Vſura, & quod ſit eſſentialiter mala. c. 4. 17
 De quatuor cauſis ob quas licet aliquid à mutuario ultra ſortem accipere, ratione, ſcilicet, donationis, pœnæ, damni emergentis, & lucri ceſſantis. cap. 5. 21
- De Vſura circa mutua octo concluſiones ad decidendos caſus particulares. cap. 6. pag. 25
- De eo quod ultra ſortem accipitur ob periculum aſſecurando ſuſceptum, vel ob proprium intereſſe, quod mutuando quis patiat. c. 7. p. 39.
- De Vſura ratione doctis, & pignoris, & quare fructus pignoris, rei feudalis à Domino feudi, non computentur in ſortem. cap. 8. p. 47.
- Quid ſit Societas, Quot ſocietatum genera, Qua ratione ex pecunia in ſocietatem tradita poſſit percipi lucrum. De conditionibus requiſitis ad iuſtam ſocietatem, cum multis exemplis. cap. 9. pag. 57
- De ſocietatibus officiorum. cap. 10. pag. 67
- De peccatis, quæ emendo, & uendendo committuntur, non ratione pretij. cap. 11. pag. 71.
- Quomodo ſumatur iuſum rerum pretium; de peccatis ratione iniuſti pretij, & qua ratione excuſentur multæ emptiones pro quibus non uidentur dari iuſtum prerium. cap. 12. pag. 74.
- De diminutione pretij, & crediti non maturi, ob anticipatam ſolutionem, uel ob pactum de retrouendendo. cap. 13. pag. 79.
- De auſtione pretij. cap. 14. pag. 86.
- De illis qui emunt, ut ſtatim carius uendant, & qui carius emunt ad tempus, ut uilius uendant numerata pecunia. cap. 15. pag. 90
- De illis qui uendunt conceſſa dilatione, & interim percipiunt fructus rei. cap. 16. pag. 92
- De cenſibus, & conditionibus requiſitis. cap. 17. pag. 96
- De dante certam pecuniæ quantitatem pro poſſeſſione tenenda, uel annuo redditu percipiendo, durante ipſius uitæ; de iuſto pretio huius cenſus, & dante 100. ut recipiat pro dote filia 300. ſi uixerit. cap. 18. p. 104
- De Montibus ſuper certis redditibus conſtitutis. cap. 19. pag. 108
- De illis, qui coguntur Principi ſubuenire cum aſſignatione fructuum. cap. 20. pag. 109
- De Monte Pietatis. cap. 21. pag. 112
- De Cambiis, quid, & quotuplicia ſint, & de illorum conditionibus. c. 22. pag. 117
- Quibus modis fiant cambia per litteras, & quibus de cauſis campſores lucentur. cap. 23. pag. 119
- De cambiis ſiccis, & de dubiis circa cambia occurrentibus. c. 24. p. 126
- Libri

INDEX

LIBRI SEXTI.

De Simonia, & Reſtitutione.

De Simonia.

- S**imonia unde dicatur, & quid ſit; Quotuplex ſit ſpirituale, & quod uendere ſpirituale naturale, quales ſunt ſcientiæ, non ſit ſimonia. cap. 1. pag. 136
- Quod ſpiritalia ſupernaturalia, quædam ſint inſtituta à Deo. quædam ab Eccleſia, & quod ſimonia ſpiritalium ab Eccleſia ſit contra ius diuinum. Quid in beneficiis ſit ſpirituale, & quid temporale, & quod eorum uenditio ſit ſimonia, contra ius diuinum. c. 2. pag. 139
- Quod ſit quædam Simonia ex ſola Eccleſiæ prohibitione in officiorum uenditione, permutatione beneficiorum, & reſignatione, in penſionum extinctione, & quomodo tollatur; & de Papa, & Curia, an poſſint committere ſimoniam. cap. 3. pag. 145
- Quid intelligatur nomine pretij, De collatione facta ob conſanguinitatem ob antidora, ob metum, & de duplici diuiſione ſimoniæ. c. 4. p. 152
- Quod ſpiritalia quædam ſint pura, & quædam mixta, & qua ratione in aliquibus eorum dicatur temporale præeminere, & octo generales concluſiones ad dignoſcendam ſimoniam. cap. 5. pag. 155

De quibusdam dubiis, & caſibus particularibus.

- D**edifferentia inter mercedem operum, & ſtipendium ſuſtentationis, & quibus hoc ſtipendium iure debeat, & quomodo. c. 6. pag. 158
- An eleemoſyna cõſueta, & debita poſſit deduci in pactũ, & an Moniales poſſint paciſci de dote, & uenſilibus pro puellarũ receptione. c. 7. 161
- An in ſpiritalibus actionibus liceat uendere laborem, & locare operas. cap. 8. pag. 166
- An poſſint uendi uafa ſacra, ſepultura, Eccleſia, & ius patronatus. c. 9. pag. 167
- De pactis, quæ in beneficiis fiunt, quæ ſunt ſimoniaca, & quomodo ſuſpendantur, & purgetur eorum ſimonia. cap. 10. pag. 169
- De eo, quod datur pro redimenda uexatione, & pro tranſactione. c. 11. 174
- De pactis in fundatione rei ſpiritalis. cap. 12. pag. 179
- De muneribus, & an poſſint ſemper accipi, & an cauſa ſine qua non, inducat ſimoniam, in his, quæ alio nomine, quã pretij dantur; c. 13. p. 180
- Quod

INDEX.

Quod intentio non soluendi pretium conuentum, non excuset à Simonia.
 cap. 14. pag. 182
De penis simoniacorum, & de restitutione ab eis facienda, & de simonia per alios commissa, illis pro quibus fuit commissa, ignorantibus, uel contradicentibus, & quis possit dispensare. cap. 15. pag. 183
An poene contra simoniacos à iure inflictæ incurrantur per quamcumq; simoniam, & quare simonia mentalis non obliget ad restitutionem, sicut obligat usura mentalis, & de simonia per confidentiam. c. 16. 185

De Restitutione.

Q*uid sit restitutio, ex quibus radicibus oriatur necessitas restituendi, & qui teneantur restituere, ratione rei alienæ.* cap. 17. pag. 189
An res furtiua bona fide empta, possit reddi latroni, An bona fide illam uendens, teneatur seruare indemnem emptorem. cap. 18. pag. 193
An donata, empta, & dos habita ab usurariis, sint restituenda, & de illorum uxoribus, filiis, & famulis. cap. 19. pag. 197
An contractus iure civili nullus, sit etiam nullus in conscientia, & transferat dominium. cap. 20. pag. 206
De illis, quæ possidentur contractu iure civili nullo, an sint restituenda antequam repetantur. An testamenta, & legata ad pias causas requirant tot testes. De conditionibus, quæ habentur, ac si positæ non fuissent, & de illa si nupserit, si efficitur Monialis. cap. 21. pag. 207
De pœna legali, & de re sub conditione, uel modo tradita, an commisso delicto, & non adimpleta conditione, seu modo, sint statim ante condemnationem restituenda. cap. 22. p. 213
De illis qui tenentur restituere ratione damni illati. cap. 23. p. 222
De illis, qui tenentur restituere ob causam iniuste acceptionis. c. 24. 228
An sint restituenda illa, quæ turpiter accipiuntur à bene, uel turpiter dante. cap. 25. pag. 231
De illis, qui fuerunt causa iniuste acceptionis, etiam si nihil acceperint. cap. 26. pag. 244
Quid sit restituendum, & quantum, & cui. cap. 27. pag. 250
Vbi facienda sit restitutio, quando, & quomodo. cap. 28. pag. 254
Quis ordo seruandus sit in restitutione, & quæ causa non restituentem à peccato excuset. cap. 29. pag. 256

IN-

INDEX.

INDEX CAPITVLORVM TERTIAE PARTIS LIBRI PRIMI.

De Fide contra Gentiles.

A*nimam rationalem esse immortalem, ex Voluntate multipliciter probatur.* cap. 1. pag. 262
Ex intellectu multipliciter probatur animæ immortalitas. ca. 2. pag. 266.
Quod anima rationalis, secundum Aristotelem sit immortalis, & de illius origine. cap. 3. pag. 273
Quod sit Deus, qui omnia ex nihilo creauit. cap. 4. pag. 276
Quod posthanc uitam, sit alia uita, & in ea sint duo status bonorum. s. & malorum. cap. 5. pag. 279
Quod sine Religione mundus esse non possit, de distinctione Religionum, Quando cœperit idololatria. Quot fuerint eius species. cap. 6. p. 282
De falsitate Deorum gentium, & quod omnes fuerint dæmonia. cap. 7. pag. 289
Quomodo Sacra scriptura vanitatem Deorum gentium ostendat. cap. 8. pag. 297
Quod ad salutem sit necessaria fides, & doctrina diuinitus reuelata. cap. 9. pag. 301
Qua ratione hæc reuelata doctrina dicatur supernaturalis. c. 10. p. 308.
Argumenta, & dubia in contrarium, cum suis solutionibus. cap. 11. pag. 315

LIBRI SECUNDI.

De Christiana Religione contra Iudæos.

D*e principio, & progressu Christianæ Religionis.* cap. 1. p. 321
De tempore quo data fuit lex, & de Christo, qui Ecclesiam fundauit. cap. 2. pag. 327
Quod tempus Messie sit præteritum. cap. 3. pag. 329
Quod Messias duplicem esset habiturus naturam, diuinam. s. & humanam, & quod debuerit nasci ex Virgine. cap. 4. pag. 336
Quod omnia, quæ de Messia prædicta fuerunt à Prophetis, sint adimpleta in Christo. cap. 5. pag. 346
 De

INDEX

*De Ecclesia gentium, & quod Christi mysteria fuerint prædicta à Sybil-
lis, & quibus argumentis Christus se Messiam esse probauerit. cap. 6.
pag. 347*
*Quod lex Moisaica cessauerit: quomodo erat limitata, & infirma. Et
quod lex Christi omnes obliget, & sit perpetuo duratura. c. 7. p. 358*

De veritate Fidei Catholicæ contra Hæreticos.

*Q*uod notæ Ecclesiæ non sint illæ quas tradunt Hæretici, Quod Eccle-
sia sit Catholica, Antiqua, sine interruptione, & Vniuersalis. c. 8.
pag. 360
*De Pontificum successione, De concordia Doctrina, De vnione mem-
brorum inter se, & cum capite, De sanctitate, & efficacia Doctrinæ,
& de sanctitate Patrum. cap. 9. pag. 367*
*De Miraculis, Prophetiis, Aduersariorum confessione, eorum infelici
exitu, & de temporali felicitate illorum, qui Ecclesiam defenderunt.
cap. 10. pag. 374*

De locis ex quibus sumuntur argumenta ad proban- das res fidei, & ad confutandos con- trarios errores.

*Q*uid sit Sacra scriptura, in quibus alias scripturas excedat, & quan-
tæ sit auctoritatis. cap. 11. pag. 382
*De diuinis, & Apostolicis traditionibus, & earum auctoritate. cap. 12.
pag. 387*
De Primatu, & auctoritate Petri. cap. 13. pag. 391
*Quod Papa, Romanus Pontifex sit successor Petri, cum plenitudine po-
testatis, & quod Episcopi non succedant Apostolis in plenitudine po-
testatis, sed iurisdictionem habeant à Papa. cap. 14. pag. 403*
*Quod præcipuum in Ecclesia argumentum, sit determinatio Papæ, &
quod ut Papa, in decretis fidei, & morum, non possit errare. c. 15. 408*
*De argumento sumpto ab auctoritate Ecclesiæ: Quod Ecclesia, & uniuersalis,
& particularis Romana, etiam considerata sine Papa, sed sub il-
lo, non possit errare in rebus fidei, & morum. cap. 16. pag. 411*
*De auctoritate Sacrorum Conciliorum, quomodo eis conueniat non posse
errare, quod non sint supra Papam, quod ab eo debeant confirmari, &
quid si Papa esset Hæreticus. cap. 17. pag. 418*
*De argumentis sumptis à ratione naturali, ab auctoritate Sanctorum, &
scholasticorum. cap. 18. pag. 423*
De secta Mahumetana. cap. 19. pag. 426
Libri

INDEX

LIBRI TERTII.

De Dogmatibus fidei.

De Sanctissima Trinitate.

*C*onfutatio errorum ex Symbolo Athanasii, qui fuerunt contra
Sanctissimæ Trinitatis Mysterium. cap. 1. pag. 427
*Quod Trinitas personarum in unitate Diuinæ essentiæ probetur
ex Sacra scriptura ueteris testamenti. cap. 2. pag. 429*
*An sanctissimum Trinitatis mysterium naturali ratione cognosci, &
probari possit. cap. 3. pag. 437*
Quod in Deo sint relationes reales, quæ, & quot sint. cap. 4. 441
Quid sit persona, & quod in Deo sint personæ. cap. 5. 448
*Quod Personæ diuinæ in esse personali proprietate constituentur, & di-
stinguantur. cap. 6. 451*
*Quod personæ diuinæ non constituentur, & distinguantur per aliquid ab-
solutum, sed relationibus. cap. 7. 454*
*Quod relationes non constituentur, & distinguant personas sub ratione ori-
ginis, sed sub ratione relationis. cap. 8. pag. 457*
*Quod relationes reales, & Personæ sint idem re cum essentiâ, & sola ra-
tione ab ea differant, inter se uero realiter. cap. 9. 462*
Quod in Deo nulla sit compositio, sed summa simplicitas. c. 10. 466
*Quod tres in Deo sint Personæ, & non plures, & quomodo rationes philo-
sophicæ sint applicandæ mysteriis fidei. cap. 11. 471*
*De notionibus, proprietatibus, & nominibus diuinis, & de suppositione
nominis Deus. cap. 12. pag. 478*
De æterna Filii Generatione. cap. 13. pag. 486
De Processione Spiritus Sancti. cap. 14. 490

De aliis Dogmatibus Fidei.

*Q*uod detur peccatum originale, quomodo potuerint corrumpere totam
naturam humanam, & quid sit. cap. 15. pag. 491
*Peccatum originale quomodo habeat in nobis rationem culpe, Quomodo
traducatur, & quæ sit illius pœna. cap. 16. 497*
*Quod omnes contraxerint, & contrahant peccatum originale, & quomo-
do secundum Aug. fuit prophetatum euangelium quando dictum fuit,
filium non parturum iniquitatem Patris. cap. 17. pag. 503*
De Immaculata conceptione B. Virg. ex sacris literis. cap. 18. 505
*Quod priuilegium Immaculæ B. Virginis Conceptionis non deroget Chri-
sto, & fuerit conueniens. cap. 19. 511*
*Quod B. Virgo fuerit concepta sine peccato originali probatur auctoritate
Romane Ecclesiæ. cap. 20. pag. 519*
*Quod pro contraria sententiâ nulla sit antiquorum auctoritas, sed omnes
sint pro immaculata conceptione. cap. 21. 522*
*De principio, & progressu huius quæstionis, cum tribus fortissimis argu-
mentis. cap. 22. pag. 529*

INDEX

<i>Quod Deus non sit causa peccati, etiam si concurrat ad productionem actus peccati. cap. 23.</i>	pag. 533
<i>Quod Deus concurrendo cum uoluntate deficiente, non sit causa peccati. Vbi agitur etiã de libero arbitrio, cū apologetica digressione. c. 24. 536</i>	
<i>Aliorū dubiorū solutione, ostēditur Deū non esse causā peccati. c. 25. 549</i>	
<i>De providentia Dei, & quod maxime relucet, & omnes difficultates tollit in Incarnatione Verbi. cap. 26.</i>	pag. 553
<i>De Sacratissimo Incarnationis mysterio. cap. 27.</i>	pag. 559
<i>De causa, & necessitate Incarnationis. cap. 28.</i>	pag. 561
<i>Quomodo Christus potuerit pati cum esset comprehensor, An eius anima sit passa secundum superiores rationes, & an Dolor Christi fuerit maior illo damnatorum. cap. 29.</i>	pag. 566
<i>Quare iustificatio tribuatur fidei, cum sola non sufficiat, sed requirantur etiam opera. cap. 30.</i>	pag. 572
<i>Quod nihil a Deo simpliciter mereri possimus; De necessitate gratiæ, De merito de condigno, & de congruo; & quod bona opera facta in gratiã sint meritoria de condigno, triplici ratione. cap. 31.</i>	pag. 575
<i>Quod opera bona facta in peccato mortali sint utilia, & etiam meritoria de congruo. cap. 32.</i>	pag. 579
<i>Quod bona opera sint meritoria, impetratoria, & satisfactoria, et quomodo opera unius prosint alteri, et de conditionibus requisitis, ut aliis pro sint. cap. 33.</i>	pag. 584
<i>An semper peccator resurgat ad maiorem gratiam; & an opera mortua reuiuiscant. cap. 34.</i>	pag. 587
<i>De Thesauris Ecclesiæ. Quod indulgentiis uere satisfaciamus. Quid significet quadragesimã, & tot millia annorū, & per modū suffragij. c. 35. 591</i>	
<i>De differentia inter uiuos, & mortuos quo ad indulgentias, & an negligentes pro se satisfacere, illas consequantur, licet sint in gratiã. c. 36. 595</i>	
<i>De aliis dogmatibus remissiuè. Quare Christus uenerit pro solis hominibus; De causa obstinationis damnatorum, & an possint bene uelle bonum, & de libero arbitrio. cap. 37.</i>	pag. 598
<i>De Mortuorum resurrectione, & quod licet sit supernaturalis, illam ratio naturalis suadeat. cap. 38.</i>	pag. 611
<i>Quod mundus sit innouandus, & purgandus, resoluenda sint mixta, terminanda generatio, & Cæli quiescendi, & quod ratio naturalis ista etiam suadeat. cap. 39.</i>	pag. 617
<i>Quomodo cessante motu Cæli, ignis inferni aget in corpora damnatorum. cap. 40.</i>	pag. 622

LIBRI QVARTI.

De Virtutibus in communi.

<i>Quid sit uirtus. cap. 1.</i>	pag. 630
<i>Quotuplex sit Virtus. cap. 2.</i>	pag. 632
<i>Quid</i>	Quid

INDEX.

<i>Quid sit uirtus Moral. cap. 3.</i>	pag. 633
<i>Quot sint uirtutes morales. cap. 4.</i>	pag. 633
<i>Quot sint uirtutes Cardinales. cap. 5.</i>	pag. 635
<i>Cum uirtutes Cardinales sint morales, quare inter eas ponatur Prudentia quæ non fuit inter morales annumerata, & reliquæ morales relinquuntur. cap. 6.</i>	pag. 637
<i>Quod præter uirtutes morales, sint etiam uirtutes Theologicæ. c. 7.</i>	638
<i>Quomodo causentur in nobis uirtutes. cap. 8.</i>	pag. 638
<i>An uirtutes morales ita sint inter se connexæ, ut qui unam habet omnes habeat. cap. 9.</i>	pag. 640
De Virtutibus in particulari.	
<i>Quid sit fides, & an sit necessariū aliquid explicite credere. c. 10.</i>	642
<i>Quid sit articulus Fidei, Symbolum. Quot sint articuli. Qui sint Fidei actus, & quæ uitia illi opposita. cap. 11.</i>	pag. 644
<i>Quid sit Spes, & quid Charitas, & qui sint charitatis actus. c. 12.</i>	646
<i>Quid sit Prudentia, & qui sint illius actus, & quæ partes, & quæ uitia illi opposita. cap. 13.</i>	pag. 646
<i>Quid sit Fortitudo, & quæ sint illius partes. cap. 14.</i>	pag. 648
<i>Quid sit temperantia, & quæ sint illius partes. cap. 15.</i>	pag. 650
<i>Quid, & quotuplex sit iustitia. Quæ sint species particularis Iustitiæ, & quæ sint illius partes integrales, & potentiales. cap. 16.</i>	653
<i>Quod dona distinguantur à Virtutibus, & sint necessaria. c. 17. p.</i>	656
<i>Quot sint dona Spiritus sancti. cap. 18.</i>	pag. 657
<i>De fructibus Spiritus sancti. cap. 19.</i>	pag. 658
De Interpretatione Sacræ scripturæ.	
<i>De Sacrarum scripturarum difficultate, & de requisitis ad illarum studium, & intelligentiam. cap. 20.</i>	pag. 659
<i>De sensibus Sacræ script. & ex quo sumatur efficax argumētū. c. 21.</i>	661
<i>De regulis Ticonij pro uero sensu Sacræ scripturæ. cap. 22.</i>	p. 670
<i>De aliis regulis, & in quo sit exercendum, & ostendendum acumen ingenij in sacrarum literarum expositione. cap. 23.</i>	673
<i>Quod ex Theologia habeatur uera philosophia, & qua ratione in opinio-num diuersitate, facile possit haberi ueritas. cap. 24.</i>	pag. 685
<i>De Sacræ scripturæ eloquentia, & figuris. cap. 25.</i>	pag. 697
<i>Quod sit premium bonorum, & malorum operum. cap. 26.</i>	p. 707
<i>Additio de absolutionibus uigore Iubilei, & de non benedicendis secundis nuptiis.</i>	pag. 708

FINIS.

Alius Index.

Cum tituli capitulorū innuant omnia in eis contenta, superfluous est alius index. Nihilominus aliqua præcipua hic subiungā, quæ ex indice capitulorum nō habentur.
Quod

I N D E X

- Quod Animæ in purgatorio non detineantur per tot annos, &c. tom. 1.*
p. p. lib. 2. ca. 13. pag. 67.
- Cardinales uigore Indultræ in beneficiorum collatione, non possunt derogare Apostolicis priuilegiis. tom. 1. 2. p. lib. 4. cap. 23. pag. 579*
- Concionatores caueant, & obseruent, ut tom. 1. 2. p. lib. 4. c. 22. pag. 576.*
& tom. 2. 3. p. lib. 3. c. 11. pag. 474. et lib. 4. c. 23. pag. 678
- Quomodo possint confiteri illi, qui auriculariter confiteri non possunt, ut peste infecti, et in naufragio existentes. to. 1. 2. p. lib. 4. c. 3. pag. 499*
- Doctoribus propriæ scholæ quantum sit ab illorum discipulis tribuendum et q. errare potuerint. tom. 2. 3. p. lib. 3. c. 11. p. 474. et lib. 4. c. 23. 676*
- De differentia inter Ecclesiam, et synagogam. tom. 2. 3. p. lib. 3. c. 17. 504*
- Episcopis ex officio duplici ratione aliqua conueniunt iure diuino. tom. 1. 2. p. lib. 1. cap. 11. pag. 251*
- De Gabellis obiter. to. 1. p. p. lib. 3. c. 9. pag. 109. et eod. lib. c. 30. p. 159*
- De Ignorantia. to. 1. p. p. lib. 3. cap. 4. pag. 87*
- De lege non recepta, uel qua non est amplius in usu, dicendum sicut, et de censuris. to. 1. p. p. lib. 5. cap. 9. pag. 105*
- De Metu. tom. 1. p. p. lib. 3. cap. 10. pag. 110. et p. 2. lib. 2. c. 8. p. 293*
- De uolente contrahere Matrimonium, qui impedimentum affirmauit, et postea illud negat. to. 1. 2. p. lib. 4. cap. 22. pag. 574*
- Notorium, quid, & quotuplex. to. 1. p. p. lib. 4. cap. 15. pag. 210.*
- Explicatio uerborum primi præcepti charitatis de dilectione Dei. tom. 2. 3. p. lib. 4. cap. 23. pag. 681*
- Quod peccata uere remittantur, et tollantur. to. 2. 3. p. lib. 4. c. 23. p. 679*
- Quod peccato mortali debeat pena eterna. to. 1. p. p. lib. 2. pag. 42*
- Quod pena uenialium in inferno non sit per accidens eterna. tom. 1. 2. p. lib. 3. cap. 5. pag. 406*
- Papæ auctoritas qua ratione cognoscatur quantum se extendat. to. 1. 2. p. lib. 1. c. 14. pag. 259. & lib. 2. cap. 15. pag. 311.*
- De modo propter erandi, & de Vtibus gentilium. to. 2. 3. p. lib. 2. c. 3. 330*
- Principes qua ratione possint obuiare multis fraudibus, ne libri dati, & accepti falsificentur. tom. 1. lib. 4. cap. 25. pag. 593*
- Trinitatis imago in anima rationali. tom. 2. 3. p. lib. 1. cap. 2. pag. 271*

F I N I S.

Cum licentia Superiorum.

UNIVERSITATIS